COMMENTARIA IN EZECHIELEM PROPHETAM:

AVCTORE PETRO SERRANO CORDVBENSI, DOCTORE THEOLOGO, & Complutensis Ecclesiæ Canonicô.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Prototypographi Regij.
M. D. LXXII.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum est, ne quis *Commentaria in Ezechielem Prophetam auctore Petro Serrano Cordubensi Doctore Theologo & Complutensis Ecclesiæ Canonico*, citra Christophori Plantini voluntatem imprimat, aut alicubi impressa importet, venaliáue habeat à die impressionis absolutæ intra sexennium. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & pœna, fisco Regio exsoluenda, multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expressum est, Dato Antuerpiæ XVI. Decembris, Anno Domini M. D. LXX.

Sign.

I. De la Torre.

PHILIPPO II. HISPANIARVM REGI, ET NOVI ORBIS DOMINO,

DOCTOR PETRVS SERRANO

omnem felicitatem & æternam ſalutem deprecatur.



VM ex prima illa naturæ humanæ infectione, malum hoc primũ pullulauerit, REX PHILIPPE, *vt quiſq; in ſocium, ſi vel minima in re anteeuntem aut præcedentem videat, illicò inuidiæ dentes exerat, flammas accendat, morſusque omnes infigat; meritò quidam Scriptores omnes ſuas lucubrationes, labores, ac vigilias magnæ alicui perſonæ nuncupare conſueuerunt, qui à morſibus huius ſerpentis tueri & liberare poßit. Sed cùm feræ huius dentes obtundere, flammas extinguere & morſus lenire, eius ſolum ſit, qui ſe ſponte inuidis ſubiiciens, vt illam cum comitibus ſuperaret, in crucẽ agi voluit, alium finem hos meos labores inſcribendi aptiorem duxi: ei ſcilicet eos dicare, cui fidei Chriſtianæ promotio, Eccleſiæ catholicæ defenſio, necnon gloriæ & honoris Chriſti Ieſu dilatatio ex officio incumbit. ad hos ſiquidem ſcopos hæc & quæcunque alia mea opera, quæ pro gratia Domini collata, exercere aut edere licuit, ſemper deſtinare curaui. Quocirca cùm te ô maximè principum à Domino datum ad huius modi munera & officia exercenda videam, & pro eximia diuini numinis beneficentia non ſolùm eadem conantem, ſed præſtantem cernam, ipſo iure exigente, quæ ad tuam clientelam ſpectãt, tibi conſecrare decreui. Nullum etenim laborem hactenus recuſaſti, neque induſtriam prætermiſiſti pro integritate fidei incolumi ſeruanda contra quoſcunq; diaboli ſatellites, nunc ſancti officij inquiſitionis miniſterio eos è medio tollens, nunc vi armorum in diuerſis partibus rebelles & fidei catholicæ repugnantes, à finibus Chriſtianæ religionis eiiciens, & eam etiam impetentes propellens. Neque enim ſumptibus quantumuis magnis pepercisti, vt armatis militibus veluti muris quibuſdam catholicæ Eccleſiæ fines cingẽtibus, ab infidelibus Barbaris in eam ingruẽtibus defenderes. Quæ verò iam in gloriam Chriſti ſpecialiter egeris, innumera ſunt, & vt rara, ita & præclara, ac nullius præconio indigentia. Silentio tamen minimè prætermittam, quod hiſce diebus in hanc eandem rem præſtiteris, cùm nihil, etiam quod tibi chariſſimum ac pretioſiſſimum eſt, reſeruaſti, quod pro Chriſti honore dilatando hoſtibus non obieceris. nã heroem illum fratrẽ tuũ maris militiæq; principem Dominum* IOANNEM AB AVSTRIA, *& id etiam quod tuo in regno ſelectiſſimũ erat, nauali bello apud Lepantum periculo commiſiſti. Sublimis quidem res, & quæ tuam maximè decet Maieſtatem; verùm ſublimior multo & nunquam ſatis ſuſpicienda Dei miſericordia, quæ cùm in omnibus bellicis occurſibus ſe tibi comitem præſtiterit, in Lepantico tamen hoc (quem contra Turcarum potentiam, faſtoſam iactantiam, & nationum ſuperbientem feritatem conſeruiſti) mirabiliter oculis non cæcutientibus ſe planè conſpiciendam exhibuit. Nam quis, obſecro, Deum immortalem pro te pugnaſſe non videat, qui propè brumam contra naturam temporis, cælum ſerenum & tranquillum reſeruatum, vt mare pacatum bellum quietè ſuſtineret, tuoque operi ſic inſeruiret, intentè meditatus fuerit? quis Dei clementiam planè ſe inſinuantem non proſpiciet, qui ex parte aduerſa iuſſos à Domino ad tua agmina venire ventos, impenſo animo ſecum exactè ver-*

ſauerit? quis angelum fortem vel potius angelorum fortium agmina claſsi tuæ expeditionis commixta non conſpiciet, qui pro tuorum incolumitate & aduerſariorũ ſtrage, iacula omnia, & tormenta bellica in inimicos directa, & econtrà ab ipſis ad tuos venientia, obtuſa & declinata ſpectauerit? Sed quid in enarrandis ſingulis mirabilibus immoror, cùm Dominum Ieſum Chriſtum bellum pro ſua eccleſia conficientem, & glorioſiſſimam eius genitricem Mariam auxilia quæque pro re impetrantem habueris? quorum imagines in tuis vexillis, autores victoriæ præmonſtrans, ipſo primo inimicorum proſpectu erexiſti. Sanè cùm impenſius hæc conſidero, alterum Regem Ezechiam in tua maieſtate mihi videre videor. Nã ſicut illi, quòd in viis patris eius Dauid ambulaſſet, & idola atque excelſa omnia deſtruxiſſet, angelum Dominus miſit, qui innumerabilem Aſſyriorum exercitum Ieroſolymam obſidentem perdidit: ita tuæ maieſtatis claſsi non angelum belligeratorẽ miſit, ſed Chriſtũ Ieſum, (quem angelus ille referebat) ob inclyta & clariſsima obſequia, quæ in eius gloriam, & in defenſionem atque dilatationem ſuæ chariſsimæ ſponſæ Romanæ eccleſiæ exhibuiſti, Barbari exercitus vaſtatorem ac profligatorem tibi prouidit. Igitur vt ſacri verbi Dei concionatores locos communes aliquot ex ſcriptura enucleatos habeant, ex quibus argumenta ad Chriſtianos mores edocendos deducerent, non ſolum eos, qui intra eccleſiam ſunt, ſed & illos, qui armis tuæ potentiæ ſubiugati, fidei lumen recipientes ad eam confluxerunt, hos commentarios in Ezechielem Prophetam elaboraui. Hic etenim propheta vt eximius myſteriorum Chriſti prædicator extitit: ita & eius prophetia eximiam doctrinã ad mores Chriſtianos componendos & in officio retinendos continet. Spiritum item verbis concionatoris agglutinat, qui vt forma materiæ, ita ipſis efficientiã & efficaciam præbet, nec non & actionem inſtituit, qua audientium animi ad cibos animæ, & aquas cæli ſalutares percipiendas expergiſcuntur: vt qui eam integrè legerit, apertè probabit. Hos ergo qualeſcunque conatus noſtros ob memoratas rationes vt tuæ ſacræ Maieſtati iure debentur, ita libentiſſimè offero, atque obnixè peto, vt pro innata tibi benignitate, atque animi beneuolentia, quam ſæpe ipſe mihi propitiam ſenſi, defectus omnes diſsimules, muneris paruitatem incomparabili tua magnitudine amplifices, & denique hoſce auſus noſtros boni ſemper cõſulas: Cuius Regnum & imperium in quàm longiſsimos & feliciſsimos annos in gloriam ſui nominis Chriſtus Ieſus Dominus noſter extendat & promoueat.

IN CAPVT PRIMVM EZECHIELIS PROPHETÆ COMMENTARIVS.



E T *factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captiuorum, juxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachim, factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem, in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar, & facta est super eum ibi manus Domini.*

Post proditionem illam insignem primi hominis, qua totum genus hominũ ditioni diaboli subiectum mansit, ilicò benignissimi Dei misericordia tanto casui per Verbi diuini sacrosanctam incarnationem statuto tempore futuram mederi, ac succurrere decretum est. Ita enim in creatione mulieris hac præuisa ruina per Adam Dominus dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. (Genes. 2.) Quod testimonium explicans B. Paulus, inquit, Sacramentum hoc magnum est. ego autem dico in Christo & Ecclesia. (Ad Ephes. 5.) Et peccato illo primo iam admisso, cùm maledicta quæ incurrisset, Dominus explicaret, serpenti dixit (mulierem, quæ peccati occasio Adæ extiterat, reparationis interstitem futuram prænuntians) Ipsa conteret caput tuum, tu autem insidiaberis calcaneo eius: (Genes. 3.) redemptionem nimirum hominum per Christum Iesum ex muliere definito tempore nasciturum, futuram intimans. Progressu igitur temporis, vtriusq. rei, nempe subiectionis dæmoni ob peccatum, & liberationis ab eodem per Christum, tenaci memoria suos semper recolere voluit Dominus. In quam rem populum sibi electum Israël, (vt ex ipso ad cæteras nationes facta promissio diuulgaretur) tot laboribus inimicorum manibus exercens, depressit, ac toties auxilio & fauore suę liberalissimæ manus erexit, & subleuauit: vt illud, peccati dominium, istud verò, sperandam per Christum ab eo redemptionem & liberationem, admoneret. Præcipuè tamen durissima illa in Ægypto seruitus, & percelebris liberatio (extinctis in mari rubro Pharaone, & tota Ægypti potentia) hoc effecit: Deinde verò transmigratio gentis Ierusalem in Babylonem cum rege suo Ioachim, & reditio in suam patriam, atque Hierosolymitanas sedes post annos 70 iuxta Hieremiæ vaticinium: (c. 25. & 29.) potissimùm tamen seruitutem ac subiectionem dæmonis, quam per peccatum voluntariè commissum, homines incurrerunt, transmigratio in Babylonem, quam sponte Hebræi fecerunt, se subiiciendo Nabuchodonosor regi Chaldæorum, diaboli typum gerenti, exprimit. Nam sicut voluntate peccatum illud primum admissum est, ob quod sub diaboli imperio inuisibili, totum genus hominum est constitutum, ita sponte (Domino sic dispensante) in ditionem visibilem regis Babylonis transmigratio tota se tradidit. Nec necessitas vitæ, nec virorum paucitas, nec gentis imbecillitas, hîc sicut in Ægypto, extero regi seruire, allegari potest. Etenim etsi ita sit, quòd semper occasione accepta ex peccato impune grassante, populum suum Dominus ab inimicis suis opprimi & subiugari dederit, vt ex historia lib. Iudicum & Regum constat; potissimùm tamen captiuitatem animarum sub principe peccati diabolo, suis inculcare, atque eorum memoriæ imprimere huiusmodi calamitatibus intendit. Vnde quia transmigratis, redemptionem & liberationem post 70. annos per Hieremiam prophetam Dominus pollicitus fuerat; & nihil tam lætum ac iucundum oppressis aduenire potest, nec quod magis in votis habeant, quàm à præsenti angustia liberationis nuncium: ab hoc sanctus propheta Ezechiel initium suæ prophetiæ exordiens, redemptionem spiritualem à diaboli tyrannide per sacrosanctam Domini nostri Iesu Christi incarnationem tunc futuram,

turam, initium dicendi facit: Ecclesiæque Catholicæ sic renatæ, incessum dexterum, atque florentem in stadio huius peregrinationis, simul & membris quibusdam prænuntians, aptissimis coloribus in hoc primo capite depingit.

Procemio hoc præsupposito, sacer propheta tempus suæ prophetiæ, dignitatem, simul & eiusdem infallibilem certitudinem præfatur. tempus describit, & a numero annorum, mēsium, & dierum, atque à calamitosa seruitute, quam ipse cũ Hebræorũ populo patiebatur. Quando enim prophetæ hæc reuelatio contigit, annus erat trigesimus repertionis libri Legis, quæ sub Iosia rege facta fuit, auctore Diuo Hierony- [4.Reg.22.] mo in Prologo huius libri. Opera enim diaboli inter ipsa ædificia murorum templi Deuteronomium absconditum fuit, vt ignoraris pœnis, quas contra transgressores legis, & potissimum contra idololatras ibi Dominus disposuerat, effrænes in idololatriam ipsam, & cuncta vitiorum genera currerent: sicque ipsi tributa peccatorum redderent, & diuinos honores impenderent, quod suum à conditione propria ingenium est. Ab hoc igitur facto notabili, sicut à fundatione templi per Salomonem, tempus computat. Consueuerunt enim Hebræi, vt refert Nicolaus Lyranus à re memorabili, sicut etiam ab anno Iubilæi, annos numerare. Idem insuper annus mēse quarto, & die quinta, trigesimus fuit ætatis prophetæ, teste Diuo Gregorio; quem omnes expositores in hoc loco sequuntur. quæ omnia in mysterio & sacramēto nobis enarrata sunt, vt perfectę prædicationis legis in honorem sanctissimæ Trinitatis, post Deuteronomij iteratam inuulgationem, Hebręi, qui hac prophetia arguendi erant, propriam culpam agnoscentes, pæniterent: & cùm deinde idem tempus ætatis prophetæ recenseret, prædicationis idoneum omnibus insinuaret. Est enim tempus [Num.c.4] hoc, integræ vitæ occasio, maturi iudicij ad docendum debita discretio. Quare id prædicationis officium, iure sibi ad minus vendicat. vnde sacerdotes legis Moysi [Genes.41.] ad ministrandum Deo in tabernaculo, & templo, non minori ætate apti iudicabantur. & patriarcha Ioseph triginta annos natus, vt populo Dei subueniret, Dominus [Marc.1.] Ægypti constitutus est. ob quam rem B. Ioann. Baptista memorata ætate prædicare, & baptizare ad Iordanis decursus cœpit. Imo & Christus Iesus redemptor noster, cuius potissimum hic typum gessit, cùm à Ioanne baptizatus est, suamque prædicationem est exorsus, 30. annos iam attigerat. Tempus deinde ab afflictione recenset: vt discamus, Dominum suis subuenire esse solitum, suaque mysteria, & arcana reuelare, dum ingentibus calamitatibus premuntur, varijsque angustijs, ita vt vix respirare queant, eius nomine distenduntur. sic etenim B. Ioanni in insulam Pathmos relegato, suam apocalypsim ostendit: & nunc Ezechieli captiuo in Chaldęa & iuxta Chobar, seu Euphratem fluuium, cum cæteris Hebræis habitanti, sua mysteria pan- [Psal.136.] dit. Cuius rei regius Psaltes meminerat dicendo; Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Syon. Etenim, quantò magis corpus feritur, eiusque fautores deprimuntur, tantò magis à terrestribus curis animus abducitur, sursumque ad diuina & cælestia impensius consideranda, eleuatur; atque in eam dispositionem homo ascendit, quam hic Dominus requirit, quem sui pectoris [Iob.1.] & consilij participem facere constituit. Quod etiam testatur B. Iob, cùm sui spiritus [Psal. 118.] custodia castigationi Domini tribuit, dicendo: Visitatio tua custodiuit spiritũ meũ. & regius Psaltes Dauid cùm ait: Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua [Esaię. 28.] meditatio mea est. Et denique Euãgelicus vates Esaias similiter docet, cùm populum repugnantem, per flagella & continuas tusiones emolliendum dicit asserendo: Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.

Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.

DIGNITATEM iam & certitudinem prophetiæ, à genere ad speciem sermonem deducendo, iuxta regulã Ticonij, vt docet Aug. in. 3. lib. de doctrina Christiana; & cognitioni nostri intellectus, atq. humanarũ disciplinarũ traditioni sese attēperãs, supra captũ humanũ extollit. Dicit ergo mysteria cęlestia esse quæ tractaturus est: nã cùm eorũ facultas ac notitia ipsi cõmunicaretur, visus est sibi videre cælos apertos, ac si apertura quædã realis facta fuisset, vt emitterēt, quæ omniũ oculis abdita in se continerent. Nulla enim alia re aptius diuinæ sapiētiæ reuelationē esse, quę ostēditur, significari potest, quàm per cęlorũ apertionē. Quapropter ad diuina mysteria indicãda,

Spiritus

Spiritus sanctus hac phrasi semper vtitur. Ita siquidem docuit B. Petrum, ad baptismum fidemque Domini nostri Iesu Christi gentes recipiendas esse, emisso de cælo linteo mundis atque immundis animalibus pleno. Et rursus remissionē peccatorum per baptismum & mortem Domini nostri Iesu Christi, atque apertionem ianuæ cælestis, tot retro seculis hominibus occlusam, in baptismo Christi Iesu significatam per aperturam cælorum, referentibus Euangelistis, notauit. Quonamque signo accommodatiu, iter ad cælum hominibus per Christum patefaciendum significari poterat, quam per inusitatā lucis magnitudinē, & inexcogitatum è cælo splendorē, qui mysteriū sacrosancti eius Baptismi mirificè collustrauit? Quòd autem huic rei absque hæsitatione fidē homines adhibere debeāt, firmaq. & rata habere quæ dicturus est, testatur cùm dicit; se visiones Dei vidisse, hoc est, clara intellectus visione, dicēda percepisse. Etenim quoniam sensum visus, præ cæteris, in confirmationē cuiusq. rei, homines adducere solent; diuinus vates in infallibilē certitudinē suæ prophetiæ, per intellectus expressam cognitionē diuinitus datā, quæ longe quamcūque sensus externi visionem, & intelligentiam humano modo acquisitam, firmitate superat, quæ hic manifestaturus est, se sic accepisse dicit. Quem etiā modum fidei, & certificandæ prophetiæ, cæteri obseruarunt prophetæ. Nam in commendationē suæ prophetiæ sic Esaias incipit: Visio Esaiæ filij Amos quam vidit super Iudam & Hierusalem, &c. & rursus Amos: Verba Amos qui fuit in pastoralibus Tequæ, quæ vidit super Israël, &c. & Habacuc: Onus quod vidit Habacuc propheta, &c. Atque hoc, vt homines neutiquā suspicari possent, casu aut absque firma intelligentia diuinitus data, prophetas inuulgare dictata, quod non parum prophetæ detraheret; verum indubitata fide acciperēt, certissima cognitione & medio lumine prophetico, quę prædicabant, ipsis impartita fuisse. Ob quod passim in scriptura Prophetæ Vidētes appellati sunt, vt Samuel. (1.Reg.6.) quam rem vitæ eorum integritas cum absoluta religione cōiuncta, simul & infallibiles rerum euentus, quæ prædicabant, ad eos tanquam prophetas æstimandos & venerandos, populum rapiebant: verùm firmius & instantius, quòd legē Moysi, quā fide amplectebātur, explicarēt prophetæ, eique conformia diuulgarent. & tamē omni procul hæsitatione, certissimè viros prophetas receperunt, quòd interim motu luminis fidei, quo legi adhærebant, prophetias canonicas complecterentur, earumque prædicatores tanquam diuinos homines, & legis custodes, dignis honoribus prosequerentur.

In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachim, factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotē in terra Chaldæorum.

DVPLICI loquendi genere suos Dominus prophetas alloqui solitus est; & rebus, & verbis. Rebus, cùm signa, & spectra quædam ostendebat, quibus, etsi victoriam proximam prostratis inimicis significaret, vt Gedeoni in vellere, (Iudic. 6.) Ioseph in erectione sui manipuli, fratrum fasciculis iacentibus; (Genes. 37.) & Samsoni per vulpium colligationem, & segetum vastationem: (Iudic. 15.) & cum flagella item atque ingentia mala portenderet, vt Hieremiæ per opus fictile fractum in domo figuli, (Cap. 18.) & per catenam, quam iussu Domini è collo pendentem portauit, populi vastationem, & captiuitatem: (Hier. 27.) tamen per hæc eadem mysteria ecclesiæ obumbrabat, vt per læta illa & iucunda, Verbi diuini incarnationem; victricem item manum contra diabolum, per mortem atque passionē Christi Iesu redēptoris nostri, prædicationē Apostolorum ignitam, sectas & imposturas gentium, vti maturas segetes vastantem; per tristia verò, & lugubria Hieremiæ & aliorum prophetarum, manētes pœnas inferni, peccatores ipsos impænitentes, miris coloribus depingebat, & viuacius quidem quam in lege erant distinctæ. Verbis verò, prophetas suos Dominus alloquebatur, cùm illa eadem verba, quibus diuina oracula populo indicabant, in eorum mentes ipse inserebat. Quomodo fuit (Exod. 20.) loquutus cum Moyse in datione legis, & cum cæteris prophetis singulatim, quando sermonibus, exhortationibusque, à Domino missi, cum populo agebant, ipsum docēdo & admonēdo, vt prophetę nostro contigit, cū populi abominationes detegebat, diuináq. manū eas punientē demōstrabat. Quæ locutionū genera, aliquādo Dominus per Esaiam (Cap. 28.) peccatorū importunitate lacessitus expressit, dicens: In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum istum; nempe flagellis & punitionibus,

quem doctrina, & cæleſtis diſciplina verbis tradita non correxerat. & per regium pſaltem: Tūc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Hinc igitur diuinus noſter vates, quoniam cæleſtibus conſilijs & doctrinis populo intimandis, ad ſui inſtitutionem, & correptionem à Domino edoctus fuit, viſiones ſe vidiſſe ſupra dixit. nunc verò quia ſpectris & ænigmatibus populi flagella, ſimul & Eccleſiæ myſteria ſignificantibus, ad populi eruditionem, etiam à Domino fuit inſtitutus, ipſi loquutum fuiſſe, hoc loco affirmat. Quæ ergo concurrerunt, cùm Dominus prophetæ loqui dignatus eſt, narrando temporis circūſtantias, perſonæ & loci, in cōmendationem maieſtatis diuinæ locutionis explicat. Quod enim quinta die menſis quarti, anni quinti trāſmigrationis regis Ioachim, loquutus ſit ei Dominus, integritatem, & abſolutionem prophetiæ indicant. Numerus quippe quadratus, & corpus

Ariſt. 1. lib. Ethic.

æqualibus lateribus conſtans, perfectum à Geometris ponitur. vnde & hominem quadratum, integrum virtute virum aliquando philoſophi appellauerunt: Numerus verò impar, quo dies & annus ſignificatur, diuinitatē etiam rei, quæ agebatur, & abſolutionem inſinuat; nam in genere bonorum à Pythagoricis collocabatur quod ad vnitatem declinaret, in qua principium bonorum conſtituebant. vnde Plato in Parmenide, poſito vno, ait, omnia ponuntur, & eo ſublato omnia tolluntur: Deus enim opt. maximus omnium principium exiſtit, à quo cuncta fluxerunt, & conſeruantur; qui vnitate apud philoſophos illos notabatur. Peculiariter etiam, temporis occaſionem à tranſmigratione regis Ioachim recenſet, vt ingenium ſuum nobis Dominus manifeſtaret; quod eſt, rebellibus, contumacibus, & obduratis in malo, ſuam adiutricem manum admouere, verbumque ſuum illis ſubtrahere. obedientibus verò & obtemperantibus, gratiam ſuæ doctrinæ, & cætera auxilia libenter impertiri: Ita

Amos. 8.

enim contumaci populo per Oſeā dicit Dominus: Non amplius viſitabo vos: & per alium, Mittam ad vos famem & ſitim, non famem panis, aut ſitim aquæ, ſed audiēdi verbum Dei. & in eandem rem, per prophetam angeli de reluctanti populo ex

Hier. 51.

ſententia Dōmini inter ſe dicunt: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam; quoniam peruenit vſque ad calū iudiciū eius. Quod B. Petrus expreſſius dixit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus

1. Petri 5.

autem dat gratiā. Apud Babylonem equidem, vt B. Hieronymus hoc loco teſtatur, ex Hieremia propheta, fuit Iudæorum tranſmigratio tempore Ioachim regis, qui &

Math. 1. c.

Ieconias dicitur in Euāgelio. Fuit autem captiuitas tempore Sedechiæ regis cum reliquijs populi repugnantis Hieremię admonenti, & præcipienti, ex Domini ſentētia, vt ſe libēter Chaldæis darent, vt ſaluti propriæ conſulerent: ſin minus, vaſtationem paſſuros, quā inobedientes perpeſſi fuerunt, & in Babylonē calamitoſe ſatis, captiui ducti. Vt tranſmigrati igitur ad ſe proprium ſermonem huius prophetiæ, ob explicatā rationem, pertinere intelligerent, tranſmigrationis Ioachim ſacer vates meminit. Cuius etiam inobedientiæ memoriam. B. Matthæus in enarratione genealogiæ Chriſti redēptoris noſtri fecit, cùm trāſmigrationis, nō captiuitatis, verbū interſeruit. Perſonæ itē periſtaſim deſcribit, cùm nomē, dignitatē ſacerdotalē, & genus attingit: quæ omnia populi animos ad prophetiæ ſermonē amplexandum apprime aſſurgere faciūt: propria enim nominatio viri inſignis & probatæ vitę, tanti momēti apud populū eſt, vt velut inuitū ad audiēdū & obtēperandū trahat: ad quod nō minus ſacerdotalis dignitas facit, & quòd ex parente propheta natus. Parentē enim ſuū in titulo quempiā prophetā nominare ſecundum Hieronymū, eſt filiū prophetæ ſe aſſerere. & vtraq. ratio fidē vatis ſatis auget: filiū eſſę prophetæ, quòd veluti hæreditario iure ad ipſum prophetia ſit tranſmiſſa, ne res noua in ſua domo haberetur, quod maximè offendebat Hebræos: ſacerdotalē verò habere dignitatem, quòd penes ſacerdotes, ſummū fidei arbitriū, & legis indefectibilis rationē Dominus poſuerit, in lege ſic de-

Deut. 17.

cernēs: Si difficile & ambiguū apud te iudiciū eſſe perſpexeris, &c. aſcēde ad locū quē elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit eo tēpore, qui iudicabūt tibi veritatē. Quorū definitioni & cōſilio acquie-

Malac. 2.

ſcere etiā iubet. Et ruſum per alium prophetam dicit: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam. Nec loci periſtaſim prætereundam duxit: Nam in terra Chaldęorum, & iuxta flumen Chobar exiſtenti, ſermo diuinus ipſi factus eſt. illud, vt gentes proprijs ſedibus, prophetam doctrinam cæli reuelantem, & docentē, habuiſſe intelligerēt:

nec

nec ignorantiam legis, ob prædicatoris defectum aliquando in sui peccati excusationem prætexerent. Ita enim Dominus disposuit, vt prophetæ, qui illius temporis prædicatores erant, primùm populo Iudæorum legem rememorarent, voluntatemque Domini edicerent: secundo tamen loco, vt gentibus eadem innotescerent, ad quas ex populo Hebræorum doctrinam legis & prophetarum propagari voluit. & iure id quidem, vt ex mansuefactis iam iugo legis hominibus, feris & aspideis communicaretur; & paulatim ad Dei doctrinam mansuescerent, virus proprium euomentes. Hoc verò, id est fluminis Chobar meminit, vt negotium, cui tunc intendebat, explicaret: erat enim in meditatione & contemplatione operum mirabilium Domini positus, ad quam campus non parum conducit. De proceris siquidem hominibus illius seculi legitur, statis horis diei in solitudinem & agrum exire solitos esse, ad stupenda Dei opera miranda & contemplanda. Huius enim rei gratia in campum egressum ab vrbe Isaac patriarcham fertur, cùm obuius occurrit vxori: erat, inquit textus, egressus ad meditandum in agro. ad quam etiam rem perpetuus decursus ille Genes.24. aquarum, & rapidus fluminum motus vel maximè expergefacere solet. Etenim vitæ velocitatem, eius continuum casum, & admirabilem illam Dei prouidentiam, sic perennitatem, & successionem aquarum aquis disponentis, continuo ob oculos ponunt. Atqui ita hominibus animum à corpore abducentibus, solet diuinus spiritus sese ingerere, & gratiis amplioribus eos magis locupletando, eorum animos ad cælestia & diuina mysteria accipienda & intelligenda rapere. Quod sancto vati contigit: ná in ea consideratione constituto, facta est super eum manus Domini, id est, auxilium quoddam rarum, fauor subitus, & spiritus diuinus prophetiæ sibi impartitus est: ob quod factam manum Domini super eú dicit. Diuinum auxilium sæpe sæpius in scriptura manus Domini significat, vt est illud: Emitte manum tuam de Psal.143. alto, & eripe me, & libera me de aquis multis. Et rursus illud: Fiat manus tua, vt saluet me, quoniam mandata tua elegi. Et item illud: Iustus cùm ceciderit, non Psal.118. collidetur, quia Dominus supponit manum suam: & multis aliis locis illustrationem mentis & fauorem dicit. Etsi frequenter item pro punitione capiatur. Sensus Psalm.16. igitur est, facta est manus Domini super eum, id est, cœpit agi spiritu prophetiæ Domini, aut mansit super eum spiritus prophetiæ, vt habet paraphrastes Chaldæus.

Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis.

IN narrationis initio, primum genus loquutionis Domini, seruato ordine propositionis, visionum nempe, prosequitur: sed disce in primis vatis humilitatem. Cùm enim Dominum ad se loquentem, ac secreta sua reuelantem induceret, tantæ celsitudinis se indignum sentiens, & suam paruitatem agnoscens, nomine tertiæ personæ de seipso loquutus est. Quando verò quæ viderat, nobis narrat, fidem prophetiæ indubitatam postulans, auctoritatem prophetæ quam habet assumens, in prima persona inquit, vidi. Quod ergo primo obtutu menti prophetæ obiectum est in hac visione, ventus Typhonicus magnæ vehementiæ fuit, nubes etiam (præ magnitudine) simul mirabilis & horribilis, & ignis in nube sese in flammam attollens, siue inuoluens; qui ita in circuitu eius splendebat, vt tota nubes luce ignea fulgere videretur: in medio sui formam quandá electri, iubaris, siue succini, ignis præterea ipse mirum in modum micantem ostendebat; quæ omnia Hebræis vastationem Hierusalem, & templi, de proximo futuram, portendebant. atque ita per Nabuchodonosorem, tanquam per ventum vehementissimum cum suo exercitu, instar densissimæ nubis irruentem, & veluti ignis vigore conflagrátem, tota ciuitas vastata est, ac templum illud Salomonis combustum. quod Hieremias, cui frontosi Iudæi obstiterant, iussu Domini intimauerat dicens: Ab aquilone pandetur omne malum. Et specialius his verbis: Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius. Et rursus, Ecce ego dedi verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna. Præterea veluti obsidione iam imminéte ait: Confortamini & nolite stare, quia malum ego adduco ab aquilone, & contritionem magnam. Etenim externa bona amplitudo suæ ciuitatis, & templi maiestas erant quæ illi æstimabant, & in quibus

mentis oculos defixos habebant, atque ideo in his Dominus ſua ſcelera & peccata
punire decreuit, vt ſic caſtigati aliquando ſurſum corda leuare cogerentur: ventus
enim turbinis, nubes,& ignis; afflictiones & tribulationes (iuſto Dei iudicio eas de-
cernente) in ſcriptura ſignificare ſolent. Nobis autem Chriſtianis iam ab incuna-
bulis & legis infantia egreſſis, diuiniſque myſterijs, & inſtitutis Euangelij ſacri at-
que Apoſtolorum ſapientia eruditis, hæ eædem res cæleſtia myſteria deſignarunt:
nam incarnationem illam ineffabilem Verbi diuini, qua Chriſtus Ieſus redemp-
Luc. 1. tor noſter ex vtero beatiſſimæ virginis Mariæ factus homo prodijt, à longè ſignifi-
carunt. Etenim ventus vehemens Spiritum ſanctum, cuius obumbratione ſan-
ctiſſima Maria virgo concepit, notat. Eſt quippe aër diuini Spiritus manifeſtum
Ioan. 3. ſymbolum in ſcriptura: Spiritus enim, ait Dominus, vbi vult ſpirat, & vocem eius
Ioann. 20. audis,& neſcis vnde veniat aut quò vadat: Spiritus ſancti gratiam, corda ingre-
dientem, vento conferens. & præuia inſufflatione Spiritum ſanctum diſcipulis
dedit, in Sacerdotes eos initiando: denique ſpiritus & ventus vehemens, aduentus
Spiritus ſancti die Pentecoſtes in corda Apoſtolorum nuntius, præcucurrit. Et iure
quidẽ turbinis ventus,(quẽ vnde profectus fuerit,& quo puncto flare deſinet, ignora-
mus) Spiritum ſanctum, conceptionem Diuini Verbi fabricantem in vtero
Deiparæ virginis, hoc loco præfigurantem agnoſcimus: nam abſque vllo me-
rito & extra omnem humani intellectus cogitationem myſterium id operatum
Exod. 16. eſt. Nubes verò non minus aptè ſuauiſſimæ virginis ſymbolum etiam extitit: Nam
quòd gloria Domini in nube apparuerit; & item quòd Dominus dixerit, veniam
Exod. 19. ad te in caligine nubis: & rurſus deſcendiſſe Dominum per nubem: quid aliud
obumbrarunt, quàm per carnis aſſumptionem, tanquam per nubis medium, ex
Exod. 34. viſceribus beatæ virginis deſumptæ, ad homines docendos & redimendos, aliquan-
do deſcenſurum? Præterea quod regius vates Dauid prænunciauit: Nubes & ca-
Pſalm 96. ligo in circuitu eius: quid aliud præ ſe tulit, quàm futurum, vt latera ſacratiſſimi
vteri virginis, filium Dei vnigenitum circumuallatura? quod apertè Dominus do-
Eccl. 29. cuit dicens. Thronus meus in columna nubis. & tandem Habacuc ſuo cantico futu-
ram incarnationem Domini continens, dixit: Deus ab auſtro veniet, & Sanctus de
monte Pharan. Vbi montem Pharan, id eſt, caliginoſum, & auſtrum, pro nube ac-
18 De ci- cipit; quia ipſo flante coaleſcit iuxta interpretationẽ diui Aug. & appoſitè ſatis mater
uitate dei. Domini per tropum nube deſignata fuit: nam congruit maximè, vt receptaculum, fi-
c. 23. lium Dei in mundum deſcendentem, excipiens, nubis nomine ſignificaretur, quæ
eidem Domino in cælos aſcendenti, vehiculum ſe præbuit, cum ab oculis Apoſtolo-
Actor. 1. rum ſuſcipieus. ignis verò luce ſua nubem colluſtrans, eiuſque circuitu ſplendens,
Deum ipſum, diuinamque ſuam eſſentiam refert, ob innatam lucem, eiuſque mi-
ram efficaciam. Quod & Moſes docuit dicens. Deus noſter ignis conſumens eſt: &
Deut c. 4. Dauid item, In conſpectu eius exardeſcet ignis. Quod & Moſes ſanctus longe
Pſalm. 49. antea expreſſerat, dicendo; Erat autem ſpecies gloriæ Dei quaſi ignis ardens & ite-
Exod. 24. rum, Eò quòd deſcenderit Dominus ſuper eum in igne: & ad hæc, Apparebat eis
Exod. 19. per noctem in columna ignis. Erat equidem in B. virgine, mirũ in modũ ignis eius
Exod. 13. viſcera flagrans, Deus ipſe abſumens, atque in ſe conuertens. ſecundum quod eidem
angelus nunciauit congratulans dignitatem, cùm dixit: Dominus tecum. Vnde &
diuinæ virtutes foras reſpicientes, in circuitu eius diuinitùs ſplenduerunt; ita vt
cunctum orbem ſuo lumine colluſtrarint,& vi ſua vniuerſos homines in admiratio-
nẽ virginis,& beneuolentiã, vel inuitos rapuerint. Electrum verò, iubar aut ſuccinũ
(quod teſte Plinio, cùm igneum colorem refert, ſplendidius & pretioſius eſt) Chri-
Lib. 37. c. 2. & 3. ſtum in medio ignis, ac nubis, ex natura humana & diuina conſtantem, in ſacratiſſi-
mo virginis vtero agentem, ſignificabat. Nulla enim alia re Verbum Diuinum caro
factum oculis hominum appoſitius commendari poterat, quàm gemmæ pretioſiſſi-
mæ obiectu, quam in ſui vſum, ad vitæ commodum, & decorem, cæteris rebus ho-
Exod. 28. mines præferunt. Gemmæ enim illæ, quibus veſtis Aaron in lege colluſtrata erat,
Chriſtum Dominum ſummum Sacerdotem, eminentis ſcientiæ & ſplendoris præ
cæteris, atque chariorem & pretioſiorem omnibus mundi rebus habendum, aptiſſi-
mè figurabant. Vnde & ſuos apoſtolos gemmis alijs & pretioſis lapillis aſſimi-
lari voluit, vt cẽmẽto templi Salomonis, quod duodecim lapidibus pretioſis innixum
fuit:

fuit & itē in fundamentis ciuitatis,quā vidit S.Ioannes,duodecim lapides pretiosos etiam substratos conspexit, quibus duodecim Apostolos significatos, omnium doctorum sententia,legimus; Apoc.21. nimirum ipsum Christum Iesum Dominum nostrum, lapidem angularem pretiosissimum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo verò electum, vt inæstimabilem gemmam colentes & venerantes. Cui etiam suffragatur, 1.Petr. 2. quod Ecclesia resurrectionis Dominicæ festa celebrando, cælestem margaritam sepulchrum reddidisse canit; ipsum Christum Dominum margaritam appellans. E 2 Aug. Quod in hoc & alijs scripturæ locis lapidi pretioso,mille cælaturis ornato,comparatur. Verum obuius occurret iam diligens lector dicendo, minimè opus totum misericordiæ plenū, quale incarnationis mysterium est,iudicio, flagello,& supplicio Hierosolymitanis finibus, ob incolentiū scelera illatis, quadrare: minusque aptè, expositionem positā textui, & rebus gestis in depopulatione vrbis Iudæorū conuenire. Attamen si perspicaciùs contempletur,non repugnare,sed sensum positum,rem ipsam vocare planè videbitur.Nam bellū vtrobique est,& in vastatione Hierusalem, & redemptionis humanæ operatione, diuersa tamen ratione: quippe illud corporale, hoc autem spirituale; & illud ad punienda peccata,hoc autem ad destruendum corpus peccati, & ipsius principem euincēdum, diabolum scilicet, cum fautoribus suis, & mundum dammandum, destinatum est. vnde Ioannes de dispensatione sui Ioan.12. aduentus in carne disserens,ait; Nunc iudicium est mundo, nunc princeps huius mundi eijcietur foras; atque ita indictionis huius belli per vnigeniti filij Dei incarnationem, Daniel. 8. & 9. Archāgelus Gabriel (qui ecclesiæ prælijs præfectus est) nuntius & legatus extitit. Quapropter vtrobique alia,atque alia ratione, veritatē & misericordiam se deosculari, sicut vtrobique etiam rationem militiæ & belli inuenies ,si impensius rem consideraueris. Accedat etiam,quòd Hasmal dictio Hebrea,quam noster Interpres electrum transtulit, nomen est Angeli vt quidam astruxerunt.

Et in medio eius similitudo quattuor animalium, & hic aspectus in eis, similitudo hominis in eis, & quattuor facies vni, & quattuor pennæ vni, & pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.

VIS videre quantam stragem vrbs Solymorum à Chaldęis passa sit? exercitus magnitudinem,robur ac sagacitatem & industriā ad bellandum contemplare. Nam ita instructus inuasit, vt nihil quod militaris ars requireret, ad opus suum peragendum defuerit: quare de medio ignis egredi & numero quattuor animalium, qui quadratus est,à propheta videtur.Constabat enim ex hominibus ita industrijs, quod aquilis velocitate,leonibus fortitudine,& bobus laborū sustinentia in visione æquiparatur; qui & tanta rursus dexteritate arma exercent, quum vndequaque ad discurrendum quò vellent,faciem, & ad offendendum manus; & alas ad se protegendum,atque ad insectandos hostes velociter, & pedes item ad quoquò versus stationē suam seruandam, habebant. Vide si ignis vim & efficaciā ad absumendam Iudęorum terram, manus hæc bellatoria trahebat? Tot præterea cursus exercitum comitabantur,vt alios alijs superpositos, speculator qui adesset, videre sibi videretur. Qui tanto etiam ordine partem præeuntem militum obseruarent, vt in statione seruanda, & aggressu, eos sequerentur: & tanto etiam robore & fortitudine ad quamuis loci positionem pugnabant,vt rota rotæ per mediū intersecta videretur, & ad quam vellet partem conuersus currus, absque reflexione conspiceretur: & denique, vt Iudęi intelligerent,non casu aut fortuna (vt suspicantur Gentes) sed omnipotentis Dei nutu ac voluntate,ad vlciscenda peccata,& in sui populi correptionem, vt à vitijs & sceleribus vltricem hanc manum sic instructam,ac immissam esse, temporis commoditatem per firmamentum crystallo simile (quod non parum ad actionē bellicā agit) enarrat;& irruentis exercitus strepitū, innumeris populis cōcrepantibus,& sublimis Dei vocibus,id est,terribilibus tonitruis,tēpestatis tempore assimilat;& tandē iussui Domini obtemperantes,totā rem Chaldæos agere dicit,& hæc sunt primū,quæ literæ cortice Spiritus sanctus per sanctū prophetā innotescì voluit in toto hoc capite. Verùm quattuor Spiritus sanctus per prophetam tanquam per organum, à longe prospiciens diuiniora depingere intendebat, subobscurius

& per ænigmata quædam, exercitus magnitudinem & ferocitatem attigit, ad altiora & sublimiora stylo properans. Nam verba ipsa, etsi non aliud quàm exercitus Chaldaici furiā significarēt, res tamē ipsæ quibus magnificatur, à Spiritu sancto assumptæ fuerunt ad ecclesiæ exercitum decernendum, qui post Christi redemptoris nostri ad cœlos ascensum, contra principes tenebrarum, vniuersa idola & ritus gentium vastaturus erat: leges & sanctiones mundi, vt doctrina Christi, & vera religionis fide, in toto orbe abrogaturus. in quo negocio adhuc Ecclesia catholica sponsa Christi posita est, & vsque ad finem seculi perdurabit. At censebis forsan nouum, Dei ecclesiam exercitum appellari? Sed attende quid de ea angeli mirantes dicant: Cant. 5. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Vbi castrorum aciem vides appellari. Genes. 32. & Patriarchæ Iacob, nomine castrorum, ecclesia fuit in spiritu ostensa, cùm ad sui tuitionem occurrentibus angelis dixit, Castra Dei sunt hæc. Item D. Paulus Ad Ephes. 6. nomine totius ecclesiæ, membrorumque eius idem asserit, dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Huius igitur cælestis exercitus aciē præuidens, primo loco eius duces & imperatores (qui omnes Apostoli sunt, successoresque eorū Episcopi vsque ad mundi obitum) nomine quattuor animalium, per quæ quattuor Euangelistas prædicationis Christi ac Euangelij cælestis Scriptores intelligit, miro modo depingit. In primis ergo hos de igne egredi dicit, quia auctoritate Christi redemptoris nostri missi, & instructi, post eius mirabilē ascensionē (quæ in nube illa splendida, & ignea, tanquā in vehiculo facta fuit) manus & digitos post Spiritus sancti aduentum, ad bellum admouerunt prædicatione Euangelij: sicut à maiestate & potentia Nabuchodonosor regis, corroboratus, & munitus ad præliandum contra ciuitatem Iudęorum, & Chaldęorum exercitus processit. Deinde, eorum habitum, ad legitimè pugnam cum diabolo, eiusque militibus exercendam declarat, quattuor animalium munitionem enarrans. Itaque hæc quattuor animalia sic disposita, menti prophetę ostensa fuerunt: quod primo obtutu, & è regione ipsius, facies hominis referebant, etsi eorum quodlibet quattuor facies, quattuor alas, & totidem manus atque pedes habeat. quæ omnia hoc ordine disposita apparuerunt; quòd pedes rotundi ostendebantur, in orbem tibiam finientes ad modum vituli, vt ad motum quoquò versus æquè apti semper inuenirentur. Et rursus, fissos eos habebant, qui firmius terrę figuntur: quoniā sacri viri designati, & agro Euangelij excolendo per fidem firmissimè adhęsuri erant, & veteris instrumenti litteram ab spiritu strennuè distincturi. In altero verò extremo, in capite scilicet oculi tanto lumine fulgebant, vt scintillæ æris candētis viderentur: corporis autem organa & membra sic locata erant, quòd intercalariter sub vna ala, vna hominis manus constituebatur per circuitum cuiusque animalis, ad quattuor loci dispositas positiones antè & retro, dextrum & sinistrum respicientes: nam ad quamque partem ex æquo mobilia & operatiua, hæc animalia aderant. vnde & quattuor facies ad præfatas dispositiones constitutas habebant, vt quò vellent, absque corporis conuersione, & reflexione, se agerent ac mouerentur. Atqui quando actionibus & operationibus hæc animalia disponebantur, facies quattuor, quæ actionum vitæ directrices existunt, inter alam & alam, è regione manuū in loco sublimiori repræsentabātur: oportebat enim motus directiuum principium externum, cum alis & manibus (eiusdem motus organis, & instrumentis) simul ostendi. Alas autem officia sua exercentes propheta vidit. Nam duabus quodlibet animalium corpus proprium tegebat, ac tuebatur; alias verò duas extentas ad volandum habebat, ita tamen, vt omniū animalium extentę alæ secundū summitates se inuicem contingerent. & tandem prudentiam, sagacitatem, & discretionē horum animalium in suis functionibus ostendit; cùm aspectus eorum similitudinem carbonum, aut titionum ignitorum, & flammas emittentium instar facium referre dicit. Oculus enim prudentiæ symbolum est, qui in eo quòd ignitus dicitur, iudicium acre & efficax asseritur. Quia tamen omnium idem erat indicium, idemque signum, ex singulorum luminibus incendium maximum & ignis ingens, ad eorum quodque discurrebat, ita splendens in medio animalium quòd fulgur ab

eo vi-

eo videbatur egrediens: & simul curam & diligentiá sic munitorum animalium aduertit, dicendo: ea reuerti cum ambularent, instar fulgoris coruscantis. Etenim ea agilitate ad opus properabant, cum ad functionem hanc vel illam, ad quas mitterentur, exercebant, quod ea absoluta, & exactè gesta, omni promptitudine ad quamcumque aliam, quæ instaret, ad signum suum primum pertinens, tanquam si nihil egissent, se conuertebant. Et hac ratione dicit hic, animalia reuerti cùm ambularent, quod prius eisdem negauerat: quia cùm ad opus accingebantur, non cunctanter huc atque illuc aspicientia id obibant: sed strenue & recta via gradiebantur. Quæ hìc a propheta enarrata sunt de exercitu Chaldæorum, suam terram deuastante, Iudæi luce clarius cognouerunt; nam, quæ de hac re hic sub obscuris ponuntur, distinctè & planè satis Hieremias multis in locis prænunciauerat: nunc leoni, nunc aquilis, nunc igni voracissimo Nabuchodonosor cum suo exercitu assimilans. sic enim ait hanc rem denuntians: Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit, vel profectus est, vt habet fons Hebræus. & infra Velociores aquilis equi eius, væ nobis. & recensitis populi scelenbus rursus ait: Idcirco percussit eos leo de sylua. & iterum: Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis, & ad pulchritudinem robustam, quia subito currere faciam eum ad illam. & tandem facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: ideo odiui eam. Itaque his, peruium erat Iudæis, quod propheta e proximo suæ genti euenturum nuntiaret. Quia tamen margaritæ nunquá porcis proijciendæ sunt, diuina mysteria altiori stylo & diuiniore quodam ænigmate, vt maiores tantum, & qui in lege instructi, possent capere, capetent, proposuit. Nobis tamen Christianis & fidelibus, quibus Christus Iesus redemptor noster, legis ænigmata & suas parabolas exponere dignatus est, primum scripta fuerunt. quod testatur B. Petrus dicens: De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tépus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, quibus reuelatum est, quia non sibimetipsis, nobis autem manifestabant, ea quæ nunc nunciata sunt vobis Spiritu sancto misso de cælo: nobis, inquit, manifestabant, quæ scilicet illis sub velamine posita fuerunt. Dicendum ergo est, quod de proceribus, & primoribus Ecclesiastici exercitus, Spiritus sanctus hoc loco prænunciet: namque de quattuor animalibus per quæ sacros Euangelistas intelligimus hic dicit, de Episcopis, doctoribus, & verbi diuini annunciatoribus, atque ouilis Domini rectoribus & custodibus, dicta haberi voluit. Cui maximè suffragatur, quod infra de hac eadé visione differens Propheta, Cherubin hæc animalia appellat & facies hominis, aut adolescétis, vbi nunc facies vituli, quod seipsum explicás propheta, ponitur. Vnde quidá ex Hebræis opinátur, horú animaliú vult⁹ humanos esse. referunt tamé ea animalia quodammodo, quorú nominibus hic nuncupantur. Cui sententiæ patrocinatur satis B. Ioann. Ecclesiæ vniuersalis Episcopos angelos appellans, quæ hic dicit propheta, sanè interpretando. Vtcumque tamé sit, siue hominú, siue animalium brutorú vultu apparuerint, eorú mores, condiciones, & curæ in suis officijs describuntur. & inprimis animalia dicuntur, quia vitam, fide & religione Christiana à Deo acceptá, in alios suo labore diffundere, curare, & custodire debét: perinde atque animalia suis functionibus, humanæ vitæ necessaria subministrant. Eo aút ingenio pollere insuper, vt mites leones se exhibeant, ob quod facies hominis in eis primò apparuit: & quia primum, honoré, & gloriá Dei quærere debuissent, ad cuius imaginé, & similitudiné homo códitus est. habét deinde facies leonis, bouis, & aquilæ, quia fortitudiné leonis in sustinédis aduersis, & bouis patientiá in laboribus, simul & vtilitaté, pro lucrandis fratribus in administratione verbi Dei; atque aquilæ celeritatem, in functionibus suis explendis, præstare debebant. Quamobré ita facies dispositæ erant, quod in vniuscuiusque animalis dextra positione, facies erat leonis, vt bona Spiritualia omni animi robore amplecterétur, quę dextera Dei designátur in scriptura, quibuscúq. aduersis calcatis. Ita enim de his loquitur sponsa: Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. & Dauid: Delectationes in dextera tua. & Ecclesiasticus, Cor sapiétis in dextra. in sinistra verò facies bouis locatur, quia lucra & cómoda fratrú in fidei institutione, quocunque superato labore, procurare incumbebat, per comparationem ad bona temporalia: quæ sinistra Domini significantur,

(Cap. 4.) (Cap. 5.) (Cap. 50.) (Cap. 12.) (Mat. 7.) (1. Cor. 2.) (Epist. 1. c. 1.) (Cap. 10. & 11.) (Apoc. 2.) (Cantic. 2.) (Psalm. 15.) (Eccles. 10.)

& magno cum labore acquiruntur. Antè autem, faciem hominis oſtendebant quia cùm Dominus faciem ſuæ præſentiæ, diuinique ducatus præſentauerit, ita virtutes eius, virtutumque ſtudia eximia præ oculis ſemper habere debeat, vt quod ſigno vultus pollicentur, opere præſtent, & exhibeant. Cum vero Dominus continuerit manum ſuam, & in terra inuia, & inaquoſa abſque guſtu, & Spiritus ſuauitate, ſuum [Psalm. 62.] aſſeclam reliquerit (hæc ſiquidem retto poſitione, cenſentur, quandoquidem Dominum tunc & oculos & faciem in ſcriptura auertiſſe dicitur) eo tempore velocius & maiori animi impetu, inſtar aquilæ ſumma agilitate volantis, iniunctum opus, & prouinciam exercere, & ad finem diligentius ducere oportet. Vnde, cum animalia ambularent, non reuerti dicuntur: quoniam non aſpiciebant retro, ſed ibant perpetuo greſſu, quò cœperant. Conuenit enim ſtrenuum militem Dei in annuntiatione, [1. Ad Cor. 7.] & completione diuini verbi, & in vocatione qua vocatus eſt, ſtudioſa cura permanere: [Luce. 9.] quia nemo extendens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Atqui quoniam artificis ingenii eſt, ſuæ artis inſtrumenta requiſita, eademque ad opera aptiſſima ſemper habete, ducum, & cuſtodum Eccleſiæ, vti diuinorum artificum, organa ſui operis deſcribit. Etenim virtutis, & Chriſtianæ vitæ inſtrumenta, corpus, corporiſque membra exiſtunt. Curæ ergo eſſe debet Chriſti militibus, ad ſui officij opus ea ſemper apta & diſpoſita habere: ſed maximè his, qui huius diuini officii architecti ſunt, quos Spiritus diuinus hic armat & munit. Quattuor igitur alis, & totidem manibus, & pedibus, horum quodque animalium incedebat inſtructum. Quod homo manus habeat, naturale eſt· verum alatum hominem videre, mirabile & ſupra naturam eſt, & ita ſe res habet, quòd opera, actiones, & vitę actiuę, exercitia virtutũ, quibus Chriſtianus intendere debet, con innata naturę ſunt, & rationi conſentanea, imò & talia, quòd ea ad ſui abſolutionẽ & perfectionem requirit, & poſtulat: Attamen fides, ſpes, charitas, e quibus tanquam e radicibus Chriſtiana vita naſcitur & progreditur, diuinæ res, & ſupernaturales exiſtunt: vnde, cum actiones, quæ Deo placere debent, & cæli faſtigia promereri, ex his fontibus pullulare oporteat, alatos Eccleſiæ duces, hîc Spiritus ſanctus oſtendit: qui ſimilis formæ, cæteros allicere prædicatione diuini verbi curare debent. Duabus autem alis velabant corpora ſua: pœnitentia nempe, præterita deteſtando, & mortificatione, atque vindicatione corporis, futura cohibendo peccata. Illa etenim Dei amicitiã nanciſcitur, hac verò cõſeruatur, & male acta vindicãtur. Sic enim proprios affectus, & carnis inſultus poſtponere, & ſpernere debemus, ſtudioq; harũ diuinarũ virtutum cõprimere & frænare, quibus docendi munus incumbit: id quidẽ, quod ſilemus, nec in publicum prodire ſinimus, contegere dicimur. Duabus verò alis volabant, & ſecundum ſummitates, mutuo omnium animalium extentæ alæ ſe contingebant· quorum illud, fidem & charitatem integram in Deum; hoc vero earundem virtutum in ſanctis Euãgelij annunciatoribus concordiã & aſſociationẽ quibus eadem mens, idem animus in vnitate doctrinæ, idem velle & idem amor, quo ſe mutuò amplectebantur, ſignificabant. Pedes deinde abſque poplitibus habebant (vt quoquò verſus præparati ad motum) promptitudinem ad quattuor orbis partes diffundendi verbum Dei poſſeſſuri erant. & inſtar vituli inſuper: quoniam vt fortiſſimi duces perinde ac boues firmiter eos fixerunt, pro gloria Domini diuulganda, [Hieron. epiſt. 13. ad Aug.] contra omnia aduerſa, omni periculo ſe exponentes: bos enim laſſus, fortius figit pedem. Pedibus etiam ſollicitudinem Euangeliſtarum, & Apoſtolorum, in prædicatione, & publicatione Euangelij, & alacritatem ſimul, qua excipiendi erant, ſignificabant. Nam perinde populi, ad quos peruenerunt, ſua prædicatione lætati ſunt, vt qui perditi, & in faucibus mortis poſiti, eos excipere ſolent qui aliunde & inſperato venientes, ſalutem ipſis afferunt: vt Euangelicus ille vates prædixerat, dicens: Quàm [Esai. 52.] ſpecioſi pedes annunciantium pacem, euangelizantium bona. Vnde quoniam doctrina cæleſti vndique fulgebant, & vita inſtar æris perpoliti, aut igniti, ſcintillas & fulgorem mittere hæc animalia e pedibus (partẽ pro toto accipiendo) videbantur. Ad [Apoc. 1.] quem locũ viſus eſt alludere diuinus Spiritus, cũ per B. Ioann. Apoſtolum, pedes filij hominis in ſimilitudinem æris candentis micare oſtendit. Quoniam verò per facies horum animalium, docuit virtutes, quibus ſancti, & electi Dei tales ſe exhibuerunt. ſub eadem quadruplici intentione hæc quattuor animalia, ipſam ſacram ſcrip-

scripturã aptè satis Rupertus facit: imò & ipsum Christum Iesum, quẽ natum, vt verum hominem, fortem vt leonem, contra diabolum, & vitulum electum & saginatum, oblatum pro nobis, & resurgentem vt Deum, & denique ascendendo in cælum, volantem vt aquilam ostendit. Itaque ex ipsa scriptura, & ex Christo in ea demonstrato, tanquam ex fonte illo paradisi terrestris quatuor flumina, omnia ligna paradisi, id est, electos ecclesiæ irrigantia, prodeunt.

Lib.2. sup. Gen. c.28. & super Math. lib. 12. fol. 144.

Cumque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies. Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: & vna similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rotæ. per quatuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur cùm ambularent. statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.

MVLTITVDINEM fidelium sequentium primos duces, in hoc cælesti exercitu ecclesiæ catholicę hoc loco vidit sacer vates. Occasio autẽ & figura visionis ex curribus tam crebris, exercitum Chaldæorum Hierosolymam impetentem, comitantibus, sumpta est. Etenim multitudo populi Christiani, sacros Euangelistas, Apostolos, eorũque successores episcopos, & sacerdotes, in puritate & synceritate veræ fidei sequẽs, perinde ac frequẽtes currus Babylonici, ductores illius exercitus insectãtes, in militiã pro Christi gloria aduersus diabolum, eiusque fautores, mundum & carnem, instructa est. & quem ordinem ad ecclesiæ proceres habere debeat, Spiritus sanctus per vatem annunciat. Atque in primis, in loco demissiori & humiliori plebs cõtenta esse debet, vitę actiuę pro cuiusque officio & statu ad gloriã Dei vacans: dum prælati, & ecclesiæ pastores vitam contemplatiuam agentes, oratione, lectione, prædicatione, & gubernatione, eorũ vtilitatibus & cõmodis spiritalibus & tẽporalibus inseruiũt. Ob quod vna rota super terra ostenditur prophetæ, sed iuxta animalia, quæ sursum & in aëre ostẽsa fuerũt. Et cùm essent quatuor rotæ (vt cap. 10. dicitur, cuiq. animalium sua rota correspondens) vna quatuor facierum dicitur: quia in vnitatem fidei, quam pastores Ecclesiæ docent, sequentes quatuor Euangelistas, & quæ Apostoli tradiderunt, omnes coalescunt. Color autem qui rotam ostendebat, maris esse dicitur, aut tharsis lapilli, vt 70. transtulerũt: quẽ Aquila hyacinthum interpretatus est. Attamen siue aspectus rotæ & staturę, aquæ maris, siue hyacinthi similitudinem exhiberet, vtraque res, teste Hieronymo, colorem cæli imitatur: rotæ enim claræ, transparentes, & perspicuæ erant, charitatis ignes, & claritatem qua fideles ardere, & sibi mutuo splendore virtutis lucere, suamque fidem operibus ostentare (vt B. scribit Iacobus) debeant, commonstrantes. Situs rotarum talis erat: vt rota esset in medio rotæ, perinde ac circulus circulum intersecat. quod eandem fidem populi Christiani, & illius antiqui Israëlis significat, hinc similitudine ducta; quòd nouum testamentum in veteri interclusum (vti nucleus in cortice) latuerit: ex quorum doctrina integra fides constat. Vnde quia Euãgelium gloriæ Christi Iesu Domini nostri, ex veteri euisceratum est, canticum nouum sæpe à Dauid, & alijs prophetis (teste diuo Basilio) nominatum est. Motus illico describitur rotarum secundum suas quatuor facies, quibus secundum quatuor loci positiones, agi successiuè conueniebat: verùm quemcunque arriperent, non reflectebantur, siue, non reuertebantur, vt habet textus. in quo populum Christianum Spiritus sanctus notat, ad quem etiam quatuor motus sub obedientia, & subiectione prælatorum (in Concilijs definientium, Spiritu sancto suggerente, quæ ad veram & integram fidem spectant, & quæ ad gubernationem rectorum, ministrantium) viuere secundum virtutem, fidem, spem, charitatem, & virtutes morales cum fauore & auxilio numinis exercendo: quæ bona, manus dexteræ Dei sunt: sicut bona temporalia ad sustentationem vitæ propriæ, domus, & reipubl. læuæ: legitimo studio procurare attinet. Ita enim ista, & illa dona dispartiuntur sancti Doctores, exponentes sensum sponsę in canticis: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: vt supra retulimus. Quia tamen in confessione Christianæ fidei nunquam deficere, nec cunctari debet, sed constanti perseuerantia viam mandatorum Dei currere, vt peccatum vitet, & ab admisso, si contigerit, per pænitentiam resurgat, non reuerti hæc animalia dicuntur. hac enim

Cap.2.

enim ratione in cultu integræ fidei constanter iter agere , & ad finem vsque Matth. 10 perseuerare opus est, vt sententia Domini , quis saluus fiat . Ante etiam , & retro similiter vt animalia mouebantur, rotarum habitus sic se habebat,quòd staturá, siue magnitudinem ingentem, & altitudinem tantam præferebant , quòd aspectus earum stuporem, & timorem incuteret : & rursus corpus, siue tergum aut dorsum, vt alij volunt , ita luminibus distinctum , quòd plenum oculis se ostendebat . quæ populi Christiani robur, ad sustinenda, & toleranda iussa prælatorum & superiorum cum omni obedientia;ac deinde dignitatem & excellentiam in integritate Christianæ vitæ, & ostensione suæ fidei in exercitio virtutis significant : vt improbi omnes pudefacti & territi ,eius conspectum refugiant · & horribiles ita sint gentibus in simplicitate cordis,& sine querela ambulantes in medio nationis prauæ,vt inquit Paulus.Et tertiò insuper fidem veram eiusdemque prudentiam cuiusuis fidelis , & qua contra seductores hæreticos prauosque homines, & aduersus importunas inimici insidias,& machinationes , continue armatus incedere debet , potissimum præfigurabant. Atque eandem Christianam plebem vita,& moribus (vti simiam homines) proceres,& primarios Ecclesiæ duces sequi declarat,vt quanta attentione viuere debeant, Spiritus sanctus admoneat. Etenim (Christo redemptore nostro dicente) Matth. 5. Lux sunt mundi, qua eius tenebræ ignorantiæ , & errorum excutiendæ sunt : & sal item , quo aliorum opera & actiones perinde, ac insuaues epulæ, condiantur, & sapidæ fiant. Et iure quidem optimo; quoniam eadem virtute & vitali spiritu,à capite in totum corpus,& cætera membra deducto,omnia vegetantur,nutriuntur, & augentur: vnde pariter corpus cum membris suis infirmari, quando caput languet, & contrà valere,quando valet ac viget,planè colligitur. Similiter ergo in corpore isto mystico Ecclesiæ , cùm lux fidei offuscatur , aut sal integræ vitæ maiorum & custodum (qui capitis vices gerunt) euanescit,in subditis & populo obtenebratur fides,& vita simul torpet , & infatuatur. Vnde tot hæreses in ecclesia Dei, tamque importunæ nostris calamitosis temporibus, subpullularunt . Quapropter apposite diuinus vates,ad incessum, volatum,seu eleuationem,& ad stationem animalium , etiam rotas incedere , eleuari,& stare dicit.ea siquidem gubernacula vitæ continent;quando vita contemplatiua eleuantur ,vt temporibus Apostolorum & proximis, florenti etiam statu & genere vitæ,ad viam maximè Spiritus colendam,populus subuehebatur. Cùm verò prosperè , & feliciter & in vita actiua, & officijs virtutum, vt temporibus succedentibus post aureum illud Apostolorum sęculú,Ecclesiæ duces agebant; idem genus vitæ, virtutis cultu, & exercitio, populus imitabatur.Pòst verò æs & ferrum (refrigescente charitate) dominari cœperunt , sæcularibus rebus sacerdotes,& maiores in republica Christiana plus nimio se implicantes , qui Deo strenuè militare debuissent: steterunt illi sanè gelu & frigore peccati,vt in plurimum coacti quapropter & populus stetit, nec gressus virtutis & iustitiæ, in vita Christiana facit . Et vtiná quidam ex his, qui lucem & salem cæteris præbere debuissent,captiuitate peccatorum ducti, & sathanæ lenocinijs acti , lumen fidei (ex hoc quod steterunt) non amisissent.Sed proh dolor,ita exoculati quidam sunt , quòd à tenebris comprehensi nesciunt quò vadant;atque inde in magnos populos,& prouincias virus variarum hæresum,auctore dæmone , diffusum est. Quod miseranda hac ætate continuis lacrymarum fontibus lugendum est . Verùm attende Euangelij sacri vim , & dignitatem : Nam quocunque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum :Spiritus, inquit, vitæ erat in rotis. Quod est dicere: Quocúque perrexit Christi Iesu Euangelium ore Apostolorum Euangelistarum , & in eorum functionibus succedentium , non lucri ambitus, & ditionis cupiditate,sed diuina sua, & natiua synceritate, & puritate prædicatum, suam vim & efficaciam exercuit: & ad sui receptionem,amplexum , & venerationem , cunctas orbis partes , gentes siue Iudeos prospexeris,sponte sua & suauiter rapuit . Spiritus quippe vitæ erat in rotis, populi nempe Gentilis & Iudaici : nam Iudæorum populus lege gaudebat Ad Gal. 3. scripta , per angelos suos à Deo reuelata ,& manu Moysis eidem data & intimata . quæ etsi in cortice hispida & rudis esset,& terrena,(vnde & rotæ similitudinem subijt) intus tamen cælestia mysteria, & Spiritum vitæ, népe Euangeliú continebat: & gentium rursus populus,lege naturali (in ipsa conditione cordibus hominú insita) potie-

potiebatur: hæc autē Euangeliū non continebat; legatione tamē eius fungebatur, & lucē eius gestiebat, cuius luminibus illustraretur, & veritate perficeretur. nihil enim Dei Euangelium legi naturali aduersum docet: multa tamen, quæ totis neruis extentis, neutiquá ipsa attingere potuisset; quare supra naturá sunt, quia ea nancisci sua imbecillitate non poterat: non autē contra; ex qua etiam ratione non immerito comparatur. Igitur quoniam Euágelium, vt spiritus vitæ, in scriptura veteri continebatur, & à lege naturali desiderabatur, vtriusq. legis cultores, illi tanquam in ius suum ingredientes, isti tanquam mutuata gaudentes, ipsum prædicatum, votis omnibus, veritatis studiosi amplexati sunt. & ita quocunque ibat spiritus, pariter eum sequebantur non coacti, nec violentia illata, sed sponte sua, quia spiritus vitæ erat in rotis; id est, quia vterque populus suo modo quilibet, vt explicatum est, eius doctrinam, & lucem vestigiabantur. Atque vtinam synceritas & puritas prædicationis Euangelij, quá hîc Spiritus sanctus vaticinari voluit, in toto orbe Indorum obseruaretur, lucro quouis cessante, & cum damno, bonorū corporis & fortunarū pro gloria Dei emergente. ò quàm aceruatim vndique populos ad lucem Euangelij currere videremus! Sed interim, quod hoc non fit, rogemus patrem luminum, à quo omne donum op- Iacob. 1. timum, & perfectum descendit, vt suum lumen, diuiniq́ue sui spiritus dona omnibus impartiri dignetur: vt prædicatores, qui ad id muneris deliguntur, quæ agenda sunt, videant; & ad agenda, quæ viderint, conualescant.

Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ eorum erectæ alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur. & audiebam sonum alarū quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum. Cumq́ue starent, mittebantur pennæ eorum. Nam cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.

VIDIT propheta hac tertia parte visionis, vnde regimen, & moderatio animaliū, siue ecclesiæ custodum pendeat, & tota beneficiorum gratia procedat. Atque etiam Christi redēptoris nostri maiestatem in vltimo iudicio cōmissorū talentorū, & gratiarum omnium rationem exigentem. Dicit ergo quid firmamento simile apparuisse, extentum super capita animalium, & speciem referens crystalli horribilis. Etenim, vt cœli extentione vita corporalis regitur, clementia conseruatur, eius luce & claritate prouehitur, & per sua incremēta graditur: ita Christi Iesu Domini nostri gratia, vita spiritalis, & officium pastorum à tempore Apostolorum, & Euangelistarum, contra inimicorū importunitatem protegitur, eius specialibus auxilijs & gratijs dirigitur, & gubernatur, & sub ministratione doctrinæ cælestis Euangelij sancti. itaque cęlesti pluuia, & splendidissima luce augetur & conseruatur. Verùm attende tantam esse claritatem, & lucem cælestis doctrinæ, ac diuinæ sapientiæ, vt super omnem humani intellectus captum euolet. Quapropter & ad visionem claritatis crystalli stupebat propheta; vt Abacuc à magnitudine rei ostensæ, nempe incarnationis domini- Cap. 3. cæ, aliquando expauit. vnde alarum corpora protegentium, & volatui seruientium, hîc rursus meminit: earum siquidem moderatio, & regimen, sicut cęterarum actionum, & functionum, nō Apostolis & euágelistis ex se & sua vi inerat, sed ex cęli gratia, firmamenti protectione significata. vox item Apostolorum, & Euangelistarum, verbum Euangelij sancti prædicantium, sono aquarum multarum, & tonitruis item magnis, quibus Dominus homines indulgentia rerum naturalium obsurdescentes, ad terrorem, & timorem excitando alloqui solet, iuxta illud: Et intonuit de Psal. 17. cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis. Et tandem strepitui castrorum in depopulationem alicuius regionis irruentium, comparari in scriptura solet. Prima comparatio, multitudinem populorum credentium significauit: ita enim diuus Ioannes Euangelista hunc locum interpretatus est, aquas mul- Apoc. 17. tas populos multos appellando. secunda verò admirationem gentium, qua stupe factæ ad ecclesiam Catholicam, Euangelium Christi recipiendo, confugerunt. &

denique tertia, vim & efficaciam diuini verbi: quia nulla alia re magis potuit explicari officium prælatorum, & prædicatorum deinde vidit facer propheta, quòd duabus rebus potissimùm absoluitur, prædicatione nempe & oratione. Vtique intelligentia diuini verbi, meditatione & consideratione vti intellectus manibus indagatur, oratione acquiritur, & acquisita aptè disponitur, proficueque disseminatur. Quare cùm starent animalia, vox, inquit, super firmamentum audiebatur: quia orationis voces ad Deum ascendebant, vt suis operarijs vigorem, populis obedientiam, & aptos culturæ animos, ad iustos fructus percipiendos, præstare dignaretur. Sed attende quòd animalia non solùm stare dicuntur, cùm scripturam sanctã legunt, verbum Dei ruminant, cibumque alijs gratũ in se condiunt, & simul ad exercendũ officium spectantia instrumenta sua parant: verùm etiam quando non mittuntur, ad Heb. 5 itidem tacent. quia nemo assumit sibi honorem, nisi vocatus à Deo, vt Aaron.

Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis saphyri, similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. & vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus per circuitum eius, à lumbis eius, & desuper: & à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut aspectum arcus, cum fuerit in nube, in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum.

IVDICIVM illud tremendum in vltimo mundi habitu, hîc vidit propheta. Etenim incarnationẽ suam, mortem, & resurrectionẽ suam, insuper doctrinam, suos euangelistas, apostolos & prędicatores, tanquã talenta cœlestia Dominus hominibus crediderat. oportuit ergo, definito tempore, vniuersalem rationem eorum exigere: Quapropter figura quadã enarratis suprà talentis, reposcendam omniũ esse rationẽ sub obscura delineatione statim vidit. Impletis siquidem nationum temporibus, quibus calcabitur Hierusalem, hoc est, Dei ecclesia, à gentibus, vt inquit S. Lucas, veniet Lucæ. 21. Dominus cum potestate magna & maiestate: explicans sanè hunc locum. Nam similitudo hominis, quæ aspectui prophetæ hîc se obtulit, Christus redemptor noster est; cui tradita est potestas iudicium facere, quia filius hominis est. Et iterum, Data Ioann. 5. est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. vnde in throno saphyrino sedẽs ostenditur: in quo maiestas iudicis indicatur. thronus enim lapillis pretiosis elaboratus, opulentiam, auctoritatem, & seueritatem sedentis notat, vnde & nomen accepit. Omne enim quod sic gloria magnificatum est, quod Dei essentiam, fortitudinem, & poten- Esaię. 50. tiã iugiter ostendat, sedes eius in scriptura appellatur. vt eo loco; Cœlum sedes mea: vbi Deus, qui vbique est, sedem suam facit. Eadem ratione similitudo hæc throni, & humilitatem Christi significat, quæ ex diuinis operationibus, puritate, & claritate saphyro similibus, diuinitatis, & suppositi diuini sedes ostensa est. Quod & docuit Da- Psal.44. uid dicendo: Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui. nec non & beatissimam virginem Dei genitricem eiusdem sedem præfigurat: cuius en- Cap.2. comia prædicauerat Hieremias dicens, Solium gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ. Etenim etsi ex parentibus peccato obnoxijs originem habuerit, quemadmodum saphyrus ex elemento terrestri, obscuro, & opaco; à sui tamen principio ab omni labe peccati mundissima, & clarissima, perinde ac saphyrus diaphanitate à sui initio extitit: eius aspectui à sacro vate comparatur. Sedens autem Dominus videtur, quia qui hominibus seruiens toto mortalis vitę tẽpore stetit, supra ipsos iudicium & potestatem exercens, dignitate collocatus iure optimo ostenditur. Quam ob rem sacer vates, vt quem in carne humiliatum ostenderat, eundem iudicis apparatu eleuatum præmonstraret, electri speciem, sub qua antea descriptum ipsum viderat, nunc iterum cernit. In eo autem ignis inflammatus apparuit à pedibus ad caput vsque, interstitio tamen, quod à lumbis sursum eminebat, ignis intra se radios suos continebat, nec foras emittebat. à lumbis verò deorsum, mirũ in modum per circuitũ splendescebat, fulgoremque suum & radios extrinsecus depromebat, atque exerebat. Similiter, inquit, ac arcus cœlestis in nube rorida tempore pluuiæ, se oculis intuentiũ gratũ, & fulgentem exhibere solet. simul quippe in Christo

Iesu

Iesu Domino nostro potestatem iudicis exercente, & iniustitiæ seueritatem, & misericordiæ lenitatem spectare licebit. vnde cum omnes viæ Domini misericordia & veritas sint, & misericordia semper exaltet iudicium: ita diuinæ hæ virtutes asiden- Psal.24. tes in iudicio cōcurrēt, vt neutra alteri præiudicet, & vtra alteri suū ius sempe[r] [ser]uat. Iac.c.2. Quia tamen ea occasio exequendæ iustitiæ potissimum aptata est, vt accipiat quisque prout in proprio corpore g[e]ssit, etiam in corpore, in parte corporis superiori hac 2.ad Cor. 5. visione insinuatur: misericordia verò in parte inferiori, à lumbis deorsum versus: in gloriam sanè bonorum, qui legitimè ea (peregrinationis t[em]pore) pœnitentiæ institutis vsi fuerunt: & in malorum angustiam & confusionem, qui sui incolatus tempore in hac vita, pœnitentiam negligendo, imo eadem abutētes tempus omne & operam perdiderunt. Non ineptè etiam Christi Iesu Domini nostri diuinitatem, ignis intra latera corporis se continens, præfigurauit: sicut alius diffluens, atque per circuitum fulgens, sacratissimam eiusdem humanitatem, quæ claritatis ignibus accensa, mirabiliter cunctis hominibus splenduit. vnde & ea flexus æternus Pater, arcum Genes.c.9 cæli in amicitiæ, & fœderis pactum cum hominibus constituit. vnde sua vecordia, & inertia torpuerunt, qui tanto exhibito pretio, & beneuolentia præstita, in Dei amicitiam non assurrexerunt.

CAPVT SECVNDVM.

HÆC visio similitudinis gloriæ Domini: & vidi, & cecidi in faciem meam: & audiui vocem loquentis, & dixit ad me, Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum. & ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi; & statuit me supra pedes meos.

SACER vates in hoc capite fragilitatem, ac imbecillitatem suam fatetur; deinde quò tenderet præostensa visio, nempe vt gentibus rebellibus eam prædicet, quorum mores & ingenium describit. tertiò gratia Domini ad commissam functionem obeundam instruitur, & animatur. Coaceruatio mirabilium operum Domini, quæ ecclesiæ catholicæ sua inexhausta beneficentia impendit, gloria Domini in scripturā appellatur: quia potentiæ eius maiestas, bonitatis diuitiæ, sapiētiæ infinita sublimitas, cum suæ præsentiæ in carne exhibitione mirifice in ea splenduerunt, & collustrata sunt: quorum figura & rudis delineatio (ad modum excellentis imaginis pingendæ, cui prototypus hic præmittitur) superiori visione ostensa est. vnde & similitudo gloriæ Domini dicitur. Ad tam stupendam igitur visionem perterritus vates, cecidit in faciem suam, vsque adeo, vt exanimis apparuerit, rei stupiditate attonitus: cuius terror & animi deliquiū satis planè insinuatur, cùm stare in pedes suos iubetur. quod efficere non valuit, sed eum Dominus statuit: & per verbū Domini spiritum suum in se ingressum, & sic restitutum ipsemet fatetur. quæ apertè nos docent, tanto humilius conditionem humanam se deijcere debere, quanto cuipiam maiestas Domini, eiusque dulcedinis magnitudo magis ingeritur & manifestatur. Ita enim Esaig.21. Scriptura, cùm Dominus Babylonis destructionem ostendisset, conturbatum fuisse, atque cor suum emarcuisse dicit. Et Daniel terribili visione sibi ostensa, ait, Non re- Daniel.10 mansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est, & emarcui, nec habui quic- 9 quā virium. Quibus locis spiritalem sensum conclusisse ostendit Dominus. quod 2.ad Cor. 12. cum B. Paulo etiam fecit, quando post raptum vsque in tertium cælum, spiritum sathanæ colaphizantem admonuit. & B. Ioannes, qui spiritalia planè loquebatur, ad visionem Domini ostensam (prophetarum more) ad pedes eius cecidit. & quod impen- Apoc.1. sius cordi mandandum est, quòd post casum, suæ fragilitatis Dominus prophetam admonēs, filium hominis appellat, vt humiliationem, & propriam demissionem præ oculis semper ferat Christianus homo. Verùm largissimam super hæc vide Domini manum, simul & ingenium: nam solo æquatum hominem ipse in pedes statuit, & quod fieri iubet ipse facit, humanæ infirmitati prospiciens, à qua ascensum & cooperationem ad bonum exigit, se imprimis & operatorem, deinde cooperatorem

pollicendo. Quem locum interpretatus est idem Dominus, dum similitudine vitis, [Ioan. 15.] & palmitum, sibi suos discipulos annectens, subdit: Quia sine me nihil potestis facere. & vas electionis Paulus adhuc explicatius Domini sensum exhibuit, dicens: [Ad Phil. 2.] Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ingenium autem Domini est, quòd communicatione suorum donorum, non loquitur nisi his, qui spiritum per pœnitentiam, super corpus attollentes, in eiusdem imperium & dominiũ assurrexere. ait enim, Sta super pedes tuos, & loquar tecum. Etenim affectus corporis hominis pedes sunt, quibus rota vitæ dispensatio, vti pedibus, agitur: atque cum his [Psal. 84.] substratis vitæ pondus subuehitur, ordine vita geritur: & iustitia ante eum ambulat, & ponit in via gressus suos. Quando verò colli, & capitis locum occupant, summa in eo peruersitas existit.

Et audiui loquentem ad me, & dicentem, Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me. patres eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc: & filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te. & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus.

PRÆDICATIONIS officium mandatur prophetæ: gentis obstinatio, ad quam mittitur, ne, si iustos fructus non collegerit, animum despondeat, deregitur: [ad Rom. 10.] & tandem scopus, qui intenditur ex legitima veritatis functione declaratur. Mitti enim prædicatores oportet, nam quomodo audient sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? in quo B. Paulus ad Hebr. scribens: [Cap. 5.] Nec quisquã assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. & idem etiã explicans, in secunda epistola, quam ad Corint. scripsit, ait, De Deo reconciliante nos per Christum; [Cap. 5.] & dedit nobis mysterium reconciliationis. & infrà; Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos &c. Quibus locis plane redarguũtur, qui nulla doctrinæ examinatione, & approbatione, absque superiorũ auctoritate, huic officio temerè se ingerũt: & insuper nõ propria inuecta sunt prædicanda, sed quæ Dominus per Euangeliũ suũ, iuxta regulã fidei, vult populum edoceri. cuius rei prædicatorem quemque admonitum esse oportet. vnde subdit *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus, &c.* deinde ad prædicandum transmigratis mittitur; quorum obdurationem in malo, satis Dominus aperit, dum gentes eos appellat: quia in mores gentium, idola colendo, declinauerant, & innumeris alijs peccatis rebelles ipsi, sicut patres eorum, Domino se præstiterant, pactum eius ac legem in dies magis, ac magis calcando, ac frangendo. & quod amplius est, quòd cùm legem meam scientes fregerint, ait, Dura sunt facie, & indomabili corde, hoc est, impudentes, & impœnitentes, in suis peccatis, & abominationibus obstinatè perseuerantes.

Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est; & scient quia propheta fuerit in medio eorum.

IVRE equidem rogare poterat vates: Si adeò in peccatis obduruerunt, & scis eos non audituros, quare laborem meum & operam meam perdere instituis? Respõdet Dominus, si forte audiant. quasi dixerit: Si obtemperaturi sint, siue non, non sit [1. ad Cor. 3.] tibi curæ, tantum tuo legitimè enitere fungi officio: quia hoc non qui plãtat, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, efficit, inquit B. Paulus. Quo loco Dominus prædicatores admonet, non ob id, quòd populum rebellem videant, à prædicatione desistere. imò hinc impensius, vt irriti canes cõtra rabidos lupos latrare discant. vnde [Apoc. 22.] B. Ioann. iussus est prædicare, etsi populus nõ esset auditurus, vt qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus est, sordescat adhuc; & qui iustus est, iustificetur adhuc. Aduertendum tamen, qualiter hic Dominus, quantumuis populus iste obstinatus existeret, in sua potestate declarat situm esse, audire & obtẽperare: vt nullus quantumuis pondere peccatorum pressus, desperet conuersionem suam, neque sit aliquis adeò impudens, vt libertatem suæ conuersionis cum diuina gratia (quam nulli subtrahit) negare cuiquã audeat. Quòd si non audierint, suam culpam in me nullatenus reijcere poterunt.

poterunt, cùm id quod meæ misericordiæ, & largitatis est (inquit Dominus) impendi sibi, quid agant ipsi viderint: nam in die reposcendæ rationis, negare non poterunt, prophetam meum fuisse in medio eorum, qui suæ salutis, & mei designi admonetet. Obumbratur etiã hîc conuersio illa prædicationis Euangelicæ ad gentes, Iudæis Act. 13. eam non admittentibus, vt refertur ex Paulo & Barnaba: Vobis oportebat, inquiunt, prædicare verbum Dei, sed quia indignos vos redditis, ecce conuertimur ad gentes. Vbi hunc locum planè interpretari videntur Apostoli. Nam oportebat, inquiunt. Et quare oportebat? Quia hoc loco præceptum erat. Et quare ad gentes se conuertebantur? Quia hîc etsi primum transmigratis propheta missus fuerat, secundariò tamen ipsis gentibus, cum quibus tum temporis captiui agebant.

Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, & quiescant, quoniam irritatores sunt.

INSTRVITVR iam propheta ad suam legationem legitimè fungendam, & primùm animatur cõtra impetus & insultus, quibus populus in eum assurgere poterat, quia præuisa iacula minus feriunt: Deinde eorum eruditur, quæ prædicaturus est. Triplici ergo via illi occursurum populum prædicit; calliditate scilicet, qua (vt hominum ingenium est) cùm ea, quæ ipsis dicuntur, non sibi cordi sunt, multa in perditionem dicentis (vt suo palato viuant) machinari solent. secundò comminationibus; quãdo importuni illis fuerint prędicatores. tertiò verò vultu ipso, ira, & indignatione pleniore, quæ in pectore conceperint mala, exerere solent. Contra quæ omnia, ac si imminentia iam videat, magno & constanti animo esse iubet, triplici etiam ratione. Prima, quòd magnanimi sit, pestilentes ac molestos homines (qui contentionibus in suos errores, & deprauatam vitam subuertere pios student) vti spinis in via substratis, aut scorpionibus in ea salientibus (vtrumque enim & spinas & scorpiones dictio Hebræa significat) calcare omnino, & vilipendere, cautè eorum congressus vitando. Quo loco apertè discis Christiane lector, cum hæreticis, & subuersis hominibus nunquam disputatione manum conserere: quia nunquam sine magno fit periculo. Est enim hæreticis mos, simplicia quæque torquere, & si per eos diabolo aliam rationem suggerenti, & tuam eneruanti, non illico & patenter Tertul. contra Hermog. respondere contingat, tuæ fidei robur, & populi circunstantis remittis. Quia deiectus vnusquisque, vel motus, inquit Tertullianus, de gradu eius spei, quam susceperat apud creatorem, facilè iam declinatur ad alterius spei auctorem, etiã vltro suspicandum. Lib. de Resurrect. carnis. Deinde, quoniam Deum protectorem & defensorem habeat, vt hîc propheta, verba Dei suscipiendo & allegando. Quod si Deus pro nobis, inquit B. Paulus, quis contra nos? ad Rom. 8 Aduersarij verò cùm inimici partes contra Deum agant, quia domus rebellis siue exasperans est, tantum abest vt propitium eum habeant, quod infensum sentient, continuis peccatis irritatum semper & prouocatum. Quare dispergantur, diffundanturque est necessarium perseuerantes, iuxta illud Domini: Qui non colligit mecum, dispergit. Matth. 12 Sed diuinam attende erga nos beneuolentiam, ardentissimumque nostræ salutis desiderium: qui cùm semel salutem sui populi deperire dixisset, iterum idem repetit dicens, Si fortè audiant, & quiescant, scilicet malè agere.

Tu autem fili hominis, audi quæcunque loquar ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum & comede quæcunque ego do tibi. Et vidi & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber. & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris; & scripta erant in eo lamentationes, & carmen & væ.

EDOCETVR propheta ea, ad quæ mittitur. Prius tamen obedire iubetur, & fideliter quod illi iniungitur, munus obire; ne rebellis existens, cum domo exasperatrice iram suam incurrat. Vbi aduertas oportet Christiane lector, quàm exactè fidem exi-

gat Dominus à concionatore, in verbi sui dispensatione: & insuper, quàm obnixè perscrutationem suarum scripturarum ab eo requirat, cùm præcepit vati os suum aperire, vt in eo librum eas continentẽ recipiat. O portet enim intelligentiam diuini verbi summo studio quærere, quam Dominus sic anhelanti donare dignatur. Quare subditur, Et comede quæcunque ego do tibi: vt fastus hinc & scientiarum inflatio reprimatur: & cum omni humilitate sapientiam, & intelligentiam à Domino petat, qui ad diuina tractanda verba accedit. Præterea doctrina, qua imbuitur propheta, tanquam cibus ingeritur, & manu subministratur: atque eius summa perstringitur, dum lamentationes, carmen, & væ, librum continere epilogando dicit: quæ sacrum concionatorem apprimè instruunt. Nam primùm multum, diuque meditari, menteque euoluere, quæ in cibum animarum subministraturus est, diligenter conuenit, vt ad salutem proficiat. Perinde ac corporalis cibus, qui vt aptè corpus alat, principiò gladio comminuitur, dentibus deinde in ore teritur, ac hinc inde molis premitur, & tandem in stomacho, vt alimentum conueniens corpori reddatur, mille permutationes, & transformationes sufferet. est quippe Scriptura sancta

Prou. 23. animæ cibus: quod Salomon his verbis prædixit: Si sederis cœnare ad mensam potẽtis, sapienter intellige ea, quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens,

Lib. 1. Offic. quòd oportet te talia præparare. quod tractans diuus Ambrosius ait, Scriptura diuina conuiuium sapientiæ est: singuli libri singula sunt fercula. intellige prius quæ habeantur in ferculis dapes, & tunc mitte manum: vt ea quæ legis, vel accipis à Domino Deo tuo, operibus exequaris; & collatam in te gratiam officijs repræsen-

Psal. 118. tes. Præterea Regius vates idem asseruerat dicendo, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. & ipsamet denique Veritas: Hic est cibus meus, vt fa-

Ioann. 4. ciam voluntatem patris mei. & rursus, Ego cibũ habeo manducare quẽ vos nescitis. Manu deinde traditur, quoniam absque Dei auxilio peculiari sedile mentis & cordis neutiquam occupare poterit: & manibus etiam Dei verba, atque eius præcepta tractari debent, vt quæ fide profitentur in corde, efficaciter compleantur in opere. Igitur epilogũ scripturæ faciens, quæ pro suggestis ad mores Christianos componendos, inuulgari debet, eam continere dicit, lamentationes nimirum, carmen & væ, quæ populum illum transmigratum maximè docere oportebat, vt ad luctum 70. annorum lamentationibus plenum se præparent: & sic lamentantes peccata sua lugerent; propter quod librum lamentationes continere, prophetæ dicitur. Quòd si morigeros & patientes se præstitissent, gaudium sequuturum erat: nam à seruitute redempti, & in libertatem asserti, miris cantionibus, & lætissimo carmine eam celebraturi erant. Ob quod carmen in libro scriptum dabatur: Væ autem horribile, exitium habitantium Hierusalem, & repugnantium Hieremiæ, suadenti se regi Babylonis tradere, comitabitur, vt contigit: vnde & væ populo annuntiandum, per acceptionem libri, prophetæ mandabatur. Atque hæc in summa sunt, quæ volumen hoc, siue prophetia, continet foris, id est, secundum literæ corticem, & historiam. Verum quoniam intus scriptus est, & sensum spiritalem & allegoricum includit, quæ specialiter doceat, aduertere oportet. Ea autem nimirum sunt: patientia in aduersis primùm, qua ædificio spiritali inepta, & superflua ab anima, vt & à petra rudi, & impolita, quæ structuram ædificij impediunt, exciduntur. Cui rei alludebat B. Pe-

1. Petri. 2. trus, quando nos vt lapides viuos Christo lapidi angulari superædificari hortabatur, & spiritales hostias, & acceptabiles Deo semper offerre: quod totius vitæ Christianæ

1. Petr. 4. momentum planè continet. Hoc siquidem omnibus Christianis idem B. Petrus in-

2. ad Tim. 3. timans aiebat. Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. & Paulus Apostolus vitam Christianam finitione claudens, dixit: Qui volunt piè viuere in Christo, persequutionem patientur. Lamentationes ergo & laborum tolerantia Christianæ vitæ ædificium surgere faciunt. Pœnitentes verò & magnanimos in pugna superatis ad-

Tobiæ 3. uersis, mentis pacatio, & tranquillitas, gaudium spiritus, & lætitia sequitur: vt tempestatem serenitas, sancto Tobia teste. Esaias item hoc idem his verbis profitetur.

c. 12. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, & conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Quoniam autem tempus hoc tranquillitatis & pacis, canticis celebrari consuetum erat, liber prophetæ demandatus, carmen continebat: vnde melos pro carmine alij transferunt. Ita enim liberationem ab Ægyptijs celebrauit Maria: Cante-

Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. [Exod. 15.] & Anna Samuelis mater voti compos, post diu lamẽtatam sterilitatem, carmen cecinit: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo [1.Reg. 2.] meo. Secus autem faciẽtibus, vę interminabile inferni manet, quo miserrime in perpetuum suæ inobedientiæ pœnas dabunt; & sua crimina semper luendo, nunquam perluent. Per carmen etiam sacrum insinuatur Euangelium, quod totum, gaudij, & lætitiæ iucundissimum nuntium existit. De quo Esaias in spiritu sic loquutus est: Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris, hoc est, ex ipsis apostolis, tanquã [c.12.] è perpetuis fontibus eas propinantibus. Et Dauid item pluribus locis: Cantate Domino canticum nouum, id est, carmen hoc & Euangelium ipsum, in veteri hoc cantico scripturæ inclusum. Nec minus præterea anagogen continet: nam lamentis tota hæc vita plena est, cùm in valle lachrymarum peregrinatio hęc nostra transigatur; legitimè tamen ipsa peracta inenarrabilem gloriæ lætitiam in cælo parit, perenni carmine semper celebrandam. Ita siquidem B. Petrus ait: In quo exultabitis lætitia [1.Petr. 1.] inenarrabili, modicum si nunc contristari oporteat. & vas electionis Paulus: Id, quod est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus [ad Cor. 4.] operatur in nobis, contemplantibus nobis, non quæ videntur, sed quæ non videntur. Praui autem & impænitentes, væ æterno cruciabuntur. quod conuenienter satis Spiritus sanctus per excidium Hierusalem, & templi combustionem (pereuntibus rebellibus, & contumacibus diuinis mandatis) significauit. Gaudium autem illud ęternum in cęlo, & pacem & quietem animæ, post legitimam peccatorum pænitentiam, & vitæ commutationem, per reductionẽ ad suam patriam carmine decantatam, post longas captiuitatis lamentationes, figurauit. Pænitentiam verò peccatorum, aduersitates, persequutiones & tribulationes, quibus Christiana vita vndique concutitur, planè satis per lamentationes nobis manifestantur. vnde B. Ambrosius, hunc locum interpretando, Duo tristia, ait, hic Dominus proponit, & vnum delectabile, quoniam ille saluus erit in futurũ, qui in hoc sæculo plus fleuerit.

CAPVT TERTIVM.

ET dixit ad me, Fili hominis, quodcumque inueneris comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. & aperuit os meum, & cibauit me volumine illo, & dixit ad me, Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua implebuntur volumine isto quod ego do tibi. & comedi illud: & factum est in ore meo, sicut mel dulce.

PASCITVR iam propheta iuxta instructionem datam, vt legatione sua fungatur. Cibũ etenim homines ad iter agendum sumere solent, vt corpus reficiant, viresque ad labores resumant. verùm quia cibo spiritali, nempe verbo Dei, eiusque intelligentia cibandus erat; ad quam assequendam ex se minimè valet, propriæ fragilitatis, vel ipsa appellatione admonetur, cùm filius hominis nominatur. vnde comedere statim præcipitur id quod inuenerit (quia via mandatorum Domini exquisitis, & delicatioribus cibis non bene agitur) ob quod etiam librum comedere & volumen, quod extra rationem alimenti corporalis positum est, non perhorrescat; sed ilico tanquam ægroto, in cibum ori suo admoueat; à Domino admonetur. Vbi Domini beneuolentiam mirabilem erga hominum salutem, tu lector attende: quòd non secus, quàm indulgentissima mater filium ablactans, tantum ab eo os aperiri exigit, vt ipsa in eum papillã ingerat. Perinde Dominus prophetæ os suũ aperire iubet: ipse autem cibum inijcit, quod Regius vates sic dixerat: Sicut ablactatus super matre [Psal. 13...] sua, ita retributio in anima mea. Et quod amplius est, ne tãquam ineptũ cibum volumen euomat, ipsum deglutire iubet: futurum quidem si retinuerit, & conseruauerit, maximo oblectamento; & saluti. Ait enim, Venter tuus comedet, & implebuntur viscera tua: id est, cùm intellectus tuus perceperit, viscera omnia, siue animæ potentiæ magna cum voluptate reficiẽtur. Anima enim virtute alitur, verbo Dei saginatur, & exercitijs cælestibus excolitur, inquit Ambrosius. Verbo ergo suo suum prophe-

prophetam cibare promittit . quam pollicitationẽ rei euentus confirmauit: nam in ventrem siue in os, per intelligentiam volumen iniectum est; vt Dauid vaticinatus fuerat: Iudicia tua Domine vera, iustificata in semet ipsa, dulciora super mel & fauum. Psal. 18. & iterum, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Est enim ser- Psal. 118. monum Dei ea vis & natura, vt dentibus meditationis & considerationis masticati & ruminati, & igne charitatis decocti , omnem mellis dulcedinem superent; omni exuta amaritudine, & austeritate quam in principio præ se ferebant.

Et dixit ad me, Fili hominis vade ad domum Israel , & loqueris verba mea ad eos : non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel; neque ad populos multos profundi sermonis , & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones . & si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippe domus Israel attrita fronte est , & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum , & frontem tuam duriorem frontibus eorum; vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos , neque metuas à facie eorum, quia domus exasperans est.

REFECTO propheta, arripere iter tantum supererat: quia tamen moras prætexere poterat, à tam graui, & impari legatione se excusans (vt Moses aliquando fecerat dicens; Mitte Domine, quem missurus es, quia impeditioris & tardioris linguæ ego Exod. 4. sum. & item Hieremias; A. a. a . Domine nescio loqui) præuentione excusationem Hier. 1. hanc propulsat: primùm appellatione ipsa imbecillitatis humanę se memorem esse, dum filium hominis eum nominat: deinde legationis attenuatione, quòd non ad populum profundi sermonis , id est , non ad sapientes sæculi & philosophos , quibuscum, magna disciplinarum decertatione agendum sit: neque ad populum barbarum, cum quo linguam communem non habeas: neque ad regnum exterum , forte , & indomitum , populorum multitudinę : sed ad vnam domum Israel lege mea coadunatam , tibi notæ linguæ & scientiæ , te mitto . & rursus inquit , Scias oportet, quòd si ad eos mitteteris , audirent tibi, sermonibusque tuis obtemperarent: domus autem Israel minimè. Cuius rationem subdit Dominus: quod ipsum, inquit, spernerent, non mirum , si te spernant. Item, quòd attrita fronte, siue impudentes & duro corde, siue contumaces sint. Vbi duo attende: Prius, quòd qui studio colendi Deum, eiusque iussis obtemperandi viuunt, in via positos esse, vt facilè Euangelio mansuescant , Christumque Dominum Iesum redemptorem mundi , integra & vera fide amplectantur: quòd Deum sequi proposuerint, non autem seipsos; nam hoc pertinaciæ, obdurationis, & obstinationis initium est. Vnde in Euangelio suos discipulos Ioann. 14 alloquens , & firmam fidem ab eis exigens, ait· Creditis in Deum; & in me credite. Simul etiam hoc loco docet Dominus maioribus in Ecclesia , qui nomine Domini gubernacula tenent , perinde ac sibi ipsi, subditos obtemperare debere. Quo circa, quod hîc prophetæ dicitur, Christus Iesus exponens ait: Qui vos spernit, me spernit; Lucæ. 10. & qui me spernit, spernit eum, qui misit me. Posterius, quod attendes, rogatione propono: si ita est, quòd si ad gentes mitteretur propheta, audirent. quare ad eas nõ mittitur, amandatur autem ad rebellem & repugnaturum populum ? Crediderim sanè (meliori iudicio saluo) vt promissiones Dauid fideles, prius Abrahæ , & reliquis patriarchis ab initio factæ in populo Israel ab ipsis descendente, complerentur; deinde per ipsum in cæteras nationes totius mundi diffundendæ , cuius vniuersalis magister & redemptor promissus erat Christus. Quod idem Dominus Iesus explicare visus est, cum ciuitatibus Iudęorum exprobrans dixit: Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida , quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent . Vbi concinnitatem Euangelij sancti & huius prophetiæ vide, & imaginem expressam, vatem hunc Christi gessisse; qui prædicare, & miracula facere ad populum Israel rebellẽ missus est, & non ad gentes, quæ ipsum audirent & miracula eius celebrarent. Præterea repugnantiæ Iudęorum, prædicationi prophetæ, caussam esse dicit, homines esse impudentes, proteruos, & contumaces,

capi-

capitosos, suique tenaces propositi. hoc enim pessulum est, quo spiritui sancto ianua cordis occluditur. Obstinatione tamen hac non obstante, ipsis suam sapientiá prædicare voluit, vt non solum tanti temporis expectatio, vt conuerterentur ad cor, sed diuina admonitio & sui verbi diuina prædicatio, procul omni excusationis prætextu, ipsos pro tribunali Domino sedente damnaret. Atqui ne eorum impetus propheta refugiat, & confundi ab eis timeat, fortiorem & robustiorem suo auxilio, & beneuolentia redditurum pollicetur: nam ad functionem suam obeundam diamante fortiorem, & ad sustinendos eorum ausus silice duriorem præparabit. Quare absque timore, bono animo esse iubet, quia suum est id præstare. Quoniam domus, inquit, exasperans est, id est, meæ iræ prouocatrix, ex officio mecum continuè certare statuens. quare meum erit propriæ gloriæ consulere.

Et dixit ad me; Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi; & vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi mei, & loqueris ad eos, & dices eis, Hæc dicit Dominus Deus, si fortè audiant, & quiescant.

PRÆCINCTO iam ad opus propheta, duo præcipiũtur, quæ alta mente Christianum concionatorem reponere oportet. Vnum, quæ prædicaturus est, im cordis recondere; quippe quòd, stomachus genus aliquod epularum fastidiens, quomodo alijs easdem subministrans, importunus non erit? Hoc autem fiet, inquit Dominus prophetæ, si auribus audiat: id est, si summa cum attentione, & discendi auiditate, eius sermones excipiat. Alterum est, moribus & vita segregatum à populo agere, etsi in medio eius habitet: tunc enim populus, vt diuina oracula, quæcunque pro suggesto dixerit, libenter excipiet, cum vitæ testimonio obfirmata conspexerit. vnde propheta in media transmigratione habitans, ad eam ingredi iubetur, & tandem, quæ à Domino acceperit, filijs Israel nuntiare mandatur: vt non humana, sed diuina eos audire sciant; & vt talia reuereantur & æstiment. Si forte, inquit, audiant, & quiescant. vult quippe Dominus desiderium, quo humanæ salutis ardet, populo innotesci, vt si vel hac ratione ad gratificationem tanti amoris moueatur.

Et aßumpsit me spiritus: & audiui post me vocem commotionis magnæ, Benedicta gloria Domini de loco suo, & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.

MIRA profectò res. synagogam, & populum Israel aliquando relicturum prædicit Dominus prophetæ, & simul quæ rem tam stupendam antecessura erant, & quæ subsequutura, figura quadam delineat. Transmigrationem autem suam, ad ecclesiam catholicam ex gentibus cógregatam, reuelat, cùm dicit, Benedicta gloria Domini à loco sancto suo, scilicet discessura. Etenim apud populũ illum in propitiatorio templi inter duo Cherubin Dominus residens, preces exaudiendo, & responsa reddẽdo, præsentiam suam exhibebat. Quapropter locus suus ille dicebatur, vbi loqui & adesse cernebatur. Quoniá autẽ ad ecclesiá gloria Dei, id est, propitiatio eius & præsentia, siue ipsemet Dominus, transiturus erat, vocẽ alarũ animaliũ descriptorum, & rotarum ea sequentium, quæ catholicam ecclesiam præfigurabant, audiuit. Quæ verò ecclesiæ coadunationem præcesserunt, aduentus Spiritus sancti, sese strepitu magni venti die Pentecostes insinuans, præstitit: quando euulsio quædam magna cordium à rebus terrenis hinc subsequens, in Apostolis magnalia Dei cócinentibus adfuit. Hæc igitur vates diuinus præstigians in visione prophetica à validissimo vento, siue spiritu, rapi sibi visus est, & post se vocem commotionis magnæ audire. Enimuero per spiritum sic à loco, in imaginatione mutantem, Spiritum sanctum designatum fuisse, apostolus Ioannes, locum hunc & similes huius prophetæ explicans, eadẽ figura dicendi vtitur, dicens: Audiui vocem post me, & factus sum in spiritu, aut dixit mihi, Ascende huc. Commotionem verò cordium, à terra auulsionem, & in cælestes res erectionẽ significare, ostensum est in scriptura, cùm dictũ est Eliæ; Non in commotione Dominus: integri sanè & intrepidi animi esse iubens, contra Iezabelis machinamenta, quæ euulsione quodammodo terræ, & montium, ipsi indicata fuerunt.

Apoc. 1. & 4.

3. Reg. 19

quasi

Quasi diceret illi: terrena, & humana furia est illa; ne timeas, quia ego tecum sum in aura tenui: significans nempe, in pacem, sospitem & incolumem eum eucturum.

Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me: & abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me. & veni ad transmigrationem, & aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta fluuiũ Chebar: & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.

IN SIGNVM eleuationis mentis in Deum, gratia diuini Spiritus prophetici ex- 3.Reg.18 terno & visibili flatu, seu vento rapiebantur nonnunquam prophetæ; vt de Elia in persequutione Achab; & de Eliseo, & similibus legitur. In eandem igitur rem, quia Spiritu diuino ad diuina mysteria intelligenda eleuabatur, externo spiritu sanctus Ezechiel sibi rapi visus est: & vt ad diuersa videnda, spiritu prophetico sumebatur, semel atque iterum flatu externo se raptum fuisse narrat. Nam superius ad enarrata mysteria contemplanda, sub excidio templi illius Salomonis, ob quod gloria Domini ab eo discedere dicitur, & subuersione totius ciuitatis Hierusalem, impetu animalium volantium, & rotarum sequentium, dixit se raptum fuisse. Nunc verò iterum sustollitur, quia aliò, ad suos, ad transmigrationẽ nempe, prædicatione admonendam & instruendam, reuocatur. Ex visione autem excidij templi, & suæ ciuitatis, impetu insuperabili Chaldæorum, amarus propheta abijt: non ob id sane tantùm, quòd templi maiestatem, ciuitatis opulentiam, suamque gentem vastari viderat; quàm quòd futurum per hanc depopulationem præsensit, populum suum dereinquendum à Domino, ad ecclesiamque ex gentibus collectam, migraturum: vtraque enim res anxiè animũ eius occupauit. verum manu Domini fuit corroboratus, quia sic placitũ erat Domino, & consilio diuino sic expedire ostendebatur. Tempore item æstatis, siue nouarum frugum, mentis visione ad transmigrationem venit, septem diebus mores suorum contemplans sedit; & sceleribus etiam reperiens populum inundatum, mœstitiæ plenus in medio eorum adfuit. Debet equidem concionator, antequam negotium suum aggrediatur, vitiorum vincula, & peccatorum funes, quibus populus agitur, solerti cura perspicere, sufficienti temporis spatio ad id dignoscendum, apud eum commorans: vnde hebdomadæ tempus huic speculationi concessum est. Peccatorum verò colluuie (quæ populo dominetur) percepta, prophetæ exemplo, amaritudine animi eam lugeat, honorem Dei toto corde dolens, vt opportunè hoc peracto, suam aggrediatur functionem.

Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris; non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem suum de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit auersus ab impietate sua; morietur; tu autem animam tuam liberasti.

DVO potissimum prædicatoris officium reintegrant: Vnum, inimicos salutis humanæ dæmones in speculis excubare, vt plebem deuorent: Aliud est, sententiam damnationis proferre, in peccato subiectos. Prius quidem innuit Dominus, cùm prophetam speculatorem populo dedisse dicit: posterius verò, cùm thema & scopum sermonis, siue sententiæ potiùs latæ tenorem in impium declarat. Si non dixeris, inquit, impio, morte morieris, sanguinẽ eius de manu tua requiram. sed miranda Domini misericordia, qui à suo seruo non operis demandati pensum, siue fructum exigit, vt suam beneuolentiam promereatur more hominum, qui quamlibet seruo diligentiam apponenti nihil gratificantur, dum iussionis fructum non reddiderit: sed tantùm seruo committit sui officij solertem diligentiam, qua adhibita subsequuta re, haud secus, legitimus seruus Domino habetur. vnde ait, Si loquutus fueris, & non fuerit conuersus, tu animam tuam liberasti. Tamen si loqui recusaueris, officium

tuum.

tuum negligẽs, ſanguinem, id eſt, condemnationem eius, & mortem, cùm rationem reddideris, tibi imputabo.

Sed etſi conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ipſe morietur, quia non annunciaſti ei, in peccato ſuo morietur, & non erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit: ſanguinem verò eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris iuſto, vt non peccet iuſtus, & ille non peccauerit: viuens viuet, quia annunciaſti ei, & tu animam tuam liberaſti.

At ne glorietur iuſtus in iuſtitia ſua, ſed quanto altiùs in exercitio virtutis gradum fecerit, tanto cautiùs ruinam timeat: & cùm ſtat, ne cadat, diligenter proſpiciat; nã caſum imminere ipſi indicat Dominus; & iuſtitias quas fecerit, nullum confugium eſſe, ſi ceciderit, quominus ſupplicio, & inferni gladio impœnitens, torquendus & iugulandus tradatur, aduertit. Verum duo animaduerſione digna hic ſunt: alterũ, quod Deus ponit offendiculũ iuſto, vnde ille moriatur: alterũ, quòd non erunt in memoria Dei, iuſtitiæ quas fecerit. Prius explicuit B. Ioann. dicens: Deus quem diligit, arguit & caſtigat: nam cùm Deus opt. maximus afflictionibus, calamitatibus, & nonnunquam Spiritus ſui ſubtractione, quemque viſitat, eius conuerſioni facilem ſe præbet, ipſique ad eam rem obuius ſit, & ſignum amoris exhibet. Quando verò flagellum manu demittit, & ex voto proſperè cuncta euenire ſinit, offendiculum iuſto ponere dicitur; quoniam hinc velut in ſpecula conſtitutus, ſibi fidens, in ſuperbiam erigitur, & hoc aut illo peccato ſuccumbit, quo damnationẽ incurrit. Conſolentur igitur hic religioſi, & ſtudioſi, quibus virtutis cura ſuſcepta eſt, cùm importunis tribulationibus premuntur: & cùm item maiores progreſſus in ea fecerint, caſum timeant, & ſibi diligenter caueant. Poſterius enarrauit B. Iacobus in ſua canonica, cùm ait: Qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus: hoc eſt, qui in vno peccato mortali ſuccubuerit, quantumuis in culmine virtutis aliàs conſtitutus, æque damnationem impœnitens incurrit, ac ſi nihil boni egiſſet, ſed omnia præcepta tranſgreſſus fuiſſet; non quantum ad grauitatem ſupplicij, ſed quantum ad euaſionem æternæ mortis & pœnæ. Quapropter ne in has anguſtias incidat, qui virtutis ſcalam eſt aggreſſus, & plures gradus fecit, ſacro vati, & per eum omni concionatori, iuſto qui ceciderit, perinde ac peccatori, dicitur, morte morieris; vt animam ſuam liberet. alter autem ſibi habeat, conuerſus fuerit, ſiue non.

Apoc. 3.

Iacob. cap. 2.

Et facta eſt ſuper me manus Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum. Et ſurgens egreſſus ſum in campum, & ecce ibi gloria Domini ſtabat, quaſi gloria quam vidi iuxta fluuium Chobar: & cecidi in faciem meam. Et ingreſſus eſt in me Spiritus, & ſtatuit me ſuper pedes meos: & loquutus eſt mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuæ: & tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum: & linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans: quia domus exaſperans eſt. Cùm autem loquutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, Qui audit, audiat; & qui quieſcit, quieſcat: quia domus exaſperans eſt.

Prædicationis munere exhibito, quid populo rebelli euenturum ſit, à Domino edoctus propheta, in ſua perſona eorum oculis ſubijcit: & hoc præoſtenſo, grauiter obiurgans eorum duritiam & obſtinationem, iterum eidem populo loqui iubetur. Primùm ergo facta eſt manus Domini ſuper eum, id eſt, admonitus à Deo in ſolitudinem ire iubetur, vt ibi quæ facturus eſt, accipiat. Eſt quippe ſolitudo, Dei collocutioni locus aptiſſimus. Dominus enim Ieſus patrem oraturus, dimiſſa turba, in montem aſcendit ſolus orare. & ad meditandũ in agro è ſua ciuitate Iſaac egreſſum, refert Scriptura. & opportunè quidẽ poſt prędicationis munus iniunctum, & obe-

Matth. 14

Gen. 24.

& obedientiam præstitam, ad secessum ire mandatur, vt operis sui stipendium, dulcedinem præsentiæ Domini quodammodo degustet, vnde gloria Domini illi adfuit, quia eo modo, quo in primo capite (visione ibi enarrata) se illi Dominus præsentem exhibuit: & in faciem suam casus, & deliquium animæ, & rursus in pedes erectio, vt supra descriptum est, ipsi contigit. Deinde ad populum rediens, domui suæ inclusus, & vinculis alligatus; post suorum in Hierusalem expugnationem, in carceris reclusionem, & vinculis iniectis supplicia futura, suæ personæ habitu, prænunciat; simul & iussu Domini, verbi diuini prædicatio illis subtrahitur ad tempus. quia domus, inquit, exasperans est, id est, quia suorum scelerum obfirmata consuetudine, & obstinatis animis, ea indignos se præbuerunt. & tandem ad prædicationem accingi iterum iussus à Domino, alio proposito themate, loqui præcipitur. Qui audit, scilicet audiat; & qui quiescit, quiescat: quod est, quasi indignantem Domini dicere: Agite iã, & qui audit, opere in suam salutem compleat, quæ audit Domini præcepta. quod paululum immutatis verbis, Dominus Iudæis in lege gloriantibus dicebat, clamans;
Luce. 8. Qui habet aures audiendi, audiat, & qui quiescit .i. cessationem à peccatis procrastinando semper differt, quiescat iam, hoc est, à flagitijs desistat. Tãto enim amore nostram salutem ardet Dominus, quòd vt illi audiamus, nullum non lapidem mouet. Primùm siquidem prædicatione, & doctrinę exhortationibus monet: Deinde subtractione sui diuini verbi, vt fame pressi, ad cor redeamus, vitæ pabulum quærentes solicitat: & denique his non proficiens, nostram duritiem, & obstinationem
Psal. 13. ægre ferens, obiurgatione, & reprehensione acri pungit, dicens: Qui audit, audiat. & est simile ei, quod cum indignatione aliquando dixerat Dauid, pertinaciam populi non sufferens: Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, sicut escam panis? nam qui pertinaciter Deo admonenti &
Cap. 2. expectanti non obtemperat, aut ignorare vult, aut sane eius longanimitatem, qua illum sperat, contemnit. Quod ad Rom. testatur Paulus dicens: An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? An diuitias bonitatis eius cõtemnis? Quare posita obiurgatione, merito arguitur. Sed vide quàm graphicè in propheta nostro Christus Iesus figuratus est; nam plane Spiritus sanctus hoc loco ipsum vatẽ docuit, post Christi prædicationem Iudæis præstitam; atque item eiusdem Christi secessum in solitudinem Ephrem, manentibus eisdem in sua pertinacia: & post regressum iterum in Hierosolymam, carcerem, vincula & cætera supplicia passus, quomodo mortem ad extremum pro nobis obijt. sed & post suam gloriosam resurrectionem, in parasceue suæ mirabilis ascensionis, quo pacto recumbentibus vndecim, exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, plane insinuat; populum hic obiurgans in præfati mysterij designationem: vt quod in nostram salutem futurum erat, opere in persona prophetæ exequendo, apertius obumbraret.

CAPVT QVARTVM.

ET tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro: & tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circundabis eam: signum est domui Israel.

INSTRVCTVS igitur in superioribus iam propheta, docetur deinceps, quæ in legatione sua dicturus, facturusque sit: atque ciuitatis Hierusalem casum & ruinam, simulque insperatæ calamitatis causam, & mala quæ eius incolas manent, Dominus eis hoc cap. perstringit. Primum ergo pictoris officium vsurpare iubens, ciuitatẽ suã in petra delineat, omnesque munitiones, machinationes, & instrumẽta bellica, quibus Assyrij eam obsidentes impetẽt. Atqui ne aduersa hæc, incautos, & absque admonitione in eos Dominum intulisse, aliquando querantur, aduersus eorum obstinationem ferream consuetudine peccatorum, & eorundem fumo denigratam, perinde

perinde ac sartago continuis flammæ vsibus exposita esse solet, faciem suam, id est, prædicationem obfirmare præcipitur. vbi suspicienda Dei volútas nobis semper erga homines proponitur, qui vsque adeò nostram deperit salutem, vt non solùm verbis, & factis, sed rebus ipsis pœnitentiam oculis subijciens, qua mala solùm declinari possunt, procurare, & exercere, nos continuè commonefacit. Verùm hic duo animaduersione digna sunt. Vnum, quòd in petra signum obsidionis, & destructionis ciuitatis exhibetur. Alterum, quòd, expugnatione ciuitatis proposita, emollire eorum corda per prophetam nunquam Dominus desistit. Prius, robur maximum, & fortitudinem ciuitatis, murorum & propugnatorum munitione, Dei voluntati resistere non posse, vt prærupto ciuitatis situ, & industria, aut viribus humanis minimè fidant. Nam scriptum est: Nisi Dominus custodierit ciuitaté, frustra vigilat qui custodit eam. Psal. 126. Significatur iré, eius populi derelictio à Domino, ob pertinacé in suis peccatis perseuerantiam, & eiusdem destructionem à Romanis, ob immane scelus in Dominum Iesum Christum commissum; & ceremoniarum tandem, & legis abolitio in eius sacratissima morte (vt in Scriptura proditú est) in quem tanquá in scopum hæc omnia referebantur; in cuius etiam gloriam stabilita & sancita fuerant. Posterius verò apertè docet, quàm inuitus mala & calamitosa Dominus suis admoueat. Tunc siquidem hoc facit, cùm aliter eorum saluti prospici non potest. Ita enim per prophetam, quàm inuitus flagellú arripiat, indicans ait: Isai. 1. Heu ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. & rursum, Vt faciat opus suum, alienum est opus eius: vt Isai. 28. operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo, de eadem re loquens. Sed quid est, quod dicit: signum est domui Israel? docet proculdubio non in litera sistere, sed ad sensum spiritalem oculos mentis transferre: ad mysterium nempe sacrosanctæ passionis Christi Iesu, quod hîc planè obumbratur: ita quòd bellica instrumenta in latere signata, significant torméta & ignes, quibus malitiosè à Iudæis vindictam legis obrédétibus in cruce veluti in sartagine sanctissima caro Christi frixa est, & esui apta facta, vt in sacrificio Missæ comeditur, quæ antea non erat: et præterea tam fortis sic Iohan. 12. facta, vt omné attraxerit creaturam: & quoniam ob tantú flagitium ab eis Christus separatus est, hinc prophetę, qui ad viuum Christi imaginem retulit, sartaginem tanquam murum ferreum inter se & ciuitatem ponere iubetur. Quod etiam explicuit Dominus ad hunc locum alludens, cùm Pharisæis quærentibus signum non aliud dedit, quàm Ionæ prophetæ.

Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud: & assumes iniquitates eorum. ego aute mdedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Israel. & cùm compleueris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò, & aßumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus: diem pro anno, diem quam pro anno dedi tibi. & ad obsidionem Hierusalem conuertes faciem tuam, & brachium tuũ erit extentum, & prophetabis aduersus eam: Ecce circumdedi te vinculis: & non te conuertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ.

IN persona prophetæ, tam decem tribuum Israel, quàm Iudæ, pœnæ & supplicia ob peccata & scelera admissa repræsentantur: hac etenim causa, & dormire iubetur, & somnij tempus designatur: enimuerò, qui peccatis subiacent & seruiunt, dormire dicuntur, quia Dei obliti in quiete delitescere arbitrantur. quos grauiter notat Dauid dicendo, Psal. 75. Dormierunt viri diuitiarum, & nihil inuenerút in manibus suis. & item B. Paulus: Exurge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ephes. 5. Peccator enim mortuus est: vnde infrà, vbi nostra translatio habet, Nolo mortem peccatoris, veritas Hebræa, Nolo mortem mortui, habet. Perinde igitur, ac homines vitijs consopiti, cùm peccata Deus punit, & suos item electos defæcat, ac purificat, quoniam eos ita molestari, opprimi, & oppugnari sinit, ac si è memoria eius excidissent, & eorum curam non gereret, dormire dicitur. Sic enim ait Psalmographus: Psal. 43. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Atqui quo-

niam acceptor perſonarum non eſt Deus, & nullius quamtumuis coniuncti ſcelus relinquit impunitum, vt captiuitatem hanc Iudæ, & Hieruſalem expugnationem, quam tot, ac tantis beneficijs donauerat, in meritum & caſtigationem ſuorum peccatorum ferre doceret, Iſraelis idololatrias, ſimul & earum punitiones figurat, quas per aliquot annos extendit, ſcelerum annis correſpondentes, diem pro anno computando. Peccauit quandoquidem Iſrael à ſciſſione regni per Ieroboam, vſque ad no- 4.Reg.17. num annum Oſeæ regis, qui cum populo captus fuit à Salmanaſar rege Aſſyriorum, idolis ſeruiens. Quo tempore anni fluxerunt 240. & item à morte Gedeonis, tempore Iudicum, vſque ad Samuelem, quando Baalim & Aſtharoth, tanquam deos coluit: quod tempus annos 150 aut ferme conficit; & omnes hos annos numero 390. dierum, quos propheta in latus ſiniſtrum dormiens deſignauit: eſt enim latus hoc debilius, ac infirmius, vt Iſrael Iudæ collatus, quantum ad retentionem veri Dei cultus. Ecce annos flagitioſos, & omni impietate plenos, qui totidem annis, teſte Hieronymo, pœnas luerunt, ærumnis & calamitatibus ſubiecti. A tẽpore namque Phaceæ 4.Reg.15. regis, ſub quo captiuus fuit populus, à Theghat-phalaſar rege Aſſyriorũ, vt refertur in Scriptura, vſque ad quadrageſimum annum regis Aſſueri (vt narrat Eſther liber) Cap.8. qui a grauiſſima morte populum diſperſum eripuit, & libertate donauit, grauiter preſſus fuit. Et rurſus quia 390. dies fermè quatuordecim menſes conficiunt, quibus obſeſſa fuit Hieruſalem, demptis quibuſdam; quibus Chaldæi opitulaturi Iudæos, Aegyptijs oppugnantibus venerunt. Numero igitur dierum aſſignato, propheta decumbere iubetur ex aliquorum ſententia, ſed neſcio, an ſatis apte: cùm dormitione hac iniquitates Iſrael ferre expreſſe dicatur. Iudea verò à Manaſſæ tempore, vſque ad ſecundum annum Sedechiæ, in quo per exercitum Nabuchodonoſor vaſtata fuit Hieruſalem, effrænis idola coluit 40. annis: vnde totidem in latere dextro ſomno conſopitus iacet. Quapropter propheta, à captiuitate Ioachim regis, vſque ad primum annum Cyri, qui Iudæos libertate aſſeruit, & in proprias ſedes redeundi facultatem conceſſit, potiſſimùm pœnas dedit: quod annos. 40. conficit, ſecundum computationem B. Hieronymi: etſi alij 30. reſtiterint, donec ex votis agerent in propria reuerſi, quibus 70. anni captiuitatis Babylonicæ computantur. Quoniam autem res ſic ſe habet, quòd propheta obſidentium & obſeſſorum perſonas ſuſtinuit, illorum animoſitas, & alacritas ad oppugnandum, per obfirmationem faciei contra populum, & brachij extenſionem, ſignificatur. Iſtorum verò oppugnatio & vaſtatio, per funium vinctionem, & dormitionem abſque mutatione corporis à latere in latus (quia non diſceſſit exercitus, donec deſolatio ciuitatis, quam ipſe prædicit, ſequeretur) apertè ſatis indicitur. Sed attende iam hic, quàm expreſſe Spiritus ſanctus in perſona prophetæ adamantinam Chriſti Ieſu faciem contra populum Iudęorum, in euulſione vitiorum cæleſtis doctrinæ prædicatione, obumbrauerit. Et rurſus tormenta illa immania, quæ pro noſtra ſalute columnæ alligatus, & cruci affixus, ſupra omne, quod excogitari poteſt, paſſus eſt. perſeuerantiam item conſtantem, qua abſque hæſitatione & mutatione vlla, ab opere noſtræ redemptionis cœpto, donec ipſum ſua ſacroſancta morte perficeret, nũquam deſtitit. Hoc ſanè dormire fuit ſuper latus dexterum, ſine verſione in ſiniſtrum; quia diuino illo, & inſuperabili animo, ſalutem humanam operans, nihil dirum & immane non interritus pertulit. Atqui, quoniam tam calamitoſa, & naturæ aduerſantia, quæ mortem parturiũt, quàm mors ipſa, ſomnus in Scriptura dicuntur, cùm tot mala auctor vitæ noſtræ Ieſus Chriſtus concinna humilitate pertulerit, dormire hoc loco ſub ſancti vatis perſona prænoſcitur. Hoc enim ſomni genus docuit Dauid in perſona Domini, cum Pſalm.3. dixit: Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. & Iohan.11. rurſus ipſemet Dominus: Lazarus amicus noſter non eſt mortuus, ſed dormit. & 1.Cor.11. Paulus denique ſcripturæ interpres: Propter hoc infirmi ſunt multi, & dormiunt multi. Somnus autem quadraginta dierum enarratur: quoniam numerus quadratus eſt; hoc notat; quòd vſque ad perfectionem & abſolutionem noſtræ redemptionis, tribulationibus, afflictionibus, & morte ipſa tandem conſopitus fuit Dominus.

Et ſume tibi frumentum & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam: & mittes ea in vas vnum: & facies tibi panes numero dierum, quibus

quibus dormies super latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die: à tempore vsque ad tempus comedes illud. & aquam in mensura bibes sextam partem hin. à tempore vsque ad tempus bibes illud. & quasi subcinericium hordeaceum comedes illud, & stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum. Hæc dixit Dominus: Sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas eijciam eos. Et dixi: Ah, ah, ah, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, & morticinium, & laceratum à bestijs non comedi ab infantia mea vsque nunc: & non est ingressa in os meum omnis caro immunda. & dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: & facies panem tuum in eo. & dixit ad me: Fili hominis, ecce ego cõteram baculum panis in Hierusalem, & comedent panem in pondere & in solicitudine, & aquã in mensura, & in angustia bibent: vt deficientibus pane & aqua, corruat vnusquisque ad fratrem suum, & contabescant in iniquitatibus suis.

TANDEM calamitates, & afflictiones, quas Iudęi passi sunt tempore obsidionis Hierusalem, enarrat: quæ cibi & aquæ penuria, atque inopia significantur. Etenim frumentum, hordeum & fabam, lentem, milium & viciam, recondere iubet, vt aduersariorum instante furia, inde quoquo pacto vitam solari possent. Necessitatem autem imminentem auget à tempore: quia trecenti & nonaginta dies, quibus vallabitur ciuitas, in hac angustia erunt: à quantitate, quia semel in die & vncijs necdum plenis decem, comedent; & aquam etiam eadem ratione bibent: à qualitate, quia placentis ex annumeratis frugum generibus confectis, & sub cinere decoctis, qui ex stercore humano, aut boum, in gratiam prophetæ, tanquam ex combustis lignis restabit. Ne autem casu, & citra diuinum consilium hæc obuenisse arbitrarentur, ait Dominus: Ecce ego conteram baculum panis in Hierusalẽ: mea, inquit Dominus, prouidentia, & consilio hoc futurum est. Labores etenim, & mala omnia pœnæ, quæ peccata puniunt, Dominus mittit, & propria manu admouere dicitur: vt alibi: Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit: & in tantas denique propter iniquitates, & scelera sua incurrent angustias, vt nemo fratri, aut Psal. 104. propinquo suppetias ferre valeat: sed ex æquo necessitate premente, omnes vastabuntur, & peribunt. Hæc, litera præsens illis primum ferebat. Haud dubium tamen, quin & alia per hæc Spiritus sanctus significauerit: omnia siquidẽ ait D. Paulus, in figura contingebant illis. 1. ad Cor. 10. Est ergo exterior & interior scripturæ sensus, quòd & sapientes Iudęorum docuerunt. illud enim Prouerbiorum: Mala aurea in lectis c. 25. argenteis, qui loquitur verbũ in tẽpore suo: Rabbi Moyses inter Talmudistas doctissimus, sic vertit: Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundum ambas facies suas, id est, secundum interiorem & exteriorem sensum, est sicut pomum in retiaculo argenteo. ac si dicat: necessarium esse, vt sit sensus exterior pretiosus, & bonus, velut argentum: interior verò multò melior, sicut aurum, donec se habeat exterior ad interiorem, sicut se habet argentum comparatum ad aurum. Necesse quoque est, vt sit aliquid in exteriori sensu, quod ducat, ac trahat considerantem ad interiorem: quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cùm procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum; cùm verò ob valorem argenti, atque decorem, habens visum acutum, prouocatus accesserit, videbit profectò aureum pomum latere: sic igitur sunt verba prophetarum. frequenter enim ea, quæ exterius sunt, sapientia est vtilis ad multa; vt ad compositionem morum, ac status cógregationis hominum, sicut patet in superficie Prouerbiorum Salomonis: quæ autem interius sunt, sapientia est perutilis, in credendis secundum veritatem. Hæc ille. Quæ ad verbum transcripsi, vt intelligas, solos Iudęos recentiores, quia obcæcati sunt, corticem literæ, & historiæ contemplari. Intrinsecus ergo sensum adhuc secundum ipsos habet hæc litera: & fames hæc tam calamitosa aliud significabat, præter id quod extrinsecus dicebat. & cogit etiam hoc sentire

temperatio horroris, quam impetrauit propheta, in vsum lignorũ,stercus humanum signatum, in bouinum fimum recepit commutatum: quia immundum illud erat, & nunquam introiuit,ait, in os meum. Vnde non solùm miserandam illam pressuram, quam Iudæi passi sunt in vastatione Hierusalem, per Titum,& Vespasianum eius patrem, vindices mortis Christi Iesu, verùm (vt interpretatur diuus Hieronymus) Euangelij, & verbi Dei famem, per orbem absque Deo, & lege vagantes: Atque hinc panem mixtum ex frumento comedunt; quia Deum credere profitentur: ex hordeo; quia in sensus, vt bruta animalia, depressi sunt: ex fabis; quia inflari,& mente hebetati (vtrumque enim faba præstat, ventris inflationem, & mentis hebetudinem) quapropter Pythagoras suis discipulis à fabis abstinere præcipiebat: ex lente verò eorum auaritiam taxans, ex quorum genere Esau lente primogenita sua vendidit: ex milio verò, & vicia; quia domi Dei,more altilium,lege & prophetarum doctrina cibati, & saginati, animalia ferocia euaserunt, vicia in pabulum ventis. Quæ & de ipsa Ecclesia, & vnoquoque eius membro, quod in facinora & peccata pertinaciter incidet, intentè accipi etiam vult. Sed duo insuper hic aduertenda sunt: Vnum,quòd decoctio ciborum stercore humano fiat, idololatriam significat,teste Hieronymo. Vnde quoniã ab idololatria Iudæi semper abstinẽt post Christi occisionem, in fimum boum illud permutatum est: quia propter ventrem & carnem, vt pinguescant solùm, cuncta operantur. Labore etenim boum bona terræ parantur, quare eorum fimo legitimè comparantur. Alterum est: quòd huius sæculi bona tanti æstimanda sunt, quanti baculus, cui pondus corporis innititur. Vt enim vitæ subsidia se subtracturum indicaret, baculum panis ablaturum minatur;sic enim insania diuitum collum diuitiis supponentium, cursim reprehenditur: qui, cùm homines ratione præditi sint, tantum ab ea mente alienantur, vt nõ solùm corpori, cui indulgere proprium animalium est,verùm baculo, qui corporis sustentationi solùm deseruit, se præcipites submittant.

CAPVT QVINTVM.

ET tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem capillos: assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igne combures in medio ciuitatis, iuxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos, & sumes inde paruum numerum, & ligabis eos in summitate pallij tui: & ex eis rursum tolles, & proijcies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel.

DE Hierusalem exercitu Assyriorũ circumuallata historicus sermo est in hoc capite: haud dubium tamen, quin spiritus Domini Ecclesiam suam alloquatur, sub genere etiam speciem deterrendo, si minùs rectè in via Domini gradiatur. Hoc
ad Rom. 15. enim nos docuit diuus Paulus scripturæ veteris diuinus interpres, dum omnia mysteria fidei, & quæ mores etiam informant, inclusa in illius literæ cortice eruit; hanc
1. ad Cor. 8. regulam nimirum sequendo: quòd quæcunque scripta sunt,ad nostrã doctrinam scripta sunt; vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus: vnde
Ad Gal. 4. sub bobus triturantibus ministros Ecclesiæ; vt sub filio liberæ, & seruæ, duo testamenta intellecta esse explicuit. Atque hoc quidem edoctus à Domino, qui ad Moysem & prophetas, suos asseclas remittit, vt quæ de eo scripta erant, acciperent, &
Lucæ 24 quod de specie, id est, de discipulorum congregatione dixerat, omnibus indiuiduis
Marc. 13. tempore subsequuturis, deseruisse pronunciauit, cùm ait: Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Ex quibus & Tyconius hanc eruit interpretandi scripturas regulam: vt à genere ad speciem, & ab specie ad indiuidua, & singula membra, ordinariè percurreret scripturę sermo: & ita eam diuus Augustinus amplexus est. Flagella igitur, quæ Hierusalẽ,rabie inimicorũ concussam,passuram declarat,eadem Ec-
Lib. 3. de doctrina Christiana. clesię, quoad sua mẽbra inordinata impẽdere dicitur. Sic aũt procedit, quòd primum signum

signum exhibet mala prænuncians, quæ populo circumuallato erant obuentura: deinde signum, quod in pictura descriptum erat, ciuitatem Hierusalem esse dicit, cui mala portenduntur, ob magnitudinem ingratitudinis & scelerum: & tertio signum explicat, atque flagellandis admouet. Signum ergo in persona prophetę exhibitum est, quòd pilos omnes capitis & barbæ nouacula tonsoris radere iubetur, atq; in tres partes iuxta ponderis mensuram diuisos, vnam partem igni in medio ciuitatis descriptæ absumere, secundam gladio per circuitum eius comminuere: tertiam verò in ventum proiectam gladio vndecunque persequi; & tandem exiguũ numerum assumere, & pallio seruare; & rursus ex eis in medium proijcere, & comburere: ex quibus dicit; Ignis egredietur in omnem domũ Israel. vbi aduerte iam lector, quòd suum populum puniturus Dominus, personam prophetæ serui charissimi ignominia afficit, dum pilis rasus incedere præcipitur. quod in opprobrium factum fuit seruis Dauid regem Syriæ nomine eius visentibus. (2. Reg. 10) Et saltem à Nazaręorum cultu, ob professionem religionis magni habito, sic distinguebantur: quia ludibrio fiant mundo, oportet, qui magni apud Dominum semper æstimati fuerunt: iuxta vocem illam perditorum; Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinẽ (Sapient. 5) improperij, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est! Et insuper eundem vatem filium hominis appellando ipsa nuncupatione deijcit, humilitatis sanè admonendo, ne ex colloquio diuino, & diuinorum arcanorum perscrutatione, quod frequenter contingit, à ratione diuina desciscat. Quod diligenter omnibus diuinarum scripturarum tractatoribus inspiciendum est. Sed quorsum pilorum rasura flagellum & punitionem minatur Dominus? Vt sanè veteres cogitationes, ex quibus vita commaculata prodijt, iuxta præscriptum Legis proijcerentur; (Leuit. 14.) deincepsque nouæ pullularent, vnde vita emendaretur: pili enim cogitationes in scriptura significant. secus autem, flagitiosa, & impia vita perseuerante, & eiusdem superfluitate crescente, peccatis iam redundantibus, (cum erga nos Dominus ex sua bonitate tantùm misericors sit) sceleribus nostris irritãtibus, iustitiæ suę gladium, quo superflua radat, arripere cogimus. Atqui quando totus populus Domino sua insolentia repugnat, totus puniendus est. vt populo Hierusalem eo tempore contigerat. In tres autem partes pilorum rasura diuiditur: quia iuxta Hebræos totum, & omne, ternario primùm tribuitur: & item quoniam omni genere peccatorum contra omnes tres personas sanctissimæ Trinitatis pertinaciter commiserant. Quod verò de tertia parte dicit, ex ea paruum numerum accipere, pallioque reseruare, & partem assumptionis deinde in ignem proijcere, vnde exiet ignis, qui totam domum Israel absumat: reductionem eorum, qui captiui erãt in Hierusalem, Domino sic ordinante, & eos protegente, vt Hieronymus testatur, significat: quia magnis ibidem tribulationibus oppressi fuerunt, vt in Esdræ libro apertè legitur. Quamobrem partem rursus aliam igni committere præcipitur, vbi ignem totam domum Israel exusturum prænunciat: quia, vt libro Machabęorum legitur, quidam ex Iudæis fautores Antiochi Epiphanij egressuri erant, qui ad perdendam domum Israel (1. lib. Mac. c. 1.) contra Iudam Machabęum & eius fratres, vehementer ipsum excitarent. Ecce ignẽ contra Israelitas ardentem, & vidisti eos comburentem, quãdo dissensionibus Hircani, & Aristobuli fratrum, de regno & pontificatu contendentium (vt Iosephus est (Lib. 14. Antiquit. Iud. & Lib. 1. de bello Iud. c. 5. & 8.) auctor) Cneius Pompeius, substituto Antipatro, & vt custode relicto, eos Romanorum ditioni subiugauit: & tandem eos absumentem conspexisti; quando à Tito, & Vespasiano mortis Christi Iesu vindicibus, vrbs capta, & desolata est. omnes enim has Iudęorum calamitates, & persequutiones se veluti è vestigio subsequentes, diuinus spiritus prophetæ ostendit. Cuius firmissimum argumentum est, quod infrà dicit: Faciam, ait, in medio tui, in oculis gentium iudicia: & faciam in te, quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam. Equidem vastatio illa per Titum & Vespasianum patrem eius, maxima omnium persequutionum Iudęorum extitit: quæ igne, gladio, & fame peruagata est, vt apud Iosephum videre licet: quæ hìc subindicatur, tanquàm species sub genere instantis tribulationis, quæ manibus tangebatur, vt su- (Lib. de bello Iud.) prà dictum est. atque hac ratione complebantur, quæ dies obsidionis superiori capite repræsentauerant. Petrus verò Galatinus de imminente calamitate sic locum in- (Lib. 4. cap. 11.)

terpretatur: vt per tertiam partem, quam in ignem proiecit, eos, qui de eo populo incendio vastandi erant, intelligat: per tertiam verò, quam gladio ferire iubet, eos, qui ferro interimendi erant: per tertiam autem, quam ad ventum dispersit, illos qui in captiuitatem ducti fuerint: per reliquam denique, quam in summitatibus pallij ligare præcepit, eos qui vt conuertantur in terra restant. de quibus illud Pauli vult intelligi: Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et vastationem item hanc, depopulationem illam Bitter ciuitatis, quam Iudæi post excidium Hierusalem per Titũ & Vespasianũ anno 48. ædificarunt, significare dicit: quã Adrianus imperator tribus annis obsederat, sexto mense tertij anni cepit, & in vindictam mortis Iesu Christi Domini nostri, cum maxima Iudæorum strage: vbi occisus fuit nefandissimus ille Barcozba, qui se Iesum proferre ausus fuit. de quo imperator, occisori eius afferenti truncum dixit: Nisi Deus suus hunc occidisset, quis aliquid contra eum potuisset? Signo igitur posito, hæc omnia Spiritus sanctus designauit. At dices qui hoc signo vsus est Dominus, cùm apertè mala quæ admoturus erat, infrà explicet? tantam etenim stragem peccatum illud primum in naturam humanam fecit, quòd adeò tenebris homines obruti sunt, vt vix seipsos, nedum Deum præsentirent: vnde tanta ruditate, & intellectus depressione, quibus Deus suam præsentiam affectabat, signum dare, & propria pignora mittere oportebat, vt cognosceretur. vnde maximè illi populo familiare fuit, semper quum Dominus aliquid præciperet, signum aliquod supernaturale exigere, quo suã omnipotentiam testaretur: qui se eorum ruditati semper accommodauit, tempore quo sub pędagogia legis egerunt. Verùm aduẽtu Christi Iesu iam emancipati, ad Legem & Prophetas, in quibus satis apertè se olim Dominus declarauerat, remittuntur. vnde quærẽtibus signum Iudęis respondit Christus Dominus: Generatio hæc praua & adultera signũ quærit; & nõ dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ. Alio etiã genere signorum Dominus est vsus, non populis petentibus, sed diuino suo consilio, mysterium suæ sacrosanctæ carnis assumendæ præsagiendo: vt quando Hieremias catena è collo pendenti incedere iussus est; & nunc Ezechiel raso capite, & barba. Est quippe in prophetis Christus Iesus Dominus assimilatus, & ideo habitu humili, lugubri, & quem mundi fastus derideret, ipsos induit, quia similibus irrisionibus in suæ vitæ stadio premendus erat; & ita ipsum populus conculcaturus. Insuper, vt omniũ oculos in se tanquam in stultũ praeriperet; quòd vrbẽ latere depingeret, & decomatus, contra suos pilos sic iustè diuisos, igne & gladio dimicaret, omnibus fabella esset; & ita rem memoriæ mandarent, in qua mysterium gerebatur diuinum, quod malo sui capitis ipsi Iudæi spectatores etiam experturi erãt. Prærerea Prophetæ Apostolos prædicatores Christi crucis retulerunt, qui stultitia mundo reputati sunt, & stultitia eorum prędicatio pereuntibus fuit visa, vt Diuus Paulus testatur. & eodem loco mysterium hoc enarrans dicit: Spectaculum facti sumus mundo, & angelis & hominibus: nos stulti, vos autem prudentes: & tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, & omniũ peripsema vsque adhuc. Semper enim qui insignes viri Dei fuerunt, excrementa mundi reputati sunt. Quod noster propheta insigniter personam Christi Iesu Domini nostri referens, insigni etiam abiectione illusus fuit.

[Margin: ad Rom. 11. — Luc. 24. — Matt. 12. — Osee. 13. — 1. ad Cor. 1.]

Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras; & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia, quàm gentes; & præcepta mea, vltrà quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt. Iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia gẽtium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati.

MORVM compositio, vitæ integritas, doctrinę lumen, non paruum adiumentum afferunt ad vitæ proximorum condimentum. vnde Apostolos, his virtutibus duces Ecclesiæ diuinitus institutos, salem & lucẽ Dominus appellauit. Et hanc eandem rem edisserens Diuus Paulus, vt taliter vitam componant, quòd gentes ad pietatem promoueant, hortatur dicens: Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsi-

[Margin: Matth. 5. — Ad Phil. 2.]

& hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei sine reprehẽsione in medio nationis prauæ & peruersæ. Ad rem igitur nostram: Postquam Hierusalem expressit Dominus, de qua ænigma propositum fuit, prouinciam, quam eidem commiserit, & quod fœnus ex ipsa reddiderit, narrat: Dicit enim Dominus, inter gentes eam collocasse, & in circuitu eius terras, id est, nationes terrena solùm colentes, per regiones circumquaque dispersas, ea quidem ratione, vt ex sua pietate & religione, atque vitæ compositione, gentes circumhabitantes, in diuinam pietatem, religione, & vitæ integritate attraherent: Attamen eorum vita & religio ab hoc instituto intantùm discessit, vt in impietate & vitæ inordinatione longè nationes superauerit. Siquidem Deum verum repudiauerunt, cui per circuncisionem, & legis adoptionem, tanquam viro nupserant, ipsum contemnendo, atque pro idolis gentium commutando: vnde neque in Dei præceptis ambulauerunt, pro luxu & voluptate carnis viuendo. Quòd si populum illum ruditate legis agentem, pertinacis vesaniæ gentium reum facit, quòd tanquam candelabrum in medio eorum positus non luxerit, quî nos in tantis diuitijs gratiarum positi, vt Turcis, & barbaris nationibus, veræ pietatis & ordinationis vitæ exemplo simus, vtràque re adeò exorbitantes, diuinam iram effugere poterimus? Sanè sacrosancto Dei Euangelio magnam iniuriam irrogamus, dum Indis, & circum iacẽtibus nationibus ipsum prædicando, longè alij vita & moribus inuenimur: vnde & cursum eius præpedimus, dum aliud manibus, aliud ore gerimus. Quod B. Paulus sic docet: Quoniam non inquieti fuimus inter vos, *2. ad Thess. 3.* neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ne quem vestrum grauaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cùm & essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt.

NARRAVERAT in genere sui populi ingratitudinem: nunc grauitatem criminum exponit. Nam quibus maiora amicitiæ, beneuolentiæ, & gratiæ pignora concredita sunt, ij grauiora eadem delicta reddunt, quàm qui similibus auxilijs destituti iacent. Potentes enim, inquit Sapiens, potenter tormenta patientur. Vnde quia tot *Sapient. 6* beneficijs populus ille abutens, gentes in impietate superauit, in transgressione præceptorum Domini, quoniam in eis non ambulauerunt, vt gentes suorum Deorum pacta colentes: in violatione legis, in qua iudicia sua, & consilia Dominus aperuerat; & tandem in contemptu præceptorum legis naturalis, vtrisque communis: nam iuxta iudicia, id est, mores gentiũ, non estis, ait, operati. Illæ siquidem præcepta naturalia ob oculos firmantes, cum cautione obseruare nituntur, & saltem ab iniuria fratrum temperantur. Vos tantum ab eorum custodia intantum recessistis, vt neque eos, cum mille defectionibus ea præscripta iactantes, imitati fueritis. Subdit ideo, & proh dolor quàm plenius & exactius nobis in Euangelij thesauris agentibus, hæc inculcat Dominus: quibus prima cura videtur, diuitiarum copia, cum iniuria proximorum, nonnunquam strepitus & fremitus domus; fastus, & ambitus insolens vitæ: nam in quo vitæ excessu Barbaros non superamus? recogitet vestium luxum, victus intemperantiam, in extinguibilem ignem linum, super leuissimis quibusque inter fratres, & conuicinos, qui iusta mensura hæc librare studuerit: at nos obdormimus, & obturantes aures, hirtis callis obdurauimus.

Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium: & faciam in te, quod non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos: & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum.

MIRVM profectò, quàm inuitus Dominus ad puniendum accedit: cum singultibus enim per prophetã flagellum intuetur dicẽs, Heu quia vindicabor de hostibus *Isai. 1.* meis. & rursus suo populo manũ admouens, vt ad meliorem mentem reducat, inquit *Cap. 16.* idem propheta: Vt faciat opus suum alienum opus ab eo. Quod supra etiam alle-

gatum eſt. In quem modum nunc,quaſi rem mirabilem, & extra communem vſum narrans propheta,quòd ſe Dominus exequutioni iuſtitiæ præparet, nedum exequatur, toties repetit, Dicit Dominus Deus. vnde, quaſi rem omnibus ſtupendam Dominus faciens,nota àdmirationis & animaduerſionis,iram ſuam & furorem ad vindictam faciendam notari voluit dicendo : Ecce venio ad te:quaſi puniens diceret, & iratus; idque quàm citiſſimè. potuerit repetitionem hanc diuini nominis occaſionaſſe magnitudo, & inauſpicata grauitas ſupplicij : nam tale, inquit Dominus, etit, quale antea non feci,nec vltrà facturus ſum : quod mutua parrum & filiorum commanducatio,à quo facinore mens humana penitus abhorret, declarauit. Atque vt ſuprà diximus, nõ de impẽdenri ſolùm ſupplicio, ſed de futura exulatione, & vaſtatione Iudęorum tempore Titi, & Veſpaſiani intelligendum eſt:à quibus in tãtas anguſtias redacti ſunt,in vindictam ſacratiſſimæ mortis Chriſti Ieſu Domini noſtri, vt fame compulſi,cloacas rimarentur,vetereinque boum fimum alimentum haberent, ſtercusque collectum:quod nec viſui quidem tolerabile fuerat,cibus erat. Quo deficiente,nec à cingulis, nec à calceamentis abſtinebant, cum & coria detracta ſcutis manderent: & intantum neceſſitas creuit,vt affectus humanos, & naturales ſuperás mulier quædam,filium comedere cogeretur, vt auctor eſt Ioſephus: In tãtam autem

Lib. de bell. Iud. 7. & 8. & Lib. 6. c. 16.

peccati immanitatẽ obcœcati,peccatis peccara ſemper addendo,deuenerunt. Quorum cumulus tantus fuit,vt dicat memoratus auctor: Puto ſi Romani contra noxios venire tardaſſent,aut hiatu terræ deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio peritură, aut fulmina Sodomæ paſſuram. multo enim magis impiom progeniem tulit, quàm illa pertulerat. Et de æterna tandem in inferno punitione impœnitentibus facienda intelligitur: quoniam ſicut vna plaga,futuram incorrectis, in ſacris literis ſignificat: ita omnes iunctæ, inferni inexhauſta tormenta repræſentant: vt latiùs in noſtris Cõmentarijs ſuper Apocalypſim deduximus: hæc enim omnia,verba Domini tam horribilia, in punitione hac ſonare vidẽtur. Bene verũ eſt, quòd illud de cõmanducatione alterutrũ, de præreptione panis & alimentorũ alijs ab alijs, ſunt qui intelligant.

Id circo viuo ego, dicit Dominus Deus, niſi pro eo, quòd ſanctũ meũ violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebor. Tertia pars tui peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ventum diſpergam, & gladium euaginabo poſt eos.

IAM ſatis ſuperque calamitates Hieruſalem pro foribus adeſſe prædixerat; quid opus erat nunc iuramento firmare? Primùm reſponderi poteſt, id Dominum feciſſe, vt non comminationẽ tantũ homines intelligerent, vt ea fuit, quam per Ionã Niniuitis fecit: ſed quòd definito cõſilio calamitatibus prędictis ſubiacebunt,nec eas vllo

Ione. 3.

pacto euaderet. frequens enim eſt hoc duplex genus cõminationis in ſcriptura, quod

1. Reg. 20.

Ionathas per ſignum illud, quod Dauid dedit ad diſcernendum patris ſui Saulis animũ,an minæ tantùm eſſent,quę cõtra eũ obtendebat, an reuera mortẽ eius machinaretur,declarauit dicendo : Si poſtquã emiſero ſagittã, vt ludens ad ſcopum dixero puero, Ecce ſagittæ vltra te ſunt, definitum eſt contra te patris mei conſilium: ſi verò dixero, Ecce intra te eſt,certum habebis, comminationes eſſe patris mei iras,nec tui perditionem intendere: eſt quippe ſagitta armorũ genus, quo & minari, vt circũſtans malum videat,& trãsfigere etiam inimicum ſolemus. Vt ergo Domini ineuitabilem calamitatem crederent,& non ſolùm comminationem eſſe iudicarent; iuramẽto interpoſito, ſua dicta firmauit. Deinde,quia populus ille maximè gloriabatur, quòd præ cæteris nationibus,tot beneficijs eum Dominus cumulaſſet; & cum hoc, honorem,& gloriam Domini tangere auſus eſt, polluendo ſanctum templum eius abominationibus & execrationibus idolorum. Hinc tertio iam loco flagellum manu accipere dicit: & iuramento decretum ſui conſilij firmat,dicendo: ſe Deum viuum eſſe,neque eſſe aliũ Deũ præter ipſum,cui honores diuini impendantur. Contrà autem ille populus fecit: vnde,vt abominationis peccatum, quod idolatrando commiſerat,hîc memoraret,numerum mutauit. Nam cùm antea de peccatis ſingulorum ageret,

ageret, Superastis, inquit, gentes, & in præceptis meis non ambulastis; nunc autem quia violasti templum meum, ait, &c. est enim hoc peccati genus grauissimum in conspectu Domini. vnde ait: Ego Dominus, & hoc est nomen meum : gloriam meá Isai. 42. alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus: & ita in sui vindictam ænigma capillorum propositum soluit: nam tertia pars peste & fame, tanquam igne efficacissimo peribit: tertia alia, confertis manibus cum hostibus in circuitu ciuitatis: vltima verò, quam euaginato gladio, contra suos capillos furendo, indicauerat propheta; ea hominum pars est (vt interpretatur Diuus Hieronymus) quæ in Ægyptum fugiens, Nabuchodonosor gladio concussa, & euulsa est. Atque ita dicit Dominus: Ego quoque confringam, hoc est comminuam gloriam tuam, quia tot criminum ausibus, tu meam lædere non es veritus. Quare non parcet, ait, oculus meus, nec miserebor.

Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus loquutus sum in zelo meo, cùm impleuero indignationem meam in eis.

ADMOTIS plagis, quæ inde bona accrescant, Dominus enumerat. Primùm enim inquit, finietur furor meus, cessabit indignatio, & consolationem accipiam. Loquitur siquidem ad modum irati hominis affectibus subiecti, qui cùm intrinsecus castigatione prorumpit, furor efferuescere, & mitigari solet. Ita enim Iob dictis suorum amicorum prouocatus, æstuanti animo dicebat : Si tacuero, id est, si animum meum non effudero, ecce commuto faciem meam, & dolore torqueor. Item vir prudens & sapiens indignatus alicui, ob opus non benefactum, veluti fame iustitiæ distringitur : attamen cùm eius vindictá viderit, pœna inflicta, perinde ac pane, videtur saturari: vnde exhilaratur, & consolationé accipit. Quod Dauid canebat dicens: Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris, vnde subijcit : Et scient, quia ego Dominus loquutus sum in zelo meo : id est, sentient me iratum, id est percutienté, & complentem quę dixerim. qui toties me minis, & terroribus exhortantem audire contempserunt, & verba tantùm meas comminationes sunt arbitrati. & hoc quidem meritò : nam qui vir vxori se alijs tradenti non irascitur, & eam nó punit? nullus sanè. Perinde ergo in zelo meo hoc facio, ait Dominus, qui te mihi despondi, & in vxorem duxi. Sed qui hoc scient, qui peste, & gladio conciderint? scient, respondet diuus Hieronymus, qui ex dictis cladibus restabunt exules, aut captiui; qui dolentes ea murmurabunt.

Iob. cap. 3.

Psalm. 57.

Et dabo te in desertum, & in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.

SECVNDO loco ait: qui spectaculo calamitatis residui erunt, humiliari discent, qui gloriabundi antea gentes deridebant. Nam tùm meritas suæ inanis gloriæ pœnas videbunt, cùm suam ciuitatem desolatam, vt desertum à feris habitari conspexerint. gentes prætereà omnes, quæ in eius circuitu sunt, hoc denunciabunt ei insultantes, & ignominia & opprobria in eam refundentes, quæ antea ipsæ pertulerant: intantùm vt omnibus prætereuntibus, & iter agentibus ciuitas gloriosa fabella sit.

Et eris opprobrium & blasphemia, exemplum & stupor in gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cùm fecero in te iudicia in furore, & indignatione, & increpationibus iræ, quæ ego Dominus loquutus sum, quando misero sagittas famis pessimas in eos, quæ erunt mortiferæ, & quas mittam, vt disperdant vos: & famem congregabo super vos, & conteram in vobis baculum panis; & mittam in vos famem, & bestias pessimas vsque ad internecionem: & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Ego Dominus loquutus sum.

POSVERAT

Posuerat Dominus populum Hierusalem in disciplinam gentibus circum habitantibus: at cùm disciplinæ loco eas suis impietatibus & criminibus magis corruperit, iustitia clamabat, vt quod luxus perdiderat, pœna, & castigatio reformaret. Quamobrem ira Dominus populũ suũ puniuit, vt opprobrium simile fugientes, & blasphemiam perhorrentes, hoc est, execrationem, maledictionem, & sacrilegam infamiam illius populi videntes, in meliorem mentem se conuerterent: & stupore occupati, ne similia & ipsi patiantur, exemplo discant non peccare. His tamen rebus incessere ciuitatem dicit gentes, quoniam viderunt, quando fecero, inquit, iudicia, & misero sagittas meas. Per sagittas, punitiones intelligit diuus Hieronymus, alij locustá, æruginé, & similia animalcula, quæ fructus demoliri solent, vnde penuria accidere solet. & statim infert: & famem congregabo super vos: hoc est, etiá famé alijs rationibus parabo: vt non mittendo pluuiam; atque adeò, inquit, vt conterá baculum panis; id est, omnem demam sustentationem. Quare tertiò addit: & immittá in vos famem: quasi leuius vexando in principio, deinde per incrementa calamitaté augendo, famem vsque ad internecionem, indicturum affirmat. Quapropter tertiò vel quartò famis mentionem intulit. Simul etiá bestias se Dominus immissurú pronunciat: nam canes in dominorum carnes concitat Dominus, inquit diuus Hieronymus: & lupis, ac vrsis ac similibus terram replet, furentibus in vindictá malorú hominũ. Famis autem pedisequa est pestis, quam etiam mittet Dominus: & clades magnæ erũt, & sanguinis effusiones: quia gladium, hoc est, superiores hostes, qui mactent & iugulent, inducam, ait, super te. Et subijcit; Ego Dominus loquutus sum: id est, ita ego Dominus statui. Vbi considetes oportet Christiane lector, hæc nobis Dominum nunc dicere, si ijsdé sceleribus & criminibus, si maiori ingratitudine ob potiora beneficia recepta, versemur. Quid? qui iustitiam in filio suo vnigenito adeò stupendam pro nobis fecit, desinet esse iustus? minimè. imò querelarum maiores causas sic contra nos ingratos auget. Quapropter si populus ille, Domini liberali vocatione & electione oliua factus est, ingratus autem Domino & contumax in oleastrum gentium recidit: a quibus quando Abraham vocare Domino placuit, assumptus est; quæ pignora populus Christianus securitatis habet, ne Domino repugnans in naturá suá recidat, & oleaster euadat, vt inquit diuus Paulus? (ad Rom. 11.) Christus enim ipse, meritoq. eius sanctissimæ mortis hoc sanè operatur: quòd eius ecclesia catholica vsque ad finé sæculi deficere nõ potest, vt idé Dominus pollicitus est: (Matth. 28.) Ecce vobiscũ sum vsq. ad cõsummationé sæculi: & quòd semper illi grata erit secũdũ potiora eius mẽbra: Nõ tamen prohibet vindicem Dei iustitiá, eam ciuitaté, aut eá regioné impetere, quæ diu expectata, vt faceret vuas, (Isai. 5.) semper male viuendo, & Dei omnipotentis præceptis repugnando, nunquam nisi labruscas attulit. Equidem huiusmodi ecclesię partes gladium, pestem, famem, corporaliter & spiritualiter audiendi verbum Dei sentiét: vt nostris calamitosis temporibus Britania, Gallia, Germania miserè satis hæresibus deprauatæ cernuntur. Sed quid vnam aut alteram prouinciam commemorem? cùm per Africá, & fermè totam Asiam ecclesia Catholica suos fines dilatauerit, quos nunc pagana gens occupat. Vt ergo in angustiorem angulum Europæ redactam, in eo conseruare placeat, ne ad Indos, aut quouis alio loco pro inscrutabili eius diuino consilio omnino transferat, in alieno capite periculum faciamus. Nam ecce hoc loco arcum suum (Psalm. 7.) tetédit, & in eo parauit vasa mortis, quæ in illum populum veterem fudit: timeamus, ne eadem in nos refundat, si similiter ingratos, contumaces, & prauos nos exhibuerimus: & populus ille sic punitus sit nobis opprobrium, blasphemia, exemplum & stupor, qui prope & intra ecclesiam sumus; ne gentes nequitia, prauitate, & industria superando, hæc eadem nos illis simus.

Caput sextum.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam ad montes Israel, & prophetabis ad eos, & dices: Montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra, & demoliar aras vestras, & confringentur simulachra vestra: & deijciam

ciam interfectos vestros ante idola vestra: & dabo cadauera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum; & dispergam ossa vestra circum aras vestras; in omnibus habitatoribus vestris. Vrbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur, & interibunt aræ vestræ, & confringentur, & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra, & cadet interfectus in medio vestri: & scietis quia ego sum Dominus.

Ostenderat Dominus superiori capite sacro vati peccata in genere, ob quæ mala renunciata parauerat. Nunc ad speciem descendendo, idololatriam, vt caput omnium aliorum scelerum & peccatorum illius populi, recenset, quod primum punire statuit. Diabolus opetum Dei assiduus calumniator, loca excelsa, vt cœlo propinquiora, adorationi Dei aptiora esse hominibus persuasit, vt vel hac ratione delusos ad sui adorationem pelliceret: Hinc forsan occasionem nactus, quòd Dominus in monte Abraham filium suum immolare iusserat; & Patriarchæ in montibus altaria construxerant; & ipse Dominus in monte Sinai Moysi legem dederat: & Benadab rex Syriæ bellum secundò committere cum Israel non est ausus, dicentibus seruis eius, Dij montium sunt dij eorum, & ideò superauerunt nos: sed melius est, pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. Vnde & in monte à Domino nostro IesuChristo sui adorationem diabolus petijt. Tale enim est eius ingenium, quòd, vt torporem humanum deludat, ex ipso loco & rebus adiacentibus verum Dei cultum, occasionem sæpe sumat, se transfigurandi in angelum lucis: & ea ratione honores diuinos nanciscatur. Hoc igitur idololatriæ peccato primùm irritatus Dominus, prophetæ iubet contra montes Israel ponere faciem suam, ad quos sagittæ furoris Domini dirigebantur: & quoniam idolis sacrificaturi in montibus, colles, rupes, & valles omnes replebant, ad omnia hæc loca sermo Domini dirigebatur: non vt contra ipsa inanima ira Domini excandescat, sed contra eos, qui his locis ita grauiter deliquerunt: contra sacerdotes nempe, magistratus, doctores legis, & populum eorum vestigia sequentem: Sic igitur in hos flagellum inundabit, quòd principio, excelsa ipsorum destruet, aras perdet, & simulacra omnia e suis locis deijciet gladio bellico, & denique eos in præsentia suorum idolorum interficiet: cadaueraq; eorum ante simulacra iacere faciens, ante aras omnia eorum ossa disperget: & scietis, ait, quia ego sum Dominus. Sic res gesta est in illum populum: sed dum illos pressit, nos similium timore docuit. Nam prædicator verbi Dei contra magnos, fastosos, sæculi potentes, faciem ponere debet, id est, animum concipere, fortem & robustum se exhibere, vt quæ ad gloriam Dei pertinent, intrepidè prænunciet. vnde obfirmare hic faciem contra montes Israel prophetæ præcipitur. Illi quidem idola lignea, marmoreaq; adorabant: at, qui idola interna, non manibus fabricata (quæ tanta ruditate suos cultores arguunt, vt extra homines ponant:) sed mente concepta, & in secretiori cordis parte repositacolunt; vt diuitiarum opulentiam, honorum potentatus ac amplitudines, etsi non verbis, saltem factis pro dijs celebrant: nónne obfirmatam prædicatoris faciem requirunt? Ita sanè. & non item grauissimæ diuinæ vltiones eos manent? proculdubio: imò tantò maiores, quantò interius omnino attentè venerantur, etsi extrinsecus fugiant & vili pendere videantur. Et in præsentia idolorum suorum eos casuros prædicit Dominus: vt vel hac ratione imbecillitatis eos admoneat, quòd deos colant, qui suos proprio conspectu intereuntes saluare nequeát. Et cadauera rursus ante simulacra circumjacienda indicat: quasi diceret: Vobis & illis inuitis, polluam. Nam illo tempore ossibus & cadaueribus mortuorũ loca sacra polluebãtur: & hoc obumbratum in lege videmus, in testimonium sanè huius, quòd impij & scelerati, & peccatis mortui, sic perseuerantes, in templo comparere non debuissent. Et tandem eorum ossa circum aras dispersum iri annũciat, in abolitionem & abominationem sanè idolorum, & eorum cultorum: quòd strage tanta à Domino facta, non erant futuri, qui eorum causam, timore correpti, agerent: neq; qui vicem sic pereuntium doleret, ossa eorum cremando, aut humando, vel aliud pietatis officium impendendo. Verùm iam, quod nostra interest, discendo; ambitiosos, auaros, ventrosos omnes homines, sibi ipsis & fluxis rebus seruientes, quod est idolorum seruitus, teste Paulo, vehementer hoc loco arguit Dominus. Etenim

3.Reg.20. 2.Cor.11. Ephes.5.

nim vt non solùm post mortẽ & in inferno hæc obuentura mala, quando destructis idolis dignitatum, & diuitiarum, quæ nescient cuius erunt, ipsi interfecti ante altaria dæmonum consepulti iacebunt, vbi in æternum absq; vlla pietate cruciabuntur, discamus: sed quæ in hac vita Dominus sæpe sæpius sentire cogit. Nam idola frequenter destruit, diuitias, honores, & cætera id genus, in quæ idolatrabant, auferendo, vt miseri cum inflatione, & tumiditate sui cordis, ipsis idolis destructis, quorum causa mille peccatis fuerunt mortui, prosternẽtur: quorũ etiam ossa disperget Dominus, quando potentes, & fautores, quibus tanquam ossibus nitebantur, eos deserunt, in proprias, aut aliorum curas sollicitati. Et ita scietis, subijcit, quia ego sum Dominus. Discamus igitur hinc, quanta caligine, quanta cæcitate, & quam magna nube eos diabolus obtenebret, quos in suam ditionem semel assumpsit. Nam quos ab Ægyptijs liberauerat Deus omni sua vi dæmonibus repugnantibus, pede sicco per mare rubrum transuexerat, quos tanta indulgentia per desertum allexerat, quos tantis victorijs in introitu ipso promissæ terræ, contra idola gentium exultarat: tandem in seipsos decidentes, Dominum obliuiscuntur, Deum ignorant, & dæmonia præcipites colunt, & adorant: in tantum quòd, vt in sui cognitionem assurgant, timore horribili eos concutit, atque adeo dicit: Et cognoscetis, quia ego sum Dominus, & non scilicet alius.

Luc. 12.

Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium, in gentibus, cùm dispersero vos in terras: & recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captiui ducti sunt: quia contriui cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes post idola sua, & displicebunt sibimet super malis, quæ fecerant in vniuersis abominationibus suis: et scient, quia ego Dominus non frustrà loquutus sum, vt facerem eis malum hoc.

REPRÆSENTATA strage populi illius idololatræ, qui residui erant, captiuos à gentibus ducendos fore prædicit, & fructum etiam, quem inde sperat Dominus: nam recordabuntur mei inter gentes, non aliud mente & ore versantes, quàm quomodo cor eorum fornicans, id est, idolis tribuens, quod mihi ipsa hominis conditione adiudicaui, & simili modo oculos fornicantes contriuerim? fornicatrices enim antiquitus sub arcus murorum prosternebantur, quæ loca fornices appellabantur: vnde quòd cor vulgare, publicum, & omnibus volentibus expositum haberent, fornicans appellauit. Atque calamitates suas recolentes, dolebunt super vniuersis malis suis, quæ fecerant in cunctis abominationibus & offensionibus. Quod in magnum commodum ipsis cedet: nam scient, ait, quòd ego Dominus non frustrà loquutus sum, vt facerem eis malum hoc: quasi diceret, quòd non ob id sic populum vastaui, quòd delecter in perditione viuorum (vt alio loco dixit) sed vt vos ad mei cognitionem, & ad pœnitentiam addicerem; & ad eadem vestro exemplo gentes omnes prouocarentur. Diuus Hieronymus per hos captiuos inter gentes & liberatos à gladio Israel, Apostolos intelligit, qui iugo Domini suaui captiui, atque ab inferni gladio liberati, cui subiecti erant omnes Iudæi, Euangelio Christi Iesu repugnantes, eiusdem fidem & pœnitentiam gentibus prædicarunt. Non inepte tamen, imò apposite satis pœnitentiam Dominus vniuersis peccatoribus intimare videtur. Qui enim vitæ præteritæ pœnitudine constringuntur, iugum Domini recognoscentes, captiui illius efficiuntur, & commutationem vitæ confitentes, liberati à seruitute peccati, atque ad dictam pœnitentiam timore saltem inter initia semper assurgunt, inferni, aut mortis corporalis, quam, fratres suos & propinquos ante oculos deglutisse cernunt. Atque hinc cor, quod Dominus semper ardet, ipsi tradunt, & oculos mentis in res fluxas & vanas vagos, & ab vna in aliã semper transuolantes, sursum attollunt, & in Deum figunt: & insuper videntes pro voluptate aut re nullius momenti, infinitum bonum, hoc est Deum ipsum commutasse, sibi ipsis displicent, & irascuntur super vniuersis malis & offensionibus quas commiserunt: & dolore voluntariè assumpto, malè acta, quæ sibi aliquando oblectamento fuerunt, deflendo puniunt. & hoc proculdubio est quod Spiritus sanctus nos & illos docere intendit.

Sapien. 1.

Hæc

Hæc dicit Dominus Deus, Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorũ domus Iſraël, quia gladio, & fame, & peſte ruituri ſunt. qui longè eſt, peſte morietur, qui autem prope, gladio corruet: & qui relictus fuerit & obſeſſus, fame morietur. Et complebo indignationem meam in eis.

TANTA eſt grauitas peccati, tantaque eo iniuria ſummæ bonitati irrogatur, quòd tanquam rem inauditam, & quam non niſi ſtupidus, veſanus & excors homo ſponte tentaret, quamque Chriſtianus, & bene ſanæ mentis homo admirari debeat: infinitum bonum pro nihilo vendi, creatorem pro creatura commutari, benigniſſimum Dominum, ac omnium liberatorem & redemptorem in ſeruitutem redigere, quis attentè recogitabit qui in ſtuporem non rapiatur? Quapropter, quod verbis exprimi nõ poteſt, toto geſtu & habitu corporis ſtupefacere iubet Dominus prophetam, & per eum nos omnes, qui in ſortem Domini aſſumpti ſumus. Percute, inquit, femur tuum præ admiratione; allide pede terram veluti conculcando præ indignatione; & ore gemitus vehementis affectum, & doloris crucianris vim, ſuper omnes abominationes & offenſiones domus Iſraël euome: hæc omnia ſignificare ſolent, qui magnitudine alicuius rei attoniti ſtupeſcũt. Verùm & ſi ob ſua peccata ſic quiſque horrore percipi debeat; prælatus tamen, prædicator, doctor, & qui aliorum curam gerit, populi peccata dolere, gemere, & perhorrere hîc admonetur à Domino: vt qui eius honoris zelator, & procurator conſtitutus eſt. Sed quæ ad hæc perpendenda excitabunt? nempè flagella Domini inſtantia, quibus vt ad saniorẽ mentem populum reducat, caſtigat. nam fame, gladio, peſte populum ſuum hîc vaſtantem Dominum proſpiciendo, magnitudinem peccatorum perpendere, prophetæ iubet Dominus. Vnde, vt qui gladium fugerunt, peſte ſuum caſum ſenſerunt; qui obſeſſi, & circundati fame, & qui cum hoſtibus manum conſeruêre, propè exiſtentes gladio ceciderunt: ita nimirũ qui longè ab vnitate eccleſiæ Catholicæ hæreſibus & erroribus longè abeunt, peſte doctrinæ infectæ pereunt: quia in cathedra peſtilentiæ ſede- Psal.1. re elegerunt, aut ſedentes conſectati ſunt: gladio etiam lethalis peccati inimicorum inueſtigatione confoſſi intereunt, ſuperbi & elati, qui ſuis verbis fidentes, pedem cum diabolo conferre non ſunt veriti: vnde & proſtrati amicitiæ fœdus cum ipſo inierunt. Et tandem fame ſpiritalis cibi, vitij aut vitiorum infinitis pene ſceleribus irretiti, aduerſarijs poteſtatibus conſtipati, & circumuallati, pœnitentiam ſemper procraſtinant, ac tædio, & negligentia torpentes, panem ſuum, prophetam ſequendo, Psal.101. & 37. cum fletu non miſcent: nec minus dolore perciti, peccata ſua cum gemitu ſuo tugiunt, columbarum & turturum cantus imitantes. quod proprium eſt obſtinatorum hominum, qui, periculo in alieno capite facto, nec timore iudiciorum Domini, nec Apoca.2. mortis illius fœcundæ perpetuò in inferno duraturæ, ad pœnitentiam non aſſurgunt, nec frugaliori vita, miſeram anteactam, contegere procurant.

Et ſcietis quia ego Dominus, cùm fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum in circuitu ararum veſtrarum, in omni colle excelſo, & in cunctis ſummitatibus montium, et ſubtus vniuerſam quercum frondoſam, vbi accenderunt thura redolentia vniuerſis idolis ſuis. Et extendam manum meam ſuper eos, & faciam terram eorum deſolatam & deſtitutam à deſerto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, & ſcient, quia ego Dominus.

ITERVM hîc diuinus ſpiritus loca, quæ colluuie peccatorum populus repleuerat, & potiſſimum idololatrijs commemorat; & quòd, quæ in miniſterium hominum deſtinata fuerunt, eorum vanitati ſeruientia, non ſponte, ſed propter eum, qui ſubiicier ſibi omnia, vt inquit Paulus, polluta fuerunt, receptione ſanguinis ſic de- Ad Ro.8. linquentium quodammodo vindicata, munditiem accipient: & vbi peccauerant, ibi punirentur, ait Hieronymus, quod in punitionibus huius vitæ ſæpe ſolet obſeruare

Dominus. & tunc, inquit, scietis, quia ego Dominus. Sed qui scient? nimirum qui restabunt: eos enim timore permouit Dominus, vt eum agnoscerent, honorem solùm ipsi impenderent, eique seruirent, & in omnibus gratificarentur. Et nos equidem, qui tam horribilis tragœdiæ in ecclesia catholica spectatores sumus, vt illorum capitibus cauti, nostræ vitæ consulamus, & idola mentis, quæ tota vita coluntur, vt sunt diuitiarum, honorum, dignitatum, potentatuum, quæ nobis tanquam vitæ fines vltimos constituimus, abnegemus, deiiciamus, & ipsis tanquam instrumentis vtendo Deo nostro Domino Iesu Christo seruiamus, nosque & cætera omnia ad eius honorem & gloriã ordinemus; & sciamus iam tandẽ, quòd ipse est Dominus Deus noster, cui seruire regnare est, ne qui vecordes fuerint, in inferno sciant, vbi sera continget pœnitentia. Nam extendam, inquit Dominus, manum meam à deserto Deblatha in omnibus habitatoribus eorum. Quasi dicat: omnes voluptuosos homines, qui dulcedinem omnem tota sua vita exquirunt, & vndique sales sibi & suauitatem peccando congerunt mei obliti, perdam, habitationes eorum desolabo, & desertas faciam: atque apud inferos cum dæmonibus inter eorũ aras & idola, & suffitus, in æternum habitare faciã: vbi amaritudinem horribilem inuiti experientur, quam suis peccatis fucatam, & mellis dulcedine coopertam ebiberunt; & eam per pœnitẽtiam sentire Prouerb. 5. contempserunt. Fauus enim distillans, inquit Sapiens, labia meretricis; & quod ad tempus vescentium fauces impinguat, postea verò amarius felle inuenitur: quia nouissima illius amara, sicut absinthium: & quodlibet peccatum hoc condimento deglutitur. Quod si amaritudo eius hic per pœnitentiam non sentiatur, necessariò post mortem in inferno experietur, & hoc est quod sonat, à deserto Deblatha &c. Deblatha enim idem est, quòd massa ex ficis compacta, quare vitam dulcem significat, desertam tamen omni bonitate.

CAPVT SEPTIMVM.



ET factus est sermo Domini ad me dicens, Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israël: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ: nunc finis super te: & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas; & ponam contra te omnes abominationes tuas, & nõn parcet oculus meus super te, & non miserebor, sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego Dominus.

NVLLVM non mouet Dominus lapidem, vt ad nostram salutem procurãdam excitet, & permoueat. Contra ciuitatem Hierusalem, & contra montes, insuper & colles dixerat Dominus: nunc contra vniuersum populum Israël inuehitur, eiusque finem instare pronunciat: vt nullus sit, qui timore non corripiatur, vbicunque agat. Hoc autem ordine procedit, quòd principio exitium prædicit, deinde magnitudinem eius describit, tertiò instrumentum, & apparatum, quo id exequuturus sit, narrat: & tandem habitum, & pressuram eorum qui relinquentur. & quod amplius est, quòd nec à templo, vbi ipse Dominus colebatur, & quo ipsi maxime gloriabantur, manus sacrilegas continebit. Dicit ergo certissimum esse exitum illius populi, vbicunque in quatuor terræ plagis habitationem habeat; imò iam præsentem esse. nam hoc innuit geminatio illa; finis venit, venit finis: aut interminatio, si semel legatur verbum, venit, vt aliqui volunt. quia iustitia diuina exigit, vt inueterata eorum scelera puniantur, & castigentur pro meritis: hoc enim sonat; iudicabo te iuxta vias tuas. viæ enim peccatorum inueterata flagitia in modo viuendi dicũtur. Et quia diu expectatus est, & terminus vltimus induciarum accessit, iam misericordia iustitiam flectere non valebit. Quare ait, non parcet oculus meus, nec miserebitur. Vbi Ionathas paraphrastes Chaldaicus ait; & nõ misericordiam habebit verbum meum super te. vbi pro oculo verbum vertit: oculus enim rationalis creaturæ iustitiam & iudicium videt. quare pro verbo Dei sæpe ponitur, vt præsenti loco. Quòd autem verbum diuinum intelligat, quòd fontes misericordiæ mundo apertus erat, hinc

patet,

pater, quòd misericordiam illi tribuit, ac proinde vitam, cùm misereri viuentis sit. Quod beatus Ioannes explicuit dicens: Quod factum est, in ipso vita erat. Sed Ioan. cap. 1. vnde apud clementissimum Dominum misericordia locum nõ inueniet? quoniam nulla, inquit, excusatio à gladio iustitiæ quemquam eximere poterit, vel vobis ipsis iudicibus, inquit Dominus: Nam contra te, ait, ponam omnes abominationes tuas, id est, coram facie tua tuorum scelerum manticam, quam tergo vehere solitus fueras, ponam. Quod aliis verbis idem spiritus per Dauid dixerat, Existimasti inique, Psal. 49. quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam, &c. Et insuper, vias tuas, id est, instituta tua mala viuendi super te ponam, in fronte nempe, aut capite, hoc est in mẽte & memoria, & denique in medio vestri, (vt alterutrum oculati testes sitis) cunctæ abominationes vestræ erunt, vt me sic punientem, legitimum & verum Dominum sciatis, & cognoscatis. Tu iam hinc lector Christiane diem mortis time, siquidem ita exacta vitæ ratio exigenda est: & diem illum postremum vniuersalis iudicij, quando in publico consistorio, adstante vniuerso mundo, contra te, & super te, & in medio omnium tuæ abominationes, & viæ malæ proponentur. Etenim dum Israëliticum populum sic iudicabat Dominus, hunc horribilẽ diem procul dubio notauit & significauit.

Hæc dicit Dominus Deus, Afflictio vna, afflictio ecce venit: finis venit, venit finis: euigilauit aduersum te, ecce venit, venit contritio super te qui habitas in terra: venit tempus, propè est dies occisionis, & non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundã iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te secundum vias tuas, & imponam tibi omnia scelera tua, & non parcet oculus meus, nec miserebor: sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt. & scietis quia ego sum Dominus percutiens.

STRAGEM & magnitudinem calamitatis enarrat, quam abvnitate, à diligẽtia, & cura Dei flagellantis, ab effectu, & affectu exaggerat. Afflictio, inquit, vna venit: Quia vsque adeò efficax, quòd secunda opus non erit, iuxta illud, quod etiam per Nahum cap. 1. alium prophetam dicit: Non consurget duplex tribulatio. Ab industria, & proposito flagellantis rem auget: qui frequenter, & quod illi magis cordi est, tepidẽ & velut inuitus, & dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, vt inquit Sapiens, Sapient. 11. manu flagellum accipit. Et nunc euigilans, referẽs sanè illud Hieremiæ, Ecce ego vigilabo semper in malum, & non in bonum. Vnde veluti à somno tam longæ dissimu- Hiere. 44. lationis excitatus, in Israël venit, & in omnes habitantes in terra, id est, pondere terrestrium rerum inclinata corda, & grauata in imum tenentes. Ab effectu item crescit excidium, quippe ita omnes comminuentur, quòd erit omnium contritio & vniuersalis dies occisionis siue fractionis. quia venit corona, vt alius textus habet, id est, regnum potentissimum Chaldæorum super eos: & omnem iram suam effundet in eos. His enim absolutam & integram punitionem faciet Dominus, complens furorem suum, iustitiæ nimirum suæ rigide satisfaciens: in tantum quòd omnia luctu plena erunt: & ipsi montes superbi, qui vestræ exultationi fuerunt, dum nullum locum vestris voluptatibus aptum, incontaminatum reliquistis, non gloriæ & lætitiæ amplius seruient; neque echo vobis tripudiantibus, clamantibus, aut more equorum voluptatibus hinnientibus amplius reddent. A breuitate tandem temporis, & repetitione illius calamitosæ diei, eos qui in captiuitate erant, timore concutit: & hoc vt vaticinio Hieremiæ captiuitatem vniuersalem omnium, & ciuitatis Hierusalem desolationem prædicenti, fidem habeant; & Pseudoprophetas, contra ipsum prædicantes non audiant. Nam post tres annos, vt inquit Hieronymus, vastatio complenda erat: siquidem anno quinto Sedechiæ cœpit Ezechiel prædicare captiuis in Babylone, & anno nono venit Nabuchodonosor Hierusalem, & obsedit eam, & vndecimo cepit: & post tres annos à prædicatione Ezechielis calamitas successit. Quapropter breui futuram esse dicit. & toties item ærumnosum illud tempus, & iuxta illorum merita punitionem futuram, ipsisque peccata, & vias suas iniquas, oculis cernẽtibus inculcat: vt pœnitenti à vindictam tam horridam caueant:

vſque adeò noſtram ſalutem omnibus modis Dominus ardet : & inſuper vt completam iam eorum malitiam declaret ad illud culmen quandoquidem eorum iniquitates peruenerint, vt ſolùm vindictam ipſum poſtulet, expectationis & longanimitatis diuinæ tempore expleto. Perinde ac quando completæ fuerunt iniquitates Amorrhæorum, depopulati fuerunt : vt non amplius theſaurizarent iram in die iræ, vt inquit beatus Paulus, quod eximiæ Domini miſericordiæ eſt.

Geneſ. 15. Ad Ro. 2.

Ecce dies ecce venit : egreſſa eſt contritio, floruit virga, germinauit ſuperbia, iniquitas ſurrexit in virga impietatis. non eſt ex eis, & non ex populo, neque ex ſonitu eorum, et non erit requies in eis. Venit tempus, appropinquauit dies. qui emit non lætetur, & qui vendit non lugeat: quia ira ſuper populum eius : quia qui vendit, ad id quod vendidit non reuertetur : & adhuc in viuentibus vita eorum. Viſio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur, & vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur.

CVM malitia inundauerit, ita vt peccatum vnum alterum excieat, neque finis peccandi ſit, non amplius Dominus expectat, nec protrahit moras, ſed peccatis tibias ſcindit, peccatores ipſos perdendo. Perinde igitur contigit Iſraël, cuius iniquitas in virga impietatis ſurrexit : hoc eſt adeò ipſi maiores, qui Reipublicæ gubernacula gerebant, impij in Deum extiteruut, quòd poteſtate ſua abutentes, violenti omnibus fuerunt, & totum populum corruperunt; cùm docente natura, plebs ipſa, proceres, & iuſtitiæ virgam portantes, moribus & vita ſponte ſequatur. Sic etiam peccatorum criſta erecta, & ceruice indomabili, ſententia & conſilio repugnantibus, vaſtatio & perditio, in iuſtitiæ vindictam, à Domino admouetur. Atque idcirco nunc inſtrumentum, quod ad hoc miniſterium aſſumpſit, enarrans, Nabuchodonoſor regis Babyloniæ concitationem, & apparatum ad hanc rem exequendam, deſcribit; ſimul & effectum, quem ſua expeditio faciet. Ait ergo, Ecce venit dies, & egreſſa eſt contritio, ſeu corona, aut confractio, vt alij textus habent, in idem enim coëunt: Nam perinde eſt, ac ſi dicat: Ecce rex Babylonis iuſtitiæ meæ miniſter adeſt, & cum exercitu ſuo profectus eſt : quare breui rem complebit. Et ſequetur contritio, ait, in Iſraël, quia comminutio, & totius populi occiſio. Sed rectius legitur confractio, quoniam qui in populum Dei adſcripti ſunt, velut quædam vaſa exiſtunt, quæ pro cuiuſque capacitate, nomen illud Dei infinitæ bonitatis, & miſericordiæ, vt liquorem pretioſiſſimum contineant, atque inſuper in Dei honorem & gloriam ſemper diffundant, aſſumpti ſunt. [Actor. 9.] Secundum quam rationem beatus Paulus vas electionis nuncupatus eſt, & ipſemet Dominus Chriſtus Ieſus eodem tropo & figura dicendi vſus eſt, [Math. 21.] quando de ſeipſo loquens ſub typo lapidis angularis, dixit : Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur: confringi enim vaſorum eſt. Quapropter, qui in populum illum Dei electi fuerunt tanquam quædam vaſa quæ nomen Dei portarent, & in omnes gentes diffunderent, deſignati ſunt : ab ſcopo autem ſuo deficientes, imò contrà, Deum irritantes, quando puniuntur, meritò perinde ac vaſa confringi dicuntur. Verùm nunquam ab oratione & precatione deſiſtendum eſt: nam & inter ipſa flagella Dominus placari interceſſionibus iuſtorum ſolet. Etenim cùm populus iuſſis diuinis contumax, & obedientiæ maiorum rebellis puniretur, [Numer. 17.] proſtratis in terra Moyſe, & Aaron, dixit Moyſes ad Aaron: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit, &c. & plaga ceſſauit. Quapropter cùm ſimili dicẽdi figura hic vtatur Dominus, prophetam ſuum ad orationem & pœnitentiam proculdubio conſurgere, impendenti aduerſitate, populum illum docuit, & nos ſimul admonet. Vires itẽ inimicorum ſuperiores aduentare, alia & alia ratione oſtendit. Virga floruit, inquit, germinauit ſuperbia. quibus non aliud prænuntiat quàm imperium Nabuchodonoſoris exaltatum ſuper Iſraël, eiuſq; vim & potentiam ad hoc exercitam eſſe. Equidem cùm contra rebellem populum, & querulum, & ambientem etiam, [Numer. 17.] Aaron in excellentia & dignitate ſacerdotali declarauit, virgam eius florere fecit aliorum aridis manentibus. Quamobrem cùm con-

ſimili

ſimili orationis tropo vtatur, idē penitus indicet oportet,& imperiū Babylonis ſubiugare Iſraël,atq; ſic ſua voluntate & iudicio eſſe diſpoſitū.Præterea rigente frigore plantarum omnium virtus ad radices confugit, atque interna reficiens,& vegetans, ramos & poplites vti deſertos relinquit: vnde frondes decidunt: vitor & compoſitio omnis externa deficit. Hinc igitur ſimilitudine ducta, gentium populus ad florentem Iſraël collatus,marcidus,imbellis,atq; deiectus ſemper apparuit. Sed veluti verno tempore iam accedente,illorum peccatis hoc exigentibus, turgētibus quodammodo gēmis,vireſcere incipit,vites exerit,& cōfidentia in eum petualiturus,turget: itaque ſuperbia ſiue confidentia germinat. Cui,inquit Dominus,tes ex voto ſuccedet;nam depopulabitur regionem,& optima quęque eius vaſtabit:ſiquidem ex proceribus,& rectoribus nullus non afflictus manebit, neque ex populo maiorum imitatore: Ex ſonitu enim eorum,hoc eſt,ex opulentia,ſtrepitu,& mundi faſtu,nihil reſtabit:omnes enim ſimul cum ſonitu eorum (vt inquit Pſal.) decident, vſque adeò Pſal. 9.
vt nulla ſit in eis requies : hoc eſt, nullus ita ſoſpes & incolumis euadet,vt ſua ſorte contentus,mortuos fratres lugeat, alienaſque miſerias doleat, ſuo quiſque malo laborans, priuilegio item anni Iubilęi, vt hæreditaria bona, quæ vendita fuerant, ad antiquos poſſeſſores redeant,nullus gaudebit, etiam vita ſupeſtite : Nam qui meliores partes ſortitus fuerit,captiuus ducetur. Quapropter non eſt, quòd lætetur emens,nec quod contriſtetur vendens, rem ſuam & ſuorum à ſe ablegans; cùm iſte inuitus eam hoſtibus redditurus eſſet, ille verò nec paruo tempore ea ſit fruiturus. Vbi Chriſtiane lector aduertas oportet,quòd cùm hęc calamitas Iudęorum cum ſequentibus poſtremam illam mortem malorum in inferno ſignificet,vt ſupra dictum eſt; & annus iubilæi 50. gaudium illud æternum, quod bonis continget in cælo. (iubilum enim, vt inquit Diuus Auguſtinus, à quo iubilæum dicitur, gaudium mentis ſignificat, quod geſtu inſinuatur & voce, verbis tamen exprimi non poteſt) nouiſſima per hæc ſpiritusſanctus,vt non peccemus,memorare docet. Etenim ob oculos propoſito horribili illo,& interminato inferni ſupplicio, id fugiendo, cor & affectum,in his caducis rebus minime collocabimus: & ad annum iubilæi,id eſt, ad gloriam illam cœleſtem oculos mentis leuantes, nullius rei hic iucunditas iter præpediet, nec triſtitia niſi peccatorum occupabit, quæ ob aliud non eſt aſſumēda teſte Auguſtino.ſic enim hunc locum tractans diuus Paulus interpretatur: Reliquum,inquit, eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint;& qui emunt, tanquam 1. ad Cor. 7.
non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes : præterit enim figura huius mundi. Atqui,ne quiſquā vt ignauiter viuat,hæc verba tantùm eſſe putet,ſubdit Dominus: Viſio,ad omnem multitudinem eius non regredietur, & vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur : Quaſi diceret: proculdubio,quod reuelatum eſt hac prophetica viſione, ſuper perdenda multitudine, ſiue opulentia, vt alij transferunt,eueniet : nec ſermo iſte vacuus redibit. Quare nemo in opulentia ſiue in iniquitate (quoniam iniquitate communiter faſtus pararur) fidat : nam minimè ea iuuabitur,aut roborabitur,vt Dei impetum ſuſtinere poſſit: Fallax quippe equus ad ſalutem,inquit Pſal. Diues & pauper æqua lance librabuntur. Vel poteſt hoc re- Pſal. 32.
ferri ad obſtinationem populi : quòd prophetica hæc viſio facta eſt, vt agnoſcentes peſſimam vitam ante actam, pœnitentiam agant, & ſua omittant ſcelera. nihil tamen in eis proficiet : imò pertinaciter in duritia cordis ſui perdurabunt, vitia ſua retinentes. Verùm in iniquitate vita eorum defixa, non roborabuntur, aut confortabuntur in bono per pœnitentiam.

Canite tuba, præparentur omnes, & non eſt qui vadat ad prælium : ira enim mea ſuper omnem multitudinem eius. gladius foris, peſtis & fames intrinſecus: qui in agro eſt, gladio morietur; & qui in ciuitate, peſte & fame deuorabuntur; & ſaluabuntur qui fugerint ex eis : & erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepidi, vnuſquiſque in iniquitate ſua: omnes manus diſſoluentur & omnia genua fluent aquis: & accingent ſe ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confuſio, & in vniuerſis capitibus eorum caluitium.

QVANDO exercitus ingens oppugnaturus ciuitatem, & regionem aliquam aduentat, cùm alium æqualem, aut maiorem viribus aut saltem industria incolæ parare possunt, bono animo omnes sunt: & spe victoriæ, sperantes magna commoda inde reportaturi, ad vocem buccinæ sponte se bello offerunt, & militiæ scribũtur, quòd Deum fautorem habere præsumant. At cùm contra se iratum Deũ sentiunt, (quod planum fit, quando diuinus gladius per pestem aut famem cõtra eos exeritur) omnes deiiciuntur, animum despondent, & timore eos omnino occupante, nemo est, qui ad prælium se accingat: vt contigit eo tempore Israelitis. Nam qui in ciuitatem confugissent, fame & peste rapiendi erant: qui autem eum hostibus extrà decertarent, eorum gladio casuri. Quare superfluè ait diuinus spiritus, tuba ad prælium coincitabuntur, nam erit surdis canere. Tanta enim, inquit Dominus, erit calamitas, quòd qui fugerint soli saluabuntur: qui verò altiora, vt montes, conscenderint, tanto timore corripiẽtur, quòd similiter se habebunt, ac columbæ in conuallibus, quando miluum aut auem aliam rapacem circunstantem sentiunt, quæ veluti stupidæ & attonitæ se inuicem spectant: quin & fugientes præ timore, è cruribus sudorem excutient: & absque cultu & ornatu iter arripere coget timor, saccis & rudibus vestibus indutos. Quin & præ angustia & dolore capita sua expilabunt: quem habitum induturi sunt, qui vitæ suæ prospecturi erunt.

Argentum eorum foris proiicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit: argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est: et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum, et simulacrorum suorum fecerunt ex eo. Propter hoc dedi eis illud in immunditiam, et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam. et cõtaminabunt illud: et auertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanũ meum, et introibunt in illud emissarij, et cõtaminabunt illud.

IN inferno quid proderit possedisse aurum, & argentum, & magnam copiam diuitiarum parasse, his qui ipsis in vita seruierunt? quid opulentia, ampla supellex, & famulorum strepitus, & apparatus, in die mortis, in die furoris Domini iuuabunt? sanè dona Dei hæc bona sunt: attamen vt affectus, sollicitudo nempè, & anxietas extra suum vsum, & virtutis regulam cumulauit, ita dolor ea sic inordinatè parasse, & conseruasse in die residentiæ vitæ, & in æternũ apud inferos cruciabit: & in die calamitatis & miseriæ etiã præsenti vita, timor foras, hoc est in plateas, & in publicũ proiicere coget aurũ, & argentum, quod tantopere absconditũ, & incarceratũ retinueras: si quis forsan eo allectus, te sospitem relinquat. Atq; quãdo hæc occasio nõ se obtulerit, abiicere faciet, vt ad fugã & cursum expeditior reddaris: vt Israëlitis hic dicẽte Domino cõtigit. Ad salutẽ cõseruandã argentũ & aurũ dederat Dominus: tamẽ quia ad opulentiã, & propriam excellentiam solùm custodistis, in die necessitatis saluare vos non poterit: Imò ruinam hanc & casum operarum est, dum tẽpore pacis & trãquillitatis, scandalũ, & offendiculum iniquitatis ad omnia vitiorum scelera perpetranda, me præsente, vobis factũ est. Quare quod vestris obsoniis & deliciis inseruierat, animam vestram, id est, appetitũ vestrũ satiare nequibit, nec vẽtres vestros implere, fame pereuntes. Ingeniũ hominũ in vsu auri, & argẽti graphicè hîc describit: nam quod in vsum propriæ vitæ, familiæ, & subuentionẽ pauperum expendere debuerant, in excellentem ornatum, & personæ cultum, suarumq; vxorum monilibus, catenis, circulis auraceis, in lasciuiã onerando, superbiã nutrientes, eiusq; erectioni stapedã supponentes, cõuerterunt. & deinde quod in Dei obsequium, tẽpla & altaria ornantes, quod ad sui honorẽ & gloriã, & ad cultum internũ cordis extorquendum, quo Dominus maximè delectatur, largiri præcipit, fastũ & gloriã fecerunt, & diuina ipsa prophanãt. Qui enim in cultu ipso externo tantũ sistentes Deũ colunt, religionem iactãtes, superstitiosi, atq; in fictione & dolo Deũ adorãtes inueniũtur: cùm suã iactantiam, & superbiam sic solùm enutriant. Deus quidem spiritus est: ideò nõ fictè,

sed in spiritu & veritate, eum oportet adorare. Quapropter internũ cultũ, extrinsecus comitari debet, & neutiquã ab illo separari: ab illo enim proficisci & imperari, intẽtione ipsa, & fine semper conuenit, vt spiritu & veritate Deum colamus, eiq; mente & spiritu, (vt inquit B. Paulus) debitè psallamus. Sed nũquid hîc anhelus horum hominũ spiritus sistit? minimè quidẽ. argentum & aurũ, & pecuniã ipsam Deum, ac idola faciunt: & vti sacra quędam vel tangere reuerentur, dum spem suam, & confidentiam in his collocãt: vt Israelitæ reipsa idola & imagines dæmoniorũ in templo Dei ex auro fabricãtes, & argento, relicto vero Deo adorauerunt. huiusque ergo excæcata cupiditas auri & argẽti homines incautos deducit. Vnde hoc malum pręcauens Apostolus ait: Auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Vt autẽ in alieno capite periculũ faciẽtes, mundus sibi prospiciat & potẽtiores, oculos aliquãdo aperiant. Audi quid diuinus spiritus Israëlitis dicat: Proptẽr hoc dedi eis illud in immunditiã, & dabo illud in manus alienorũ ad diripiendũ, & impiis terrę in prędã. In ipso templo, in quo tota ipsorum gloria posita erat, plectit eos Dominus. Vbi aduertant oportet, qui segnes sunt in vsu gratiarũ, quas ipsis Dominus cõtulit, & in earum fœnore reddendo: quòd ab eis tãquam ab ingratis auferetur, quod sic liberaliter donatũ fuerat: vt hinc qui cautiùs in vita spiritali agunt, cùm spiritus dulcedine, (quæ diuina sorte sibi contigerat) priuantur, seipsos & propriam vecordiam incusent. Et item qui religionis momentũ, & totius pietatis pondus in externo cultu solùm collocant, & suæ salutis vim & efficaciã cõstituunt, (cùm intus idolis honorũ & dignitatum & diuitiarũ omnium turgeãt, precisè ipsa religione, ad studia sua consequenda, vtentes) eãdẽ, & Dei cultu animaduertendos, & puniendos esse sciant: perinde ac Iudęi, cum quibus sermo præsens conseritur. Quod vtinã nostris tẽporibus in pluribus regionibus, quę non aliud quàm hæreses, & errores continuè scaturiunt, non vidissemus. Dicit ergo: templum florentissimum, in quo vestram gloriam posuistis, in spurcitiã, & immunditiã dab o alienis: id est, gẽtibus tradam in direptiunẽ; & impiis terræ hominibus, qui sine Deo viuunt, & cuncta prophanant, in spolium concedã. & quod amplius est, faciem meam auerta ab eis, ait Dominus: hoc est dissimulans, & quasi homo alio distractus ero, atque ac si nũ vidissem me exhibens, in locum ac sedem meam, in adytum ipsum, ac sancta sanctorum (ad quæ semel tantùm in anno summo sacerdoti aditùs patebat) ingredi permittam grassatores, emissarios, & homines improbos, qui religiosu m; violent, & sanctum meum contaminent locum.

Ioan.4. — 1.Cor.14. — Ad Ephe.5.

Fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate. et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum, et quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum: angustia superueniente requirent pacem, et non erit: conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum. et quærent visionem de Propheta, et lex peribit à sacerdote, et consilium à senioribus. lex lugebit, et princeps induetur mœrore, et manus populi terræ conturbabuntur. secundum viam eorum faciam eis, et secundum iudicia eorum iudicabo eos; et scient, quia ego Dominus.

MEMORIAE verum, quæ tanti nobis momẽti sunt, sollicitus est etiam diuinus spiritus. vnde vt illis mala impendentia, & quæ nos experiemur, si incauti vixerimus, memoriæ figat, Prophetæ dicit: fac conclusionem, aut conclude, & ineuitabile flagellum annuntia, aut epiloga, & breui summa collige, quæ dixisti. Summa verò est, quòd terra plena est sceleribus, & peccatis, iudicio sanguinum, hoc est, condemnatione mortis digna, & tota item ciuitas plena iniquitate: quia iniuria & iniustitia in proximos, quibus ius & fœdus charitatis violarunt. Quamobrẽ pessimas gentes in conspectu meo, vel pastores gentiũ, (vt alia translatio habet) in domos suas inducam, qui eorũ bona depascant, sacella, quæ suæ gloriæ in templo construxerant, possidẽtes prophanabunt; & demũ, cum templo ipso diruent. Itaque superbia eorum cessabit, quãdo contumaces eorũ ceruices domabo. At insuper, in ipso excidio & angustia cõstituti pacẽ cũ hostibus amabũt, & finẽ malorũ quęrẽt, nõ tamẽ inueniẽt: quia hostes non vna cõturbatione contẽti erunt, sed vna calamitas aliã excipiet, vsque ad eorum perditio-

perditionem: Et auditus erit super auditum; id est, creberrimi erunt rumores de ferocitate, & immanitate hostis superueniētis; nec alıud eorum aures occupabit, quam audire calamitates, quas inferent, nunc hanc, nunc illam: ecce quod suffugium in hostibus habebunt. Quærent consulere Dominum, & non erit visio prophetæ, qui incolumitatem annunciet, seu modum, quo euadere possint. Peribit lex à sacerdote, id est, non erit verbum Domini in ore sacerdotis ex ipsa lege, quo consolentur: quoniam & sacerdotes legis obliuiscentur, timore occupati: accurrent ad seniores, & populi gubernatores, & nullum apud eos erit consilium de salute communi. cōfugient ad regem & principem, cuius curæ eorum salus commissa est, & ipse lugebit, atquè stupescet, omni spe & consolatione destitutus: in populo terræ, in plebe communi terrestribus rebus consopita, atque Dei sui semper oblita nulla erit cōfidentia: nam manus eorum conturbabuntur, id est, emarcescent viribus, nulliusque roboris erunt, & vigoris: solùm illis restabit pati mala, quæ commeriti sunt, quæ & ego pro ratione suorum delictorum, ait Dominus, infligam. Tu autem vide Christiane lector, quid senserint homines illi, Dei mandatis rebelles, in tota auxiliorum destitutione positi; qui antea Deo placendo, promereri potuerant potiora: & quanta deinde conscientiarum eorum fuerit accusatio, qui sibi prospicere neglexerunt: quod facile possent, considerando, & manus ad bona admouendo, quæ conuenirent, vt enarrata mala euaderent, quæ in vniuersum eos deuastarūt. Ex quo qualiter destituti omni solatio & refrigerio sint, qui in inferno cruciantur, & quomodo conscientiæ vermis eos perpetuò depascat, intelligis, vt viuere discas. Nam proculdubio illius terribilis & horrendi loci interminabilis afflictio, hìc descripta est, per tot ac tanta aduersa, quæ populus ille ingratus, vindice Domino, in tempore perpessus est; & adhuc in finem vsque patietur.

Galat. lib. 9. c. 5.

Et ad mala item, quæ post mortem Christi Iesu Domini nostri passi sunt Iudæi, quidam prophetiam hanc aptissime extendunt: & adducere pessimos gentium (qui possideant terras eorum, hæreditēt sanctificata, vt Iudæorum fortium, ac potentium superbiam quiescere faciat) Sarracenos intelligunt; qui Iudæos terram promissionis semel possidentes, quando Iosue tempore in eam intromissi sunt, & iterum post reditum à Babylonis captiuitate, tertiò vt perperam sperant, possidere non sinent • vt vel hinc quàm pertinaciter suo errori adhæreant manifeste cognoscant. Flagellis igitur memoratis aduenientibus, concludit Dominus dicendo: & scient quia ego Dominus. Quod & passim in hoc Propheta repetit, quasi aliâs se esse Dominum non ostenderit? propter quod aduerte, quòd ignorantia ex peccato contracta, hoc exigente, etsi sui cognitionem plene Dominus semper ostenderit: pro ratione tamen temporum ingenio hominum se attemperando, nunc hac, nunc illa ratione magis se patefacere placuit. Vnde Patriarcharum tempore largitorem omnipotentem, & vsque adeò diuitiis redundantem, quòd posset homines diuites reddere, se exhibuit. & ita Patriarchas illos, omni ditione, & diuitiarū copia refertos fuisse legimus. quod & ipse Dominus dixit: Ego Dominus, qui apparui Abrahæ, Isaac, &

Exod. 6.

Iacob in Deo omnipotenti. A tempore verò liberationis populi Israël de Ægypto, seuerum malorum punitorem, & vsque adeò potentem, vt nulla esset vis, quæ ei obsistere posset, declarauit. Quod maxime tunc decuit, quando serpens ille antiquus

Libr. de victoria verbi Dei.

sub Pharaone, violenter contra homines agere cæpit, & draconis nomen, vt ait Rupertus, sibi vēdicauit. Quapropter loco citato subditur: Et nomen meum Adonai. i. Dominum esse, non indicaui eis. Atque hinc populo capitoso, & semper sibi repugnanti, cùm flagella quæ minatur aduenerint, & scient quia ego Dominus, subdit.

Abacuc. 3.

vnde Deus vltionum tempore legis & prophetarum, dæmone suas vires exerente, appellatus est: donec misericordiæ legibus rigor iustitiæ eius inclinatus, homo fa-

Ad Ro. 15. Genes. 5.

ctus, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, vt euacuaret omnem principatum, & potestatem, & virtutem à regno, & imperio hominum detrudens, vt pollicitus fuerat.

CAPVT

Caput octavum.

ET factum est in anno sexto, in sexto mense in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me: & cecidit ibi super me manus Domini Dei, & vidi, & ecce similitudo, quasi aspectus ignis ab aspectu lumborum eius & deorsum ignis, & à lumbis eius & sursum quasi aspectus splendoris, et visio electri: et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et eleuauit me spiritus inter cœlum et terram.

MIRABILE quidem est, quòd templum illud tam celebre, saluti spiritali hominum deseruiens, ad cultum & honorem Dei destinatum, sic dirui, & vastari voluerit; vt superiori capite annunciatum est. Quocirca prophetæ satisfacere Dominus cupiens, secunda visione cumulum abominationum, quæ in eo fiant, ostendit. Principio ergo tempus, quo contigit visio, occasionem, qua facta est, & habitum instruentis, & docentis enarrat. tempus, vt cognoscerent hinc obstinatam eorum voluntatem, qui in captiuitate erant: & nos tantæ ingratitudinis spectatores admoneremur. Nam per quatuordecim menses, quibus prioris visionis prædicatio durauerat, nunquam animum emolliti sunt, neque viuendi statuta commutarunt. Quare in sexto anno, sexto mense, quinta die mensis, Dominus secundò loquutus est prophetæ. sextus annus & mensis, præcedentis prædicationis cursum notat; quinta verò dies mensis, proculdubio in feritate quinque sensuum eos semper perstare insinuat. Occasionem verò obseruauit Dominus, quando sedente propheta in domo sua, & coram eo senioribus sui populi: quo apertè indicatur, cùm extra multitudinem homo constituitur, occasionem nancisci sursum ad Deum attollendi animum, cum eoque loquendi. Præsertim cùm à curis, & perturbationibus corporis animus subducitur; hoc enim nos docet prophetæ sessio: & coram ipso item sedebant seniores; audiendi, & consilij gratia credendum est. Nam tunc Dominus in medio suorum esse, & suos alloqui solitus est: atque ita prophetæ & doctori sui populi, adstantibus illis suam præsentiam exhibere dignatus est. Vnde habitum instruentis explicans, similitudinem hominis apparuisse insinuat: cuius partes à lumbis versus pedes, igneam naturam referebant, ad caput autem surgentes, splendescebant, & veluti formam electri monstrabat, quod ex se, & non ab extrinseco micare habet. Ad hoc autem videndum, manum Domini super se factam esse dicit, id est, spiritu prophetico, eleuatum mente & intelligentia fuisse. Etenim spectris & similitudinibus rerum obiectis prophetauit sanctus Ezechiel, vt constat clarè eius visiones contemplanti. Atque ita in spiritu constitutus, dicit, à similitudine manus hominis se apprehensum fuisse, & è capillis ipsis, sursum eleuatum inter cœlum & terram visione, hoc est, non realiter, sed mente & intelligentia, ductumque sic in Hierusalem. Cùm inter omnes Prophetas ad viuum magis hic Christum Iesum Dominum nostrum referat, in eius visionibus, statim oculi conuertendi sunt ad Euangelica mysteria. Atque hinc similitudo, quæ illi apparuit, filius Dei erat, carne qua vestitus erat, ostensus: nam electrum à parte superiori diuinitatem referebat, quæ ex se omnem splendorem habet: & ignis à parte inferiori humanitatem eius sacrosanctam significabat, quæ omni virtutũ plenitudine diuinitus claruit. Prophetam verò sic sursum assumi & duci, vt videat abominationes Iudæorũ in templo Hierusalem, satis aptè significat mãdatum paternum, quo Christus redemptor noster missus est ad prædicandũ Iudæis; secundùm quod ipsemet Dominus dixit: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Neque illud caret mysterio, quod dicit: Eleuauit me inter cœlum & terram; quia humanitas Christi verbo diuino vnita, super omnem dignitatem naturæ humanæ eleuata fuit, & ita super terram eleuata: nec tamen cœlum attigit, quia non in diuinitatem ipsam transfusa, aut confusa, sed tantùm vnita in subsistentiam suppositi diuini: quod indicãs inter cœlum & terram eleuatus fuit Propheta. & item se nostro modo contemplandi, quę à nobis longè petita sunt, se accommodans, inter cœlum & terram eleuatus est: quasi diceret, in loco alto, qui omnes excederet montes & conualles. solét enim homines varia & distãtia

loca contemplaturi, montem altissimum omnibus supereminentem conscendere, vt ille fecit, qui multorum hominum mores vidit, & vrbes. Et aptissimè tandem, qui in profundo peccati lapsis hominibus, ad sui eleuationem, manus daturus promittebatur: in eius rei signum manu sursum hic erigit Prophetam.

Et duxit me in Hierusalem in visione Dei iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandā æmulationem.

NVNCIATVRVS ergo Propheta Iudæ scelera, in Hierusalem tanquam in metropoli constituitur in spiritu, & in ipso templo, in quo omnis religio & Dei cultus vigere debuisset, & in porta iacente ad aquilonem, iuxta quam idolum Baal erat constitutum. (Hierem. 1.) Ab aquilone, dixit Hieremias, pandetur omne malum, Solymorum vastationem prædicens: & semper, quòd alicuius mali mentio in scriptura fit, continuò ab aquilone egreditur. Ita enim tentationes prænuntians sponsus, quibus ecclesia agitāda erat, ait: (Cantic. 4.) Surge aquilo, & veni auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata eius. & Dauid ecclesiam item opugnationibus & pressuris expositam declarans, ad aquilonem eam constituit: (Psalm. 47.) Latera, inquit, aquilonis ciuitas regis magni. Perinde nunc flagitiorum postremum enarrans, idolum, nempè pro Deo constitutum, ad aquilonem demonstrat. At aquilo ventus salubris à medicis constituitur? & forsan inde figura dicendi sumpta est. Nam quod corpori eiusque vegetationi florenti arridet, cum spiritu pugnat: & quo vita corporalis viget, spiritalis marcescit: & quod corpus sanat, animam infirmat, & deprimit sensum multa cogitantem: (Sapient. 9.) & pugna carnis aduersus spiritum præualet. (Ad Galat. 5. Ad Ro. 7.) Vnde & gemitus illi beati Pauli: Quis me liberabit à corpore mortis huius? & tandem ipsemet Dominus eandem sententiam promulgauit, dicens: (Ioan. 12.) Qui amat animam suam, id est, fouet, & allicit appetitus carnis, vt custodiat vitam, perdet eā. & itē gelu, niues, frigora, quibus coarctatur, & constringuntur homines, & fruges arescunt, & absumuntur, & sterilitates atque famus contingunt, flante aquilone vento increscunt: atque ideò appositè ad portam aquilonis idoli locus erat, in quo omnis impietas & scelerum summa in ipso vestibulo demonstrabatur, vindictam omnem proculdubio petens. Erat autem Baal (quod idolum dominās, interpretatur) in ingressu ecclesiæ. Quod quid aliud significat, quàm aurum, argentum, diuitias, lucrum, clericos, presbyteros, sacerdotes, prælatos, qui in domo Dei, mondo & rebus sæcularibus expediti, & illis omnino dominantes versari debuissent, primum in votis habere. sane hoc vitio laborabant illi: vnde & mente omnino alienati, ipsum Deum proiicientes, obiectum extrinsecus idolum habere voluerunt, quod intrinsecus colebant & adorabant: ob quod in eos ira Domini excanduit. Nos verò Dei sacerdotes, qui huiusce rei spectatores sumus, caueamus ne simulato amore, & consuetudine, templum Dei adeamus: lucro & commodo tantùm ducti, officia diuina & sacrificia nostra celebremus: quod erit imaginem idoli Baal intus colere quod foris & isti adorarunt. Et quid ni, inquit beatus Hieronymus, in imagine interna & deprauata intentione hos imitamur? cùm sacrificiorum primitiua decerpimus, in vsum clientum & famulorum dantes, & omnia lucri causa facientes. Quare in alieno capite periculum faciendo, flagellum timeamus, quod proculdubio accedet, nisi vitam commutantes puri, & synceri coram Domino apparere curauerimus. (Exod. 20.) Verùm cum Dominus, Deus zelotes sit, vt Scriptura prodit; & nullum comparem in dilectione admittat, qui conuenit, vt idolum zeli appellarent statuam, contra ipsum Deum erectā? Septuaginta transtulerunt statuam possidentis: & vtrumque, inquit beatus Hieronymus: sonat dictio Hebræa, & possessionem & æmulationem. Vnde Cain possessio dicitur, in quo ecclesia malignantium incœpit, qui dæmonis possessiones sunt: atque inde eius statua Idolum possidentis dicitur. & si legatur idolum zeli, vt habet translatio Hieronymi, deprauatam eorum mentem, & extra omnes limites vagantem impudentiam, notat: quod vt Deum ad æmulationem & zelum prouocarent, eius honores, creaturæ ipsi aduersanti, impenderunt, vt inquit beatus Hieronymus: quæstionem tamen hanc non plenè expedit. Quippe si dixisset: Erat idolum zeli ipsi Deo, bene quidem: verùm quòd sic communiter appellaretur, à ratione humana abhorrere tanta dementia videtur, qui Deum zelotem esse

esse & lege cognoscebant, idolo tamen Zeli imponere, manifestè sic seipsos incũsando? Quapropter forsan sic soluetur difficultas, quòd Iudæi non eo nomine idolum nuncupauerunt, sed eam appellationem à gentibus acceperunt. Nam vt inueterator ille diabolus callidus semper religionis Dei imitator extitit, à scriptura sancta & populo Dei, quod Deo proprium erat, per suos accepit, idque nomen apud suos vsurpauit, vt pleraque alia gentes à scriptura suffuratas esse videmus. Quod Ambrosius assent primo libro Officiorum cap.36.& libro secundo Epistolarum Epistola septima ad Simplicianum. postquã ex professo id probauit, subdit: agnoscant ergo, scilicet, philosophi de nostris se habere, quæcunque præstantiora loquuti sunt: & B. Augustinus libro decimooctauo de Ciuitate Dei cap.37. multò antiquiores Prophetas philosophis ea de causa longiùs deducit.

Et ecce ibi gloria Dei Israël secundum visionem, quam videram in campo, et dixit ad me: Fili hominis, leua oculos tuos ad viam aquilonis. et leuaui oculos meos ad viam aquilonis: & ecce ab aquilone portæ altaris, idolum Zeli in ipso introitu. & dixit ad me, Fili hominis, putásne vides tu quid isti faciãt, abominationes magnas, quas domus Israël facit hic, vt procul recedã à sanctuario meo?

INGRESSO tẽplum propheta secundũ spiritũ, statim ei Dominus se præsentem exhibet sub priore visione. Consueuit enim Dominus aliquo signo exteriori insperato, & ad id, quod facere aut docere vult accommodato, suam præsentiam in Scriptura manifestare, vt in nube, quando pluiturus erat coturnices. & in hoc loco, vt in Exod.16. priori cap. sub signis mysteria ea referentibus, quæ in sua ecclesia facturus erat: atque Deus aut angelus vice ipsius sic apparens, Gloria Domini dicitur. Et hoc est quod significat, Et ecce gloria Domini. Præcepit ergo ilico attollere oculos ad portam altaris versus aquilonem, & vidit idolum Zeli in ipso introitu. Etenim nunquam exactè malum, aut vitium aliquod cognoscitur, nisi oculis mentis attentè secundum omnem sui rationem consideretur: nec ictus & plaga peccati in animo clare vnquam videtur, nisi cautè antecedentes casus, & strages quas fecit, adhibito tempore perpendantur, & ruminẽtur. Vnde vt iustè impietatẽ illam Propheta ponderaret, quem tanquam censorem iustitiæ suæ, contra populum illum Dominus constituerat, perpendere rem præcipit, oculos ad idolum tollere iubendo. Rémque exaggerat proferendo, portam altaris illam appellari; quod primum & præcipuum altare haberetur: quoniam omnes sacrificaturi potissimum ad id concurrerẽt. Quod postquam intime aspexerat, ait Dominus: Putasne vides, quid isti faciunt? quasi diceret: nónne scelera, quæ isti hic faciunt, causam meam iustificant, vt legitimè per subtractionem gratiæ, & fauoris mei recedam à templo hoc, quod honori meo consecrauerant? & digni ipsi sunt, vt expellantur, qui honorem meum sic impiè abstulerunt, & statuæ, ac idolo tribuerunt? & quod illis item obiicias, quod in Lege habetur; Ipsi prouocauerunt me ad zelum, in eo qui non est Deus, & ego prouocabo eos ad zelum in gente quæ non est. Deut.c.32. Et simul aduerte ineffabilem Dei misericordiam, qui tot ac tantis causis iustè prouocatus ad populum puniendum, suam causam homini iudicandam proponit: vt se exorabilem semper exhibeat, & ad puniendũm inuitum accedere declaret.

Et adhuc conuersus videbis abominationes maiores. et introduxit me ad ostium atrij: et vidi, & ecce foramen vnum in pariete. Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem. et cùm perfodissem parietem, apparuit ostium vnum: et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes, quas isti faciunt hic.

ARTIFICIOSE omnino diuinus Spiritus nostro sese modo accommodans, à genere ad species procedendo, abominabiliora populi illius scelera Prophetæ demonstrat. Etenim proposuerat idolum, quod adorabant, tanquam genus, & caput omnium abominationum: nunc disiunctim eas deducit. Iussus ergo aliò conuerti, (& ad ostium atrij introductus, vbi conciones habebantur, & populus conueniebat) vidit foramen in pariete, quod iussus est amplius facere, vt ingredi posset, & videre

dere omne spurcitiæ, immunditiæ & idololatriæ genus. In ipso ergo ingressu foramen in pariete vidisse dicit, post quem omnium idolorum confusio, nempè reptilium, & diuersorum animalium aderat. quod mirum est, cùm dicat beatus Hieronymus: omnium idolorum gentium templi parietes imaginibus depictas esse? verùm idem sanctus respondet: foramen, & latiorem parietis apertionem, initium & progressum in cognitione flagitiosæ & contaminatæ conscientiæ malorum indicare: quæ per leuiora, & quæ nihili fiunt, colliguntur: vt turpis, inquit, sermo notatus, libidinosum hominem, qui sua callidè celat vitia, solet demonstrare: & paruæ rei cupido, latentem auaritiam, aduertenti significat, quia luxuriosa conscientia, quæ in facie lucet, oculis & vultu dissimulari nequit. Itaque inspectio, & notatio leuioris, quod veluti foramen obseruare est, fodere sic parietem, qua fossione ampliora mala, quæ pariete callidæ obtectionis, & dissimulationis occultabantur, patent. Item quoniam scelera, quæ natura abdidit, vt quæ minus honestè fiant, per rimulas ostij, & foramina quibus emẽdare incumbit, obseruare solent. Vt hoc ergo diuinus spiritus significaret, sub foraminis & fossionis figura, idololatrias templi ostendit: & vt internas illorum, & omnium qui imagines terrestrium rerum, vti Deum colunt, vltimum vitæ finem in eis statuendo insinuaret. Nullus, inquit, est, qui imaginem aliquam non habeat, aut sanctitatis, aut peccati. Dignissimè sanè, vir sanctissimus tractauit locum. & idem repetit beatus Ambrosius in libro de fide resurrectionis, vbi è contra in imagine Dei nos ambulare dicit, quando cogitationes bonæ, quæ à Deo nobis insitæ sunt, in nobis permanent, & ad opera bona nos perducunt. Memoria ergo Dei, excludit à nostro corde cuncta flagitia, atque peccata, quæ diabolus nititur in corde nostro seminare, atque depingere: poterisque amplificando locum, per parietis fossionem, intelligere, conuictum & conuersatione necessariam esse, vt quod specie sanctitatis, tanquam foramine obiicit, animum inimicum frequenter inspiciendo, perfosso corporis pariete, videas simulatum esse, & intus omnia plena idolis prætensionum, & spurcitia omni. Paries enim corpus in Scriptura dicitur: vt eo loco de sponso ait, Ecce stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Et præterea mos est hominum, domum aliquam monstrantium, aut rem in quouis genere notatu dignam, à vestibulo, partiçu, & potentioribus locis ad secretiora, notando singula, perducere. atque ita diuinus spiritus nostro se modo accommodans, foramine & fossione ostij, instruendo Prophetam vsus est, vt ad occultiora, & notabiliora, à manifestioribus procederet. Et tandem difficultatem euades, dicendo: in visione hac prophetam non introductum in atrium templi, sed in cellam portæ atrij adiacẽtem, & esse plures, quas sacerdotes habitarent, cùm vices suas in templo peragerent. In qua secreta idola, & reptilia, atque animalium omnium imagines constitutæ erant, quarum vestigium tantùm extrinsecus apparebat: ob quod perfodere parietem, & ostium magnum patens, consideratione, & diligenti inspectione facere iussus est.

Ambrosius tomo. 3 in fragm. fol. 43.

Cant. 2.

Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum: & septuaginta viri de senioribus domus Israël, Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat. & dixit ad me: Certè vidisti fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris: vnusquisque in abscondito cubilis sui. Dicunt enim: Non videt Dominus nos, & dereliquit Dominus terram.

ABOMINATIONES maiores, quas hîc visurum Prophetam, dixerat Dominus, sanè grauiores, & execrabiliores, ab obiectis, à dignitate sic offendentium, & à proposito definito eorundem attenduntur. Ab obiectis quidem, quia non hominis, aut dæmonis similitudinem (quam Baal referebat) adorandam, proposuerunt, sed similitudines serpentum, & reptilium, ad quorum visum pili hominum eriguntur, & à

& à quibus ipsa cogitatio abhorret, quibus parietes referti erant: & imagines item quadrupedum, bestiarum, & iumentorum, quibus homines præsunt, & ad quorum vsum, & seruitium destinata sunt, colebant, & venerabantur: more gentium à quibus hæc mutuati fuerant. Atque ita gloriam Dei commutauerunt in similitudinem corruptibilis hominis, serpentium, & quadrupedum: vt (Ad Rom.1.) referens hunc locum, interpretatur Diuus Paulus. & insuper vniuersa idola domus Israël vidisse asserit. Nam quia superiora à gentibus acceperat, colore aliquo palliari poterat, non tamen hic sistit abominatio: propria idola domus Israël habet, quæ ipsi sibi fabricauerant: quippe cuius rei quisque cupidus erat, imaginem & numen quoddam sua mente colebat. Perinde ac gentes, quæ, vt asserit Augustinus, (Lib.19.de) à dæmonibus deceptæ, multos Deos rebus humanis conciliandos effecerunt, ad (Ciuit.c.17.) quorum diuersa quodammodo officia, diuersa subdita pertinerent: & ad aliud corpus ad alium animum, & harum partium membra & dotes, cum cæteris rebus vitæ adiacentibus, & eam constipantibus, singulos deos, pro earum diuersitate, singulæ sibi vendicarent. Ibi enim ambitiones, superbiæ, auaritiæ, luxuriæ, & gulæ idola, propheta prospexit: qui si nostra, pro hdolor, nunc corda introgressus, apprehenderet, bone Deus, & spurcitiora, execrabiliora, & radicaciora proculdubio inueniret. Equidem, non lato digito distat, mente occultus, an genibus prostratus idola adores. Crescit præterea abominatio à personarum dignitate: nam non plebs & pueri, quos ætas & ignorantia, quoquo pacto excusare posset; sed seniores populi ætate & dignitate præcellentes, ipsi magistratus, & totius Reipublicæ ordo, secundum quod cõsilio Iethro soceri Moysi sui populi administrationem in 70. viris constituerat. (Exod 18.) Neque absque capite suo, principe, & moderatore aderant: inter eos siquidem Iezonias aderat filius Saphan, principatum obtinens, qui obedientia Dei, & iudicio rationis, cunctis obsistere debuisset, ne sacrilegium nephandum in domo Dei commisissent. Iezonias siquidem auscultationem Dei sonat, & Saphan iudicium. Verùm cùm sui officij oblitus, dux horrendi sceleris extitit, sic vt auctor iudicij, & condemnationis suæ & aliorum pœnas pendit. neque horum vecordiam, & negligentiam in sacrilego officio siluit diuinus Spiritus: Stabant, inquit, & vnusquisque thuribulum in manu sua tenebat. Non enim sedentes, aut iacentes inuenit, sed perinde ac diligentes famulos coram Domino suo, qui ad iussa capienda circunstant: nec insuper manibus dissolutis, sed thuribulis acceptis incensum dabant. Etenim, qui potentiæ, honoribus, voluptatibus, & similibus idolis vitam suam consecrarunt, gressus omnes, actiones, opera, somnium, vigiliam & vniuersam curam suam, his diis obtulerunt: quod est idolis thurificare. At non frustra, dices, sua recipient munera? quæ Regius propheta Dauid imprecando cecinit: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. & ita sanè se res habet: quippe qui vapor ex obscuris, caliginosis, & fumosis actionibus, ascendens in nubem comprimitur, & densatur, & sic compactus in oculos mittentis, eos obtundens, obtenebrans, atque magis ac magis ipsos obcœcans, recidit. quod Spiritus sanctus significat dicendo: vaporem nebulæ ex thure consurgere. Atque apertius definitum animum, & propositum, quo id exequantur, prophetæ, & per ipsum vnicuique nostrum memorando: (nam quòd indicibilia sint, & cogitatione tantùm perpendenda quę perpetrabant) ait: Certè vides fili hominis, quę isti faciunt in tenebris in abscondito cubilis sui. & causam tantæ malignitatis reddit, quia dicunt, Non videt nos Dominus, Dominus reliquit terram. Quibus, diuinitus sanè obcæcationem, quam prauis operibus scelerati homines sibi comparant, & hanc internam idolorum adorationem, hominum magnorum, gigantum, qui terræ halitum semper respirant, manifestè declarauit. Cùm in densissimis cordis tenebris isti agunt, lucem veritatis sustinere non possunt, & manifestationis item fugiunt: imò & à se ipsi celarent, si concupitis voluptatibus sic frui posse daretur. quos Dominus Iesus Christus notauit, dicens; Qui malè agit, odit lucem, & nemo venit ad lucem, (Ioan.3.) vt non arguantur opera eius. Præterea, qui imaginibus & mentis idolis, suis voluptatibus seruiendo, adhærent, in cubilibus suis ea cogitant, sitiunt, esuriunt, machinantur, & tandem opere exequuntur. Quos Regius vates Dauid arguit dicens: (Psalm.4.) Quæ dicitis in cubilibus vestris compungimini. & alius propheta in hunc modum

Osee.7. carpsit: & non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis: super triticum & vinum ruminabant, & recesserunt à me. & in tantam denique insaniam incidunt, qui pertinaciter colla sua vitiis subiugarunt, vt Dei prouidentiam
Psal.13. a se ablegent, vili pendant, & negent, cum stulto & insipiente illo, qui dixit, non est Deus: hoc est, Dominus non videt nos, Dominus dereliquit terram. quod sanctus hic asserit spiritus. Atque hac impietate & sacrilego mendacio, praui & scelerati homines suam conscientiam pacare volunt, eiqoe silentium imponere. Nam si, cùm peccamus, (inquit beatus Hieronymus,) nos videre, & esse Deum præsentem contemplaremur, neutiquam quod ei displicet faceremus.

Et dixit ad me: Adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt. & introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. & dixit ad me: Certè vidisti fili hominis.

SACERDOTVM libidines, luxurias, immunditias, & sacrilegia, quæ cum mulieribus, personæ sacratæ, & in loco sacro, quia in templo, quæ tunc creuerunt, & futuris temporibus ecclesiæ inundaturæ erant, iam notat. Iubet ergo se ad aquilonem conuertat. quoniam vnde salus & vitæ huius prosperitas procuratur, inde spurcitia, & animæ calamitas proficisci solet. Referunt Hebræi appendices domos iuxta templum Dei esse, quæ & templum appellantur, partem pro toto accipiendo, quemadmodum aliquando & atrium: quas, cùm vices suas gererent sacerdotes habitare solebant, nec vllo modo ad eas ingressus mulieribus concedebatur. quoniam tempore sui officij ibi commorabantur, quo ad suas vxores accedere non licebat. Quod non mediocriter commendat sacerdotes Euangelicos, qui semper sacrum officium exercere debent, & diuino iure vxores ducere non posse. Ibi ergo vidit Propheta mulieres sedentes, Adonidemque plangentes. in quo sacrilegium, & idololatriam Spiritus sanctus notauit. Nam in eo, quòd sedentes ostenduntur, manifestè indicatur in sacellis illis, vt in propriis domibus cum viris suis sacerdotibus, etiam officij tempore habitare: In eo verò quòd Adonidem plangerent, immodicam earum libidinem, & luxuriam, amatorum suorum absentiam lugentium, sed adhuc secretiùs, quoniam, quando opus turpe cessabat, incentiua hæc corda non relinquebat. Ostendit simol & idololatriam, quandoquidem Adonis Deus fuit Ægyptiorum:
Ex historia de diis gentium ex Stephano. libr. de vrbibus. fuit enim filius Cynaræ Cypriorum regis (vt Lilios Giraldus est auctor) qui amator extitit deliciarum, & voluptatum eximius, & amœnitatibus hortorum maximè deditus, vnde Adonidis horti, in prouerbium euasit: quod tam de florentibus quàm de infructuosis dicitur. fuit prætereà voce, & cantu gracilis, quo homines & mulieres attrahere solebat. à quo & nomen accepit ἀπὸ τοῦ ᾄδειν, quod est canere. hinc à gente illa harum rerum amatrice, in Deũ habitus est, & amasius Veneris cum magna inuidia Proserpinæ, ob quod inter lactucæ folia aliquando occultasse fabulæ narrant. & quòd rogatus item cùm ad inferos descendisset, quæ pulcherrima apud superos vidisset? respondit, Solem, cucumetes, & poma. hæc latiùs de Adonide dixi, vt aduerterem lectorem historiam, & non fabulam spiritũ sanctum memorasse. fabulæ enim ex occasione historiarum, quæ res veraciter gestas continent, ita sunt ingeniis hominum fictæ, vt non sint opprobriis numinum affixæ, ait Augustinus. Memoratam igi-
Lib.18. de Ciuitate Dei cap.13. tur historiam, quam poetæ, qui tempore Iudicum surrexerunt, & Prophetas longè antecesserunt, vt loco citato diuus Augustinus est auctor, suis tegumentis occultauerant, & ex Græcis ad Ægyptios iam peruenerat, tangit. Ergo Hebræi anteà idolum gentium finitimarum Baal exercerant, quod illis refricuit: nunc autem Ægyptium hominem, quem ob narratam lasciuiam, in Deum habuerunt, & coluerunt, exprobrat & quasi stuporis & admirationis maioris rem notando, repetit Dominus: Certè vidisti fili hominis.

Adhuc cõuersus videbis abominationes maiores his, & introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra tẽplum Domini, et facies ad

cies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis. & dixit ad me: Certè vidisti fili hominis. Nunquid leue est hoc domui Iudæ, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic? quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me. et ecce applicant ramos ad nares suas. Ergo & ego faciã in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor; et cùm clamauerint ad aures meas, voce magna non exaudiam eos.

SEMPER in incrementum processit oratio; flagitia & scelera Reipub. mulierum libidinosam corruptionem, nunc sacerdotum impietates, qui religioni omnibus esse debuissent, ostendit. & cùm dæmoniorum imagines, hominis similitudinem, Adonidis scilicet, adorare monstrasset; & insuper latriam similitudinum, aut imaginum dæmoniorum, oculis subiecisset: Prophetæ iam, naturalium rerum adorationem, quas tanquam Deos colebat, videre iubet. (adoratio quippe est sacerdotum, qui peritiores haberi cupiebant, & esse debebant:) qui Solem adorabant: gentes nimirum imitantes, quæ ipsum pro Deo habuerunt, ea causa, nempè, quòd vniuersa prospiciat, cuncta suo colore, & lumine generando, fouendo, alendo, & coagmentando: sed potissimum Persas, qui in locis excelsis more Palestinorum, cælum & tellurem, cæteraque elementa, & ventos ipsos, & præcipuè Solem, vt Deos venerabãtur, & colebant. Conuersus igitur vidit has abominationes; quia cùm esset in parte Septẽtrionali, ad medium templi, versus Meridiem conuersus est. sacerdotes autem esse, qui sic impiè hoc loco Deum contemnerent, colligitur primò, quia viri appellantur, quod non nisi illustrioribus populi, qui exẽplo vitæ aliis essent, (quod sacerdotibus propositum erat) in scriptura tribuitur. Deinde ex loco, in atrio nempè iuxta altare holocaustomatum, vbi sacerdotes conueniebant, vt ex Prophetæ testimonio cõstat: Inter vestibulum, ait, & altare plorabant sacerdotes, & cætera. Et tandem numero Iocl 2. ipso insinuatur, qui quadratus est, nempè 20. ex numero quinario quater ducto resultans. Nam quòd quintus fermè quinarius additur, in significationem appositum est; quia quinque sensuum furiis sic agentes traditi essent. Abominatio autem hæc maior præcedentibus colligitur, ex peculiari inhibitione, ex dignitate personarum, & earum habitu. Deuter. 12. Ex inhibitione speciali, quia in lege cautum erat, ne more gentium, quæ Solem, vt Deum, habebant, nec versus Orientem adorarent, sed versus templum se in adoratione semper conuerterent. Quod Danielem in Babylone Daniel 6. commorantem fecisse legimus: apertis siquidem fenestris cœnaculi sui, contra templum adorabat, quod erat in Hierusalem. Ex dignitate, quoniam sacerdotes erant, qui in religione & sanctitate eximiè cæteris antecellere debuissent, & ex officio normam veri cultus Dei ostendere. Ex habitu verò, quia dorsa contra Sancta sanctorum habentes, vt potè qui Deum contemnerent; legem eius vilipenderent; eiusque omnia facta abiicerent, facies ad Orientem ponebant, vt Solem venerarentur, & illi sua vota offerrent, omniaque sua studia dirigerent, à creatura nimirum neglecto creatore cuncta bona expectantes. & quod amplius est, non putabant scelus, hæc facere, sed obsequium præstare Deo. Quarè Dominus subdit, postquã considerationis exactè monuerat Prophetam: Nunquid leue est hoc domus Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic? & rursus horum peccatorum exaggerans dicit; repleuisse terram iniquitate: quoniam offendiculo fuerunt populo, qui solo & terræ semper affectionibus residet, vt eorum idololatriam & flagitia omnes sequerentur. & insuper, quòd non solum mala perpetrabant, sed exultauerunt in rebus pessimis (vt inquit Sapiens) & malitia ipsa peccati illis oblectamento fuit. Prouerb. 2. Nam in præsentia mea id tantùm ex proposito curabant, ait Dominus, vt me iniuria afficerent. Et hoc est, quod dicit: Conuersi sunt ad irritandum me. Et demum rem stupore dignã, inquit, attendite, & in qua eorũ consummata cernitur nequitia: Ecce applicant ramos ad nares suas. Rabbi Moses correctionem istam scribarũ esse dicit, ne impudens res, & horribilis locutio, in simpliciũ scandalum cederet. Nam ad nares meas, siue ad nasum meũ scriptum erat à Propheta, qui in persona Dei loquebatur. Quod exorbitantem omnino eorũ malitiã aggrauat. Applicare autẽ sic ramũ

E 2 palmæ

palmæ (nam huius arboris esse censet diuus Hieronymus) ad nares suas, siue Domini genus adorationis esse dicunt, quod in morem abierat, vt ramo idola tangerent, quem pòst naribus admouerent. Alij ex commentariis Hebręorum legunt; mittentes fœtorem, siue crepitum in faciem meam: id est, quasi non verecundentur mihi oppedere in faciem. Quare, inquit Dominus, quod dixi ego complebo, prò meritis eos perdens: nec parcet oculus meus, vt quoquam pacto me eis exorabilem pręstem. Quæ admonitiones sunt nunc sacerdotum irreuerenter sacra peragentium: & cõminuationes apertæ (vt inquit beatus Hieronymus) omnium hæreticorum, qui impudenter & mente deprauata in templo, hoc est, in ipsa ecclesia terga vertũt Domino, suis idolis & inuentionibus sacrificantes.

CAPVT NONVM.



T clamauit in auribus meis voce magna dicens: Appropinquauerunt visitationes vrbis, et vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua: et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem, et vnusquisque vas interitus in manu sua.

MAGNA profectò est longanimitas Dei, & patientia, qua ad pœnitentiam impudentes peccatores semper expectat. Verùm cùm ad eum terminum producta est malitia, in quo completa dicitur, pœnæ condignæ, quæ expectationis tempore minæ fuerunt, ineuitabiles fiunt. Vt completa malitia Amorrhæorum, tanto induciarum tempore, tandem suam mensuram attingens, excisa est: & Iuda atque Israël iniquitas tamdiu minis, & terroribus admonita, præsenti loco ad vltimas metas inexorabiles peruenit. Atqui quando pœnæ, calamitates sunt, quæ corpus premunt, bona diripiunt, honorem attingunt, & si grauiter, sustineri tamen possunt: verùm quando secundam mortem, infernum, & exterminium vltimum continent, quæ admota postremè cruciant, & absque vlla liberationis spe, perpetuò durant; non minus eorum timores, & formidines incussæ vrgere animum debent, quàm si impenderent, & in præsentia instarent. Nam eueniet sanè, dum nuncios ipsos vilipendimus, iniquitate crescente, terminumque suum attingente, vt in æterna supplicia, quæ vitare potuimus, præcipites labamur. Quod Dominus hîc aduertit, quando incorrectis Israëlitis, tot annis expectatis, suorum peccatorum inexorabiles pœnas pendere facit. Dum enim illis temporales pœnas admouet, æternas illas (quas hæ repræsentant) nobis Christianis spectatoribus comminatur. Quapropter vindictam populi illius, oculis propheta subiiciens, & modum, quem in ea obseruabit, indicans; atque tertiò tam atrocis punitionis causam exhibens, simul internecionem nostram (in peccatis perdurantibus) & pœnitentiam, qua eam effugere poterimus, & abiectionem Dei, quam peccatores faciunt, manifestat. Proposita ergo vltione in præcedenti capite, tempus iam eius instare, clamore, hoc est ex animo definito, in aures prophetæ iniecit, appropinquare dicendo visitationes vrbis. Ipso enim verbo, appropinquare, præsentiam excidij manifestat: sicut suam annuncians præsentiam dixit Christus: Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. Et plurali numero visitationes posuit, vt supplicij grauitatem augeret. atque vtramque rem exponendo subdit: vnumquemque hostiũ vas interfectionis. hoc est instrumentum, siue securim (vt 70. transtulerũt) habet in manu sua paratus ad percutiendum, secundum illud Domini: Iam securis ad radices arboris posita est, arborem non ferentem fructum excisura. Integram verò & absolutã punitionẽ insinuat, cùm in visione & spiritu, sex viros, id est, sex angelos, suis hastis siue securibus armatos, & ad id opus perficiendum paratos esse ostendit. Vbi per sex viros, sex angelos bonos poteris intelligere: solet enim Scriptura angelos viros nominare. Quod beatus Augu. asserit, & probat ex loco illo Geneseos, quãdo Abrahã hospitio angelos recepit, vbi dicitur: Qui cùm eleuasset oculos, apparuerũt ei tres viri stantes prope eum. fuerunt autem tres angeli, qui ei occurrerant. Et insuper in libro Iosue dicitur:

Gen. 15.
Matth. 4.
Matth. 3.
August. lib. 1. contra Maximinum Arrianorum Episc. c. 24.
Genesis 18.

dicitur: quòd cùm ipse esset in agro vrbis Hierico, leuauit oculos, & vidit virum Iosue.5. euaginatum tenentem gladium: qui proculdubio angelus Dei bonus erat. Præterea angelos malos regnis & hominibus nocentes, angeli Dei boni subditos habent, quibus vt diuinæ iustitiæ executoribus, ad eam strenuè gerendam iussa diuina præscribunt: & temperationi existunt, vt non quantùm eorum improbitas nititur, sed quantum finitur, possit, vt auctor est Augustinus lib. 11. super Genesim ad literam cap. 22. Vbi etiam asserit, diabolum cum angelis eius non malum, nec in malum creatum fuisse: sed cùm sciret propria voluntate malum futurum, & bonis ea nociturum, vt eos exerceret, probaret, atque conuerteret: & ita per tentationes suas, quibus seruos Dei deprauare conatur, eisdem ipso nolente vtilis esset, ac omnino prodesset. sicut etiam homines praui eius ministri, studiosis & probis hominibus, eorum persecutiones patienter tolerantibus, vtiles omnino, & proficui existunt. De qua re Rupertus super Zachariam loquens, ait angelos malos Dei permissu libenter vti: Lib.1.c.2. quod videlicet permissum cùm sit iustum, & bonum, ipsi semper illo iniustè & malè vtuntur: sicut è contra Deus malis eorum semper bene vtitur. Magis tamen mihi probatur, vt per sex illos viros, sex angelos malos principes regni Babyloniorum intelligantur, qui exercitui præerãt: ob quod & pro ipso exercitu sumi etiam possunt. Etenim doloribus, morbis, distorsionibus membrorum, & omnibus corporis male affectionibus præsunt dæmones, & etiam animorum tenebris, simulationibus, & dissensionibus. Quod beatus Augustinus his verbis dicit, postquàm memoratas affectiones narrauit: Lib. de vera Religione cap.40. vt hoc, per intima mysteria eorum, quibus id agere, voluptatis est, quos exterminatores, & angelos iracundiæ, diuinæ scripturæ nominant. quamuis ipsi (scilicet homines) nesciant, quid de se agatur boni. Et infrà: eosdem angelos malos, dominos prauorum omnium inducit. Sic enim ait de angelis malis loquendo: Cap.vlt. Semper nos inuitant vt sibi seruiamus, & tanquam deos colamus: similis, inquit, hominibus superbis, quibus similiter coli volunt: sed istos, homines perpeti minus, illos verò colere magis periculosum est. Omnis enim hominũ dominatus in homines, aut dominantiũ aut seruientiũ morte finitur. seruitus autẽ super angelorũ malorũ superbia, propter ipsum tempus, quod est post mortem, magis metuẽda est. Et ad hanc rem, quid opus est sententia doctorum, cùm scriptura ipsa apertè id prodiderit? Dominus enim dæmonibus ipsis: quibus cum gerebatur bellum, tanquam ministris vsus, populum Ægyptiorum percussit, & suum liberauit. Sic quidem ait Dauid: Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & irã, & tribulationem: immissiones per angelos malos. & non aliò tendit fides illa centurionis, pueri sui sanitatem à Domino Christo petentis: Dic tãtùm verbo, & sanabitur puer meus. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico seruo meo; Veni, & venit: & fac hoc, & facit. intelligens sanè puerum infirmum vexatorem dæmonem habere, qui iussa Christi Iesu tanquã eius diligens minister ageret. Et ipsemet Dominus manifestè hoc docuit, quando sanauit mulierem spiritum infirmitatis decem & octo annis passam. spiritum inquit. Et respondens archisynagogo indignanti, quòd sabbatho curasset, dixit: Hypocrita, vnusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit sathanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto in die sabbathi? Quapropter cùm insolentes, & omnino diaboli serui Babylonij, contra Iudæos imperiosè venirent aptè satis per sex angelos malos, qui ipsis primùm dominarentur, & ducerent, intelliguntur. Accedit præterea, quòd angeli mali sunt, qui regnis, & regionibus infidelium præsident, vt colligitur ex Daniele cap. 10. ita enim angelus, qui vota sua renunciaturus aduenerat, dixit: Ex die quo posuisti cor tuũ ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos: princeps autẽ regni Persarũ restitit mihi viginti & vno diebus, qui proculdubio angelus malus fuit, siquidem in adiutorium eius bonus archangelus, nempè Michael dux populi Dei, aduenerat. Sed quas nexuit causas angelus malus, vt nuncium Danielis detineret? inquit beatus Hieronymus: peccata populi Iudæorum enarrauit, quare isti detinerentur captiui, & dimitti non deberent tanta enim est bonitas: est Domini, vt nondum orantem exaudiat; & tanta è contra diaboli malitia, vt memorando peccata, quantùm potest, semper detinere præsu-

Rupert. lib. 1. ca. 4. præſumat. Quem locum enarrans Rupertus ſuper Zachariam, eandem ſententiam apertè profert dicens: Sicut principem Perſarum, & principem legimus Græcorum, ita principem quemlibet Babyloniorum, & principem aliquem non dubitamus fuiſſe Romanorum, ſcilicet angelos, qui ſingulis regnis præfuerunt; malos vtique angelos, malos principes, maligni, in quo mundus poſitus erat, ſicut manifeſtè teſtantur acta principatus eorum, acta crudelia, geſta ſanguinea, quorum narrationibus horriſonis libri tá ſæculares, quàm diuini pleni ſunt. Vnus Dei populus bonum angelum, bonum habet principem, Michaëlem archangelum, quem Danielis angelus coadiutorem habuit. hæc Rupertus. Conuenienter igitur ſex iſtos viros, principem Babyloniorum angelum malum, cum aliis quinque ex latere, qui exercitum ſic accinctum ad expugnationem Hieruſalē haberent, intelligimus. & ſi plures fuiſſent, numero ſenario deſignantur: qui in denario numero (qui totus eſt) perfectus exiſtit: quandoquidem ex omnibus ſuis partibus aliquoties ſimul ſumptis conſurgit. Et vaſtatio hæc toties inculcata, abſoluenda omnino & perficienda erat.

Vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentariū ſcriptoris ad renes eius. & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare æneum, & gloria Domini Iſraël aſſumpta eſt de Cherub, quæ erat ſuper eum ad limen domus. & vocauit vir qui indutus erat lineis, et atramentarium ſcriptoris ſuper lumbis ſuis, & dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Hieruſalē, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. & illis dixit audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite. non parcat oculus veſter, neque miſereamini. ſenem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum & mulieres interficite vſque ad internecionem. Omnem autē ſuper quem videritis Thau, ne occidatis, & à ſanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris ſenioribus, qui erant ante faciem domus, & dixit ad eos: Contaminate domum, & implete atria interfectis. egredimini. & egreſſi ſunt, & percutiebant eos qui erant in ciuitate.

FORMA & modus quo executioni ſententia mandata eſt, oſtenditur hoc loco prophetæ, & myſteria magna, quæ nobis præfigurata fuerunt. Nam vir hic, qui deſignator apparuit liberandorum, & lineis indutus erat, aut podere, ſeu talari, vt latinè dicitur, & atramentarium ad lumbos appenſum habebat, apertè Chriſtum Ieſum redemptorem noſtrum ſignificauit. Ipſe enim tyrannide diaboli graſſante, omnesq; homines ad inferni penetralia deglutiente, verus liberator, & ſaluator extitit. Vnde hîc veſte ſacerdotali ad talos vſque extenſa monſtratur. Verus quippè ſacerdos extitit, in cruce pro peccatis omnium æterno ſe Patri offerens. vt expreſſe beatus Ioannes Apocal. 1. huic locum explicans de Chriſto, eodem habitu ipſum commemorauit. Singula igitur conſiderando, atramentarium ad lumbos defert, quod ſcribarum, ac notariorum vſui eſt. Etenim Chriſtus Ieſus omnium peccata latentia, & in infimis cordium receptaculis obſtruſa manifeſtauit, adimplēs quod Deo ille charus Simeon de eo prædixerat: Hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorū; vt reuelentur multorum cogitationes. Et opere quidem adimpleuit Dominus, dum Ioan. 8. Phariſæorum & ſcribarum peccata digito in terra ſcripſit, vt teſtatur beatus Ioannes, & per ſuos Euangeliſtas eorundem, & omnium, qui ad finem vſque ſæculi peccaturi ſimiliter erant. Et item per eoſdem ſacros Euangeliſtas omnem ſapientiam ad ſalutem hominum neceſſariam ſcripſit: & eam tanquam magiſter cœleſtis à Deo patre datus, inter homines agens, proprio ore prædicauit: quam abſolutionem & perfectionem diuinæ ſcientiæ vir hic præſignat, dum Thau vltimā literā Hebræi alphabeti (quod per ſynecdochen, vt notat diuus Hieronymus, totā ſcientiam ſignificat) ſcribere iubetur. Officiū autē huic viro demandatum fuit, ſignare eos, qui liberandi erant, & manus hoſtium (qui cum omni ſua calliditate ſigno crucis ſuperantur, inquit Ruper-

Rupertus) euasuri. Si enim fuerunt, qui peccata non modò sua, sed totius populi in Philip. 2. amaritudine cordis gemebant, atque dolebant. Quod synceræ, & puræ charitatis est, quæ non quærit quæ sua sunt, nec gaudet super iniquitate (vt inquit beatus Paulus) sed zelo honoris Dei ducta, & salutis proximi semper graditur: in quibus signū thau in frontibus descriptum apparuit. In quo luculenter mysterium nostræ salutis per crucem Domini nostri Iesu Christi, explicatum est: quoniam non suffecit signum thau ad liberationem, nisi dolor & gemitus super cunctis abominationibus præextitissent. Quo pugione confodiuntur omnes hæretici nostri temporis, solam fidem iustificare asserentes. Nam hîc in iustificandorum per Christum figura liberantur, & signo Thau, quod crucis Domini symbolum est, & gemitu & dolore abominationum contra Deum premuntur. Est igitur pœnitentia innixa fidei mortis sacrosanctæ Christi Iesu, quæ iustificare valet, & tandem in eo, quòd gloria Domini assumpta de Cherub, ad limen domus constituta, opus faciēdum huic viro commisit; manifestè mandatum, quod Christus Iesus Dominus noster à patre accepit, redimēdi genus humanum figurauit, secundum quod ipsemet explicuit dicendo: Hoc Ioan. 10. mandatum accepi à patre, & sic facio. Habitus verò sex virorum qui ad percutiendū apparuerunt, iam descriptus est, quia gladiis districtis iuxta altare holocaustorum videbantur stare. Cuius rationem assignat beatus Hieronymus, quòd eos, quorum peccata non vident ibi esse dimissa, interfecerunt. Tamen cùm signum hoc datum non esset, sed thau in frontibus gementium, conuenientius apparet dicere, ibi visos fuisse: quoniam à sacerdotibus (qui altari, & templo præerant, & qui suprà ad exorientem solem adorare visi sunt) vastationem & occisionem incipere iubebantur, qui ne à sacrilegio abhorrentes, manus continerent, ait: Cōtaminate domum, & implete atria interfectionis: vt reuera Chaldæi contaminarunt, bona templi diripientes & prophanantes, corporibusque mortuorum implentes: quibus angeli prophetæ visi, præerant, qui propria potestate contaminare templum non poterant, neque vlli præcepto Domini resistere, bene tamen permissu. Iudicioque in templo facto, egressi sunt, & per ciuitatem diuagantes, seniores illos, quos thurificantes post parietem propheta viderat, è suis thuribulis appensos interfecerunt: & mulieres item suum Adonidem depereuntes, cum reliquo vulgo. Atque vsque adeò gladius cucurrit, vt cùm signatos thau ipse non videret, solus propheta sibi remanere visus est, aut quòd ipse solus sospes euasit, cum cæteris signatis. Aduertas hîc tamen Christianæ lector oportet: quòd iustitiæ opus prescripturus Dominus, propitiatoriū (vbi Cherub tanquam in sede, & misericordiæ loco miserationibus semper populo prospiciens aderat) reliquit: & ad limen domus egrediens, quos iusta pœnitētia & fides iustos facit, liberare iubet, cæteros verò gladio transfigi. Quod Esaias prædixerat, Do- Esaie. 26. minum flagellantem inducens: Ecce, inquit Dominus, egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos tuos. & simul etiam iudicium vltimum præfigurat. Nam ecclesiæ tempore misericordiæ & miserationibus totus plenus est. Quæ proculdubio templo illo Salomonis obumbrata fuit, atque ad finem iuncta ecclesia, eius iudex Dominus aduenïens, & æqua lance iustitiæ pondera librans, vnicuiq; dabit iuxta opera sua. Quia vtique tūc incidetur in manus Dei viuentis. quod horren- Ad He. 10. dum est, vt inquit beatus Paulus.

Et cæde completa remansi ego, ruique super faciem meam, & clamans aio: Heu, heu, heu Domine Deus: ergo ne disperdes omnes reliquias Israël, effundens furorem tuum super Hierusalem? & dixit ad me: Iniquitas domus Israël et Iuda magna est nimis valdè, & repleta est terra sanguinibus, et ciuitas repleta est auersione. Dixerūt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt: Igitur & meus non parcet oculus, neque miserebor, viam eorum super caput eorum reddam. Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: Feci sicut præcepisti mihi.

Dolen-

DOLENTIS & anguſtiati animi, ad id quod vrget, ſolùm tendit oratio: atq; ſi præanguſtia id ſermonibus explicare integrè non poſſit, affectibus exprimit: breui enim ſermone expoñedo tantum rem, ſorores illæ, Domino noſtro Ieſu Chriſto negotium ſuum expoſuerât: Ecce, inquiunt, quem amas, infirmatur. ſed breuius propheta noſter commiſeratione fratrum, & tanti ſupplicij admiratione commotus, gemitu & affectione mentis ſuam precationem exerens, finem orationis dicendæ ſic expreſſit: Ergóne reliquias Iſraël diſperdes? charitas enim qua vir iuſtus flagrat, communem cauſam dolet, Deoq; medium ſe obiicit, vt furorem mitiget, rumpat flagellum, & è manibus tollat. at eum ſemel & iterum cauſa perſpecta ſit, & conſilio diuino vltimo ſtabilita ſententia, nihil proficit: Dauid enim obnixè Dominũ pro ſalute filij precante, puer mortuus eſt: & poſt numerationem populi, peſtem, gladium, aut famem neceſſariò ſubeundam, à propheta indicatum: & nunc prophetæ noſtro, pro populo intercedẽri, iuſtitiæ integritatem, aliud expoſcere reſpõdetur. Deus auertat, quòd in his pœnis temporalibus ſuſtinendis definita ſententia, diuini conſilij iacta

Iob cap. 9. ſit alea, nam ineuitabiliter ſequitur: vt diuus Gregorius ſuper illud Iob: Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, in hunc modum dicit: Cùm ſuperna indignatio ſeſe (vt ita dixerim) medullitus mouet, hanc oppoſitio humana non retinet: nec ſe vtiliter cuiuſlibet deprecatio obiicit, cùm ſemel Deus aliquid ab intimis iraſcendo diſponit. Reſpondet ergo Dominus Prophetæ, peccatum decem tribuum Iſraël, & duarum Iuda & Beniamin inundaſſe, atque extra alueum defluxiſſe: ſiquidẽ eum terminum attigit, vt meam prouidentiam, inquit, negent, reliquiſſéque terram dicant, nec minima hîc inferius videre, aut curare: quare nullum miſericordiæ, iuſtitia cedit locum. Super quem locũ Rabbi Iohas ait: Dictũ eſt de tribu Iuda & Beniamin, quod non fuit dictum de Sodomitis: de Sodomitis quippe ſcriptum eſt Geneſ. 18: Et peccatum eorum aggrauatum eſt valde: de peccato verò Iuda, quod hic dicitur, iniquitas domus Iſraël &c. eorum idololatriam, & luxuriam, & prophetarum occiſionem, propter quæ vaſtatur, notans. Nec oculus meus, id eſt, miſericordia mea, aut verbum meum, vt ſuprà explicuimus, illis parcet; ſed eorum flagitia, in propriũ caput recidentia, commeritas ſuſtinebunt pœnas. Quod autem dicitur: virum indutum talaris qui medius inter Deum & populum conſtitutus fuit: reſponſum illud Chriſti Ieſu apud Ioannem præſignare videtur, vbi dicitur: Sicut mandatum dedit mihi pater,

Ioan. 14. ſic & facio. Nam, vt dictum eſt, ſcribæ & doctoris habitu, hîc Chriſtus deſcriptus eſt: quia verus ipſe magiſter hominum extitit (quem tanta magiſtrorum legis copia

Mat. 23. Ioan. 13. obũbrauit) vnus pro multis vnigenitus filius Dei, ſicut ipſe teſtatus eſt dicens: Vnus eſt magiſter veſter: & alibi: Vos vocatis me magiſter, & Dominus, & benedicitis; ſum etenim. Alij autem ſex viri non reſpondẽt, inquit diuus Hieronymus: quia non lætitiæ, ſed mœroris impleuêre ſententiam.

CAPVT DECIMVM.

ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat ſuper caput Cherubim, quaſi lapis Sapphirus, et quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij apparuit ſuper ea: et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, et effunde ſuper ciuitatem: ingreſſuſque eſt in conſpectu meo.

CORRVPTIO vnius, alterius eſt generatio, inquiunt philoſophi: ſignum incendij, quod ciuitatem Hieruſalem abſumpturum erat, hic prophetæ oſtenditur; & ſimul ignibus charitatis eccleſiam catholicam ædificandam ſignificatur. vnde quoniam prior illa viſio, in initio huius prophetiæ oſtenſa, eccleſiam, vt dictum eſt, referebat; eadem nunc mente prophetæ recurrit, ſub alia tamẽ diſpoſitione & ſitu, quia expreſſius eadem res declaratur, & modus generationis depingitur. Igitur qui ſedebat ſuper ſedile illud in extenſione illa, ſeu in firmamento, quod quatuor animalia, quæ nunc Cherubim appellantur, tegebant, præcepit viro ſignatori liberandorum vt ſecundum diſpoſitionem præcedentis capitis, ingrederetur medium rotarum, quæ

erant subtus Cherubim, & acceptis inde prunis effunderet super ciuitatem: quod (vidente propheta mente & intelligentia) ingressus est, factus preceptum. Sed cur è medio rotarum ignis tollitur ad comburendam ciuitatem? vides planè mysteriũ: quia si res simpliciter narretur, ex foco & loco vbi ardere solet, sumi iuberetur. At quoniam dum vnum geritur, aliud futurum designatur, hinc ex medio rotarũ ignis assumitur. Etenim rotæ vetus testamentum & nouũ sunt: & quoniam euangelium, intrinsecus in medulla veteris inclusum fuit, quod tamen vim igneam retinet, & eam emittit, quando flatu charitatis id tractantis, incenditur: quódque mirificè accenderit Dominus prædicatione sua, ipsemet expressit dicendo: Ignem veni mittere in terram; quid volo, nisi vt ardeat? & quilibet prædicator & ecclesiæ doctor, qui imitatione Domini pro sua ratione id dignè tractat, ignem & fulgorem exerere facit. Vnde Dauid sanctus: Ignitum eloquium tuum Domine, & seruus tuus dilexit illud. Atque adeò veste talari, seu sacerdotali indutus (qui Christũ Iesum Dominum nostrum referebat) prunas assumere iussus est; qui in ædificatione ecclesiæ sua charitate, & prædicatione orbem accensurus erat. Idqúe fecit, à sedẽte in throno iussus: quia præcepto paterno filius Dei in mundum venit, & homo factus sua morte ipsum redemit. Scriptura autem sancta, & eius item quælibet pars rotæ aptissimè cõparatur: cùm ob circuli perfectionem, qui omnes alias figuras excedit, & omnibus capacior existit: tum quia nullo erroris angulo, via eius legitimæ prædicationis retinetur; & tandem ex omni parte in mentibus Christianorum voluitur; sursum in viris iustis & contemplatiuis, dum spiritaliter viua fide circumducitur; deorsum in populo Christiano, qui decalogi & ecclesiæ præcepta sequendo, sua vita id semper circumagunt. Item deorsum erat in Iudæis, qui carnaliter eam intelligebãt, sicut nunc in omnibus hæreticis: sursum autẽ in prædicatoribus, & doctoribus ecclesiæ Catholicæ spiritaliter eam intelligentes, & ad profectum spiritus, omnibus tractantes. Luc. 12.

Cherubim autem stabant à dextris domus cùm ingrederetur vir, et nubes impleuit atrium interius; et eleuata est gloria Domini desuper Cherubim ad limen domus, et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini, et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox loquentis Dei omnipotentis. Cumque præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim, ingressus ille stetit iuxta rotam, et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cherubim, et sumpsit, et dedit in manus eius, qui indutus erat lineis. qui accipiens egressus est: et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis, subtus pennas eorum.

MYSTERIVM incarnationis Domini signat; ideò speciem, & dispositionem eorum, quæ in visione apparuerunt, narrat. Atque in primis ingressum viri illius in tẽplum: qui filium Dei hominẽ factum significabat, ecclesiam hanc militantem tẽplo illo designatam, intrantem. Et quoniam lætissimum omnium, quæ contingere hominibus potuerunt, fuit, & lætitiæ quæque signa à dextris dicimus esse, tristitiæ verò, & mœroris à sinistris, à dextris domus Dei Cherubim, siue animalia visa steterunt, summa attentione quæ gererentur spectantia. Quod autem primùm spectandum se obtulit, fuit nubes totam domum obumbrans; Quia post sacrosanctam Christi Iesu natiuitatem, ante eius baptismum, prædicationem, & Apostolorum vocationẽ, totus populus ignorantiæ nube circa cognitionem tanti mysterij detentus fuit: Pòst verò, cùm gloria Domini desuper Cherubim assumpta est, & in limine domus constituta, id est cùm Pater æternus à loco vbi spiritus illi quatuor cælestes, Euangelistis potissimum præsidentes, tei miraculum spectabant, & in limine ecclesiæ assistẽs, cœpit trahere quos sua prædicatione vnigenitus eius vocabat; atrium interius nube obductum fuit, vbi populus conueniebat qui cœcitate in aduentu Domini percussus fuit. Atrium verò interius, quod Sancta sanctorum erat, splendore fuit illustratũ: quia ecclesia luminẽ Euangelij emicuit Domini Iesu prædicatione, secundũ quod prædixerat Dauid: Exortum est in tenebris lumen rectis corde; misericors, & misera- Psal. 111.

[Esaiæ 9.] ratot, & iustus Dominus. Item Esaias, Sedẽtibus in regione vmbræ mortis, lux orta [Matth. 4.] est eis. Vox prçtereà alarum Cherubim, vsque ad atrium exterius: hoc sub diuo erat, & populum gentium signabat, qui prædicatione Euangelij, conuertendus erat ad fidem Christi Iesu; ministerio tamen apostolorum qui ex Iudæ ad id opus electi fuerunt, [Psal. 109.] secundum illud Psalmi: Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, &c. Quòd si per alias virtutes intelligas, vt primo capite expositum est: sonus earum auditur vsque ad gentes, quando mutua coadiuuatio operum virtutis & charitatis, ita [Ad Phil. 2.] simplex & sine querela, vt inquit Paulus, inter Christianos inuenitur, vt luceant in medio nationis prauæ, id est gentium & paganorum, sicut luminaria in mundo: vt sic & ipsi ad fidem inuitentur. Ingressus deinde vir ille lineis vestitus, stetit iuxta rotam, vt ad tantæ rei mysterium attonitus: similiter ac Abachuc de incarnatione Do- [Abach. 3.] mini spiritu edoctus, stupore & admiratione correptus dixit: Domine audiui auditionem tuam, & timui, &c. & quoniam Propheta casum sui populi vehementer dolebat, adimpletionis iussi; moras nectebat. Perinde ac Christus, qui semper vt pœni- [1. Ioan. 2.] teamus, inducias à Patre nobis negotiatur: vt beatus Ioannes prodidit dicens: Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, qui interpellat pro peccatis nostris. Verùm iustitiæ legibus aliud non permittentibus, ipse Dominus & æternus, qui nunc Cherub dicitur, quià spiritus is loco Dei ibi apparebat, & antè gloria Domini, & in primo capite similitudo hominis, quia Deus futurus erat homo, appellabatur: extẽdit manum & accepit ignem de medio Cherubim, & in manu illius sacerdotis collocauit. quia Christus Iesus redemptor noster, in quantum homo, potestatẽ homines iudicandi accepit à patre, quam accedente tempore exercebit, secundum il- [Ioan. 5.] [Ioan. 13.] lud Ioãnis: potestatem dedi ei iudicium facere, quia filius hominis est. & alibi: Sciẽs quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit &c. Vir ergo ille & sacerdos, accepto igne in manu sua, egressus est: quò autem fuerit egressus. Scriptura tacet; vt tristis rei narrationem intelligentiæ potius nostræ relinqueret, quàm oculis subiiceret, ait Hieronymus. Id verò quod sequitur: Et apparuit in Cherub manus hominis; expositio superioris versus est. nam cùm in similitudine imaginaria, hæc omnia prophetæ apparerent, cùm ignem de medio Cherubim accepit, manus hominis similitudinem se vidisse testatur.

Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim, rota vna iuxta Cherub vnum, et rota alia iuxta Cherub vnum. species autem rotarum erat quasi visio lapidis Chrysolithi, & aspectus earum similitudo vna quatuor, quasi si sit rota in medio rotæ. Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebãtur, & non reuertebantur ambulantes, sed ad locum ad quem inclinabat quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec reuertebantur. & omne corpus earum, et colla & manus, & pennæ & circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum, & rotas istas vocauit volubiles, audiente me.

INCARNATIONE Domini Iesu significata, quid eius operæ subsequuturum erat, attingit: & ecclesiæ ædificationem, sub figura quatuor Cherubim & quatuor rotarum, & si alia dispositione & ordine, quàm in primo capite demonstratum fuerat, ostendit. De rotis ergo primo loco agit: de quibus dependentiam & ordinem, quem ad singulum Cherub singulæ haberent, declarat: deinde earum similitudinẽ, motum, figuram & gestus exprimit: singulis Cherubim suam totam accommodat. Quoniam singuli Euangelistarum & Apostolorum suas prouincias proscindendas, Deique verbo seminandas susceperunt: quæ eorum prædicatione conuersæ, singulæ suum Apostolum tanquam Cherub quendam, magnitudine diuinæ scientiæ, in fide & motibus sequebantur: accipitur enim scriptura sacra, seu fides Christi Iesu Domini nostri, non in se præcisa, sed in ipsis fidelibus, ea illustratis, & instructis. Similitudo autem earum tanta erat, quòd speciẽ lapilli pretiosi, qui Tharsis, Hyacinthus, aut Chrysolithus trãscribitur, eximiè referebat: erat enim splendida, clara, & conspi- [Ephes. 4.] cua religio: quia omnium vnus Deus, vna fides, vnũ baptisma, vt inquit beatus Paulus:

lus,& tanta denique erat vnitas, vt videretur rota esse in medio rotæ. quod & ita erat: (Ephes.4.) nam Euangelium inclusum erat in veteri testamento, quibus rotis versabatur,& versabitur fides Catholica, quam Romana ecclesia sola integrè profitetur. Motus agilitatem commendat, quòd omnes sequentes primam, quæ ducatum agebat, æquali animo & robore sequebatur, neque ad dexterum vel sinistrum faciem conuertebant, sed recta via gradientes, ad destinatum opus properabant. Quod est dicere: ita fideles prædicationem capitis Christi scilicet,& eius vicarij, quam etiam cæteri Apostoli inuulgabant, accepisse, vt ab accepta semel fide non deficerent, sed animosè in ea ad interiora semper pergerent: neque aut ad aduersa mundi huius, aut prospera, quæ cursum vitæ huius retardare solent, se defixè conuertebant: Primitiuæ siquidem ecclesiæ tempore, ad pedes Apostolorum omnia sua bona fideles deponebant. Etenim, mysteria hæc in exercitu Chaldæorum ad vastationem Hierusalem properantium designabantur, in quo tanta fuerit fortitudo, & roboris æqualitas, vt dux strenuus, quamlibet illius partem ductaret: & tanta omnium partium similitudo, vt æqua esset omnium sors,& armatura: neque erat debilitas, aut lassitudo, quæ retrocedere posteriores faceret, aut ad quippiam aliud mentes conuerteret quod ab scopo proposito retardaret: quorum opposita in classibus bellicis frequentius contingere solent. Hæc sunt quæ literæ huius cortice mysteria, præsignabátur: sed nota quòd figuram motus & gestus rotatum exprimit, cũ dicit, *& omne corpus earum, & colla et manus & pennæ, & circuli plena erãt oculis*, &c. Oculus enim, & vigorem & solertiam, siue prudentiam rei cuius est, solet in scriptura dicere: vnde (1.Reg.14.) Ionathas dixit: Quare præcepit pater meus, ne comederet populus? ecce aperti sunt oculi mei, &c. id est, ecce vigeo, qui animum despõdebam. & Esdras, (1.Esdr.c.5.) Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. & Psalmus item: (Psalm.6.) Turbatus à furore oculus meus. Quapropter, vt Babylonici exercitus vires,& militiæ peritiam Spiritus sanctus explicat, aciem illam plenam oculis secundum se,& quælibet sua membra Prophetæ ostendit. Nam toto corpore, siue in ipsamet substantia carnis, vt dictio Hebræa, teste Hieronymo, sonat, oculos habebant: & in collis; hoc est in dorsis, vt à tergo improuisum hostem, qui impendêre posset, iam prospexisse; & in manibus etiam; vt quicquid attingerent dexterè succedere manifestaret: & in alis; vt assultus omnes prosperos,& strenuam agilitatem denotaret: & in circulis item, hoc est in cantis ferreis quibus lignorum rotunditas arctatur, & stringitur, inquit diuus Hieronymus. Possunt etiam intelligi, circuli quibus constabant rotæ, quòd (vt dicunt Hebræi) pleni essent oculis: Nam dixerat, inquiunt, totam esse in medio rotæ. Verùm vt cumque, in partibus minimis,& solum ipsum tãgentibus, ostendit oculos, vt cuncta prouidè, & prosperè illis fieri indicaret. Sed nec mirum: quia non casu aut temerè eam capessunt, verùm consilio, & ordinatione diuina. vnde ait: Et rotas istas vocauit volubiles audiente me, indistinctio reddit hũc locum obscurum: quia dixisse: ratas appellasse rotas aut volubiles, audiente Propheta, quid magni notatio est, quam insinuat? quare approbo sententiam eorum, qui dicunt: Cherub vnum vocasse rotas,& dixisse: Rotæ, hoc facite, aut agite. & subticet quod imperauit, quia iam explicatum erat, nempe concurrere ad vastandum Hierusalem, atque ob hoc testimonium suum vates sacer profert, asserens hoc ipsum audiuisse.

Quatuor autem facies habebat vnum, facies vna facies Cherub, et facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ. & eleuata sunt Cherubim: ipsum est animal quod videram iuxta fluuium Chobar. Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter et rotæ iuxta ea: et cùm eleuarent Cherubim alas suas, vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed et ipsæ iuxtà erant, stantibus illis stabant, et cum eleuatis eleuabantur; spiritus enim vitæ erat in eis.

POSITA descriptione rotarum, ad ipsa Cherubim sermonem reducit: de quibus duo docet, primùm similitudinem vultus eorum, quorum singulum quatuor facies

referre,

referre, Cherub, hominis, leonis, & aquilæ dicit. & hoc vt ostendat, quæ nunc Cherubim appellat, eadem animalia esse, quæ in prima visione illi apparuerant. Quapropter se exponens propheta, ait. Ipsum est animal quod videram iuxta fluuium Chobar: id est, ipsa sunt animalia, quę anteà videram: vsurpat enim singulare pro plurali, vt mos est Hebręis. Rupertus ex hac expositione, qua dicit: Ipsum est animal quod videram, &c. colligit prophetam se explicuisse, nomineque quatuor animalium vnum animal intellexisse, nempè Christum, qui numeratorum animalium proprietates, eximiè in se ostenderit, secundum quatuor sacramenta nostræ redemptionis, incarnationis, passionis, resurrectionis, & ascensionis, vt libro 13. super Matthæum fol. 1. 5. 9. latè prosequitur. Vtcumque tamen exponas, nota: quòd facies Cherub hic dicitur, quæ anteà facies bouis appellata fuerat: cuius rationem reddit Hieronymus, quòd Cherub cum vultu bouis similitudinem aliquam habeat. & appositè quidem, hæc variatio appellationis nunc facta est; vt de cæteris vultibus, non quæ materialiter verba exprimunt, intelligamus, sed facies etiam Cherubim esse, qui virtutibus eorum animalium præstarent. & aduerte, Cherubim, sicut cæteris angelis ex eorum apparitione colligitur, facies humanas referre: Quocirca & tales fuerunt horum quatuor Cherubim, nisi quòd aliquid horum animalium, in ipso aspectu exhiberent. Deinde, tantum ordinem, & vniformitatem in statione & motu rotarum ad Cherubim ostēdit, vt nulla in re à Cherubim rotę, ductu discreparent. quòd hæc, vim efficacem exercitus Chaldęorum, ad expugnandam Hierusalem in literæ cortice demonstrarunt. Verùm per res hasce proculdubio exercitum ecclesiæ, gentes omnes expugnaturum, Spiritus sanctus docere intendebat. hinc enim rotæ in carnibus, alis, manibus, dorsis, & circulis, oculis plenæ ostenduntur. Quoniam vbi fideles, illo potissimum tempore primitiuæ ecclesiæ, oculos non haberent? qui fide, spe, charitate perciti, quicquid agere, facere, aut loqui cogitarunt, dimitterentur? nullibi sanè. Atqui quoniam bigę curruum Euangelistas, Apostolos, & heroicos illos homines, qui populorum fidelium duces futuri erant, significabant, animalia nuncupauit, tot excellentiis præmunita. Et quia ad eam rem angelis, magnitudine scientiæ excellentibus dirigendi, & docendi erant, qui tanquam præsides plantationi Christianæ fidei, ipsis assisterent, Cherubim eadem animalia hoc loco sunt appellata. Est enim frequens in Scriptura sacra, ecclesiam exercitui comparare. Ita si quidem Abachuc, 3. capite, cùm de subiectione gentium disseruisset, ait: Quia ascenderes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. & Canticorum primo, Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Atque hinc tanta concordia inter rotas, & Cherubim ponitur, quia eximiè seruit charitas & obedientia, inter populōs & magistros suos Apostolos.

Rupertus.

Et egressa est gloria Domini à limine templi, & stetit super Cherubim: & eleuantia Cherubim alas suas exaltata sunt in terra coram me: & illis egredientibus rotæ quoque subsequutæ sunt. & stetit in introitu portæ domus Domini Orientalis, & gloria Dei Isräel erat super eam.

POSTREMVM malum omni deploratione dignum, nempe sacrilegium illud horribile, quod commissuri erant Chaldæi vastando templum authoritate Domini, Sancta sanctorum profanando, Propheta hic vidit. hoc enim significat gloriam Domini à limine tēpli siue adyti, aut sancta sanctorum egredi, stare super Cherubim, id est, super duces illius exercitus, ipsos duces cum rotis, id est, toto suo exercitu incolumes domum Domini egredientes, seruare. gloria enim Domini idem sonat, quod Domini præsentia, siue eam per angelum, vt Iosuę; siue per nubem, Exod. 16. famem sui populi extincturus; siue per ignem, vt monte Sinai daturus legem, eam exhibuerit. Etenim eo habitu apparebat Dominus, quem opus exigebat, quod suis pręscribebat. Atque hinc defensurus suum populum Iosuę sub specie angeli gladio districto apparuit: Moysi sub nube, quia pluiturus erat coturnices: in monte Sinai sub specie ignis, quia legem illuminantem, & tenebras excutientem daturus; & denique sub rubo accensa, quæ non comburebatur: quia natiuitatem Christi inter spinosos homines, quos accensurus & illuminaturus erat, non tamen absumpturus, significabat.

gnificabat. Templum autem hoc loco pro adyto & Sancta sanctorum, vbi erat arca & propitiatorium, sumitur. vt ipsemet Dominus mortem Zachariæ Pharisęis obiectans, dixit: Quem occidistis inter templum & altare. Constat autem, vt ex Talmud Hierosolymitano in libro De ieiunio, vt refert Galatinus, eum lapidibus obruentes, occiderunt in ambitu domus Domini: non in atrio Israël, dicunt Hebræi, neque in atrio mulierum, sed in atrio Sacerdotum; in quo sane erat altare holocaustorū ante Sancta sanctorū. quod Dominus explicans dixit: Inter templum & altare. In mysterio autem significauit abrogationem legis, & cæremoniarū futuram in morte Christi Iesu, per vastationem templi, & egressum Domini ab eo. Quod satis inquit Dominus, cùm desuper Cherubim egrediens, stare voluit in introitu portę Orientalis: per quam aditus patebat ad atrium, in quo populus Israël orabat, orabat autem ad Occidentem iuxta præceptum Domini. Et ita ingressus erat ab Oriente: nam ex oriente Domino, eorum qui occiduī erant, ritus cæremoniarum & adorationis, erat abolendus. & item paulatinam derelictionem illius populi ingrati attigit, vt inquit diuus Hieronymus. quia primùm fuit in templo, deinde stetit in atrio, siue in limine templi, & recedente, nubes & caligo impleuit penetralia templi, & tandem post atrium & limen foras introitu portæ Orientalis; in quo importunam Domini inuitationem ad bonum, & obstinatam peccatoris hominis duritiem perspicuè contemplari licet: Nam per longas moras eiectus Dominus per peccatum mortale ab anima Christiana tanquam à templo & habitaculo suo, stat ad ostium & pulsat, cū suo fratre cœnare gestiens, si ingredi concedat, vt inquit beatus Ioannes. Deinde, consistit in atrio post parietem nostrum, vt inquit Sapiens in Canticis. & tādem neglectis amplioribus auxiliis ad Orientalem portam stat, lumine fidei (quod nunquam subtrahit, nisi repugnando per hæresim se tanto munere priuet) assistendo, tenebras errorum & cæcitatis paganorum, vt sibi prospiciat, excutiendo. quod viscerum misericordiæ Domini erga nos nunquam satis celebrandum testimonium est.

Matth. 23. Apocal. 3. Cantic. 2.

Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israël iuxta fluuium Chobar, & intellexi, quia Cherubim essent, quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni, & similitudo manus hominis sub alis eorum, & similitudo vultuū eorum, ipsi vultus quos videram iuxta fluuium Chobar, & intuitus eorum, & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

TESTIMONIVM exhibet Propheta, quæ hîc animalia cernit, eadem esse quę vidit in primo capite: accipitur enim singulare pro plurali, vt dictum est, & ipsum animal idem est, quod ipsa animalia quæ hac iterata visione cognouit, Cherubim esse, quod priore non acceperat. Ex quo colligitur quæ fuerit causa iterationis huius visionis: nempe vt mysteria incarnationis & redemptionis hominum simul, & ecclesiæ progressus, quæ prius obumbrata fuerant, attingeret, populoque manifestaret: Per gradus quidem, sua sacramenta perstringere consueuit Dominus. quod & Propheta fatetur dicēdo: nunc cognouisse esse Cherubim, id est, illa animalia, Euāgelistas, & Apostolos significasse, quibus Cherubim ad suam legationem fungendam, præficiendi erant: quapropter sub eorum forma nunc animalia videt. Deinde longanimitatem illam, qua Dominus ad pœnitentiam peccatores expectat, Dominus commendat. Nam cùm in principio captiuitatis hæc Ezechieli Prophetæ ostensa fuissent, sexto captiuitatis anno eadem visio redit: vt qui ad id vsque tempus non pœnituerant, adhuc Dominum, vt ad mentem redeāt, eos expectare nec terminum audientiæ, sarcinam suorum peccatorum exonerare volentibus, clausisse, intelligāt; sed moras adhuc, & semper quoad in vita peccator erit, illi obtendere: secundum illud Pauli ad Romanos. An ignoras, quod longanimitas Dei ad pœnitentiam te adducit? an diuitias bonitatis eius contemnis? Cùm autē dicit, quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni, & similitudo manus &c. exponit quod dixerat, hæc Cherubim animalia esse, quæ ante viderat: Nam quaternæ facies erant singulis, & quaternæ alę, & similitudo manuum hominis sub alis eorum, vt primo capite depinxerat.

Roman. 2.

CAPVT XI.



T eleuauit me spiritus, & introduxit me ad portam domus Domini Orientalem, quæ respicit ad ortum Solis. Et ecce in introitu portæ viginti quinque viri; & vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Ananiæ principes populi. Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant consilium pessimum in vrbe ista, dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? Hæc est lebes, nos autem carnes. Iccirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis: & irruit in me spiritus Domini, & dixit ad me: Loquere: Hæc dicit Dominus, Sic loquuti estis domus Israël, & cogitationes cordis vestri ego noui. Plurimos occidistis in vrbe hac, & implestis vias eius interfectis. propterea hæc dicit Dominus Deus Israël: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes & iste est lebes: et educam vos de medio eius. gladium metuistis, et gladium inducam super vos, dicit Dominus Deus. et eiiciam vos de medio eius, daboque vos in manum hostium, et faciam in vobis iudicia. gladio cadetis: in finibus Israël iudicabo vos, et scietis quia ego Dominus. hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio eorum in carnes: in finibus Israël iudicabo vos, et scietis quia ego Dominus: quia in præceptis meis non ambulauistis, et iudicia mea non fecistis. sed iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati.

VSQVEADEÒ in omni actione à Deo pendemus, vt non solùm vt ipsi conciliemur & peccata remittat, indigemus gratia, sed vt ea adepta, motionibus auxiliorum eius ad meritoria & gratiora opera facienda, etiam impellamur. vnde & Propheta noster rebus diuinis intentus, rem nouam visurus noua eleuatione indiget. Positus ergo in porta Orientali templi, vbi gloria Domini, & Cherubim aderant, ex demonstratione præcedentis capitis, simul in eiusdem portæ ingressu viginti quinque viros cum principibus suis Azuro, & Phaltia videt. O magna peccati cæcitas, etiam in ipsa ecclesia, vbi Christus redemptor noster in sacramento illo sanctissimo Eucharistiæ residet, qui via & veritas est, per quam ad Patrem itur, & propter ortum nostrum in gratia æterni patris Oriens in Scriptura appellatus est, & insuper hic in porta Orientali constituitur: & multo plures, & vtinam

Zach. 6. non magna pars Christianorum sit, qui sensibus indulgentes, spem suam & confidentiam diuitiis suis, & rebus huius sæculi repositam habeant, & dicant in cordibus suis, perinde atque ij Hierosolymitæ de domibus, de ditione, de vrbe, Hæc est lebes, nos autem carnes. vt sit sensus: Ideo carnes in ollam & lebetem mittuntur, vt coquantur, nec prius inde extrahuntur quàm decoctæ sint. Dedit ergo nobis Dominus diuitias, florentem vrbem, tam amplas domos, quibus perfruamur &

Esaie 28. otiemur. Flagellum inundans non tanget nos, vt dicunt per Esaiam: neque hinc expellemur, donec ad perfectam coctionem & maturam ætatem, quàm è vita migrandum sit, perueniamus. Quòd si angustiæ nos presserint, vt inquit diuus Hieronymus, in domibus & vrbe nostra patiemur, & velut in lebete carnes perfrixuras, & afflictiones domesticas decoquemus. Verùm longè aliter per Prophetam Dominus eorum prouerbium interpretatur: Ita est, quòd lebetibus carnes ad coctionem mandantur, & vestra ciuitas lebes est, vos tamen non estis carnes: sed interfecti Prophetæ, & Sancti viri, quibus plateas vestras replestis, sunt carnes. Quapropter vltricem meam manum sentietis, & hostium gladio cadentes, extra fines Israël vos faciam, & in eorum manus tradam: vt sciatis, quia ego Dominus, cuius præcepta seruare debueratis. ob quod transgressionem toties, has pœnas & exterminia pendere dixi. & quoties ò miseri nos Christiani, exercitus nostros proceresque militiæ viros, in manus Turcarũ, impiorumque hominũ, nostris exigẽtibus meritis, vidimus? sed & ob quæ iniqua mala actu sumus peccata, duas hic assignat causas diuinus Spiritus, seu suum

ſuum nempe indulgentiam,& factiones,atque diuiſiones. Cùm enim ſenſus rationis famuli ſint,& præceptorum item eius exequutores,appetitus iræ,& concupiſcẽtiæ,in hoc tota hominis peruerſitas vagatur,quòd è ſua mens deturbata ſede,ſenſus & appetentes vires,vitæ gubernacula teneant,ita vt poteſtati libidinum, & cupiditatum vita omnis permiſſa ſit. Hoc autem malum ſignat ſacer Propheta, cùm viginti quinque viros in porta Orientali vidiſſe aſſerit: numerum enim quinarium, quo ſenſus hominis clauduntur, nunquam in bonam partem accipi, legitur in Scriptura,vt diuus Hieronymus teſtatur: & ſi pluries indifferenter inueniatur. vnde totius populi lapſus vigeſimo quinto numero hoc loco ſignificatur. Altera cauſa factiones,& diſcordiæ ſunt,quibus vnitas charitatis ſoluitur. Ciuitatem autem Hieruſalem,diuiſione,& diſcordia magna laborare inſinuat Propheta, cùm duos principes Iezoniam,& Phaltiam populi ductores & principes recenſet. Nam Phaltia mortuo, qui cadendo à præceptis Domini declinauerat, vt interpretatio eius nominis ſonat: Iezonias, qui obedientiæ filius erat in populi imperio manſit. & his duobus Rempublicam regentibus totum malum peruagatum eſt. Etenim numerus binarius,quòd primùm ab vnitate defectio ſit,in numero malorum a Pythagoricis ponitur. In cuius etiam deſignationem animalia immunda, bina & bina iuſſit in arcam Dominus reponere: & dualitatem Iudaici populi contra populum gentium ſe gloriando Chriſtus Ieſus clamans,dixit,Ego & pater vnum ſumus: quaſi diceret; Vos autem defectionibus tenemini. Et Paulus eandem rem tractans dixit: Et diſſoluẽs medium parietẽ maceriæ,fecit vtraque vnum. & tandem diuiſo ſummi ſacerdotis imperio,& non in ſua vnitate permanente, in quo inuidiæ dentibus omnia lacerati viſa ſunt,vſque adeò vt ſacerdotium ipſum diſſecuiſſet, Anna,& Caipha imperãtibus, Dominus Ieſus Chriſtus paſſus eſt: & poſtremum illud ſcelus Iudæorum populus admiſit.

Et factum eſt cùm prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus eſt, & cecidi in faciem meam clamans voce magna, & dixi: Heu,heu,heu Domine Deus, conſummationem tu facis reliquiarum Iſraël. Et factus eſt ſermo Domini ad me,dicens: Fili hominis,fratres tui,viri propinqui tui, & omnis domus Iſraël vniuerſi, quibus dixerunt habitatores Hieruſalem, Longè recedite à Domino,nobis data eſt terra in poſſeßionem. propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia longè feci eos in gentibus,et quia diſperſi eos in terris,ero eis in ſanctificationem modicam in terras, ad quas venerunt. Propterea loquere, Hæc dicit Dominus Deus, Cõgregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus diſperſi eſtis, daboque vobis humum Iſraël, et ingredientur illuc, & auferent omnes offenſiones, cunctaſque abominationes eius de illa: & dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea, & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum. Quorum autem cor poſt offendicula et abominationes ſuas ambulat, horum viam in capite ſuo ponam, dicit Dominus Deus.

MAGNI faciendi ſunt iuſti & boni viri, qui pro populi ſalute interpellant Dominum: & quæ ſuæ maieſtati placita ſunt, ad oppreſſorum liberationem per eos denunciat. Cùm enim ſacer Propheta Phaltiam occumbere, & eorum qui eius partes ſequebantur quamplures interfici, vt dicit diuus Hieronymus, ingenti dolore percitus, angitur: Ad præſentiam quidem Domini princeps ille cum ædificatione peſſima ſuæ ſanctionis, (nam præterea filius Banaiæ, id eſt, ſtructionis dicitur) iuſſu Domini cecidiſſe credendum eſt; quod & Propheta ſatis inſinuat, cùm & gemitu cordis, & ingentibus ſuſpiriis reliquias Iſraël perire deplorat. Sed lætum reſponſum pro tribulatis meretur accipere; reliquias ſcilicet

Israël permansuras, non Hierusalem tunc commorantes, sed quæ iussu Domini prophetiæ Hieremiæ acquiescentes, cũ suo Rege Ieconia Assyriis se captiuos dederant. Qui verò ei repugnarant, & eis insultantes dixerant: Abite longè, recedite à nobis, nobis data est terra in possessionem: ob insolentem hanc iactantiam euellendos atque perdendos fore. Vide quomodo voci Domini audientibus, pro eoque patientibus, adest auxilio Dominus omnino propitius: rebellibus verò & inobedientibus seuerus & rigidus existit. In quo apertissimè vocationem gẽtium ad ecclesiam insinuauit. Expediebat enim, vt ex longa Iudæorum habitatione inter gentes in pace, & commerciorum communicatione, qui in Domini militia futuri erant, legis rudimenta sensim acciperent, cuius medullis Euangelium quod in Dei Ecclesia Catholica professuri erant, continebatur; & pædagogiam Israëlitarum sic præsentirent, qui magistros Apostolos, quos figurabant, habituri erant. Verùm quia reductio dispersionis captiuorum, congregationis Ecclesiæ ex gentibus figura extitit, vide quã eorum regressum operetur Dominus. Nam cùm septuaginta annis apud gentes Esdræ 1. cõmorati fuerint, vsque ad primum annum Cyri Regis, vt Esdræ primo legitur, in eorum idololatriam plures Iudæorum defecerunt, & pauci, vt Daniel cum sociis, & Mardochæus cum cæteris ipsis subiectis, permanserunt, qui pœnitentes verum Dei cultum & religionem obseruarent. vnde in modicam sanctificationem se illis futurum Dominus dicit. Et tandem vt videas, quàm exactè veritas vmbræ responderit, pauci ex Iudæorum genere, Iesum Christum Dominum nostrum ad reliquũ vulgus collati, amplexati sunt. Etsi ad prædicationem Petri vna die tria millia, vt refertur Actor. 2. & iterum quinque millia, & alij, de quibus Iacobus ad Paulum dicit cap. 21. Vides frater tanta millia credentium Iudæorum: Attamen diligenter attende, quanta in conuersionem populi sui impendat Dominus, vt in cuiusque etiam peccatoris conuersionem eadem obseruare intelligas. Primùm septuaginta annis premitur populus hinc inde dispersus: vt septimanam annorum cuilibet peccato lethali ad eius temporalem purgationem restare, si hîc non soluatur: vt etiam diem contrà pro anno computando, ex septem diebus, quibus Maria soror Moysi, extra castra eiecta fuit, idem colligant doctores. Deinde populum congregat & adunat Dominus, vt in latissimum sensuum campum, dispersum peccatorem in vnam mentem aduocat & vnit, vt quid illum facere oporteat, tractet. in humum Israël deinde post septuaginta annos reducit, & gentes dispersas, prædicatione Apostolorum Ecclesiam Catholicam ingredi facit; quia extra eam non est salus: & quemlibet peccatorum intra eam vnitate fidei commorantem, eam ingredi charitatis gradibus dicitur, dum à confessario legitimè sacramentum Pœnitentiæ recipiens, Domino conciliatur. Ibi enim peccata omnia & offensiones à se abiicit, nouo, & alte- Psalm. 50. ro spiritu, recto scilicet imbutus, iuxta illud Psalmi, Spiritum rectum innoua in visceribus meis. atque vt deinceps, in viis & præceptis Domini ambulet, corde hirsuto, & rebelli ablato, carneum, molle, & amore diuino delinitum datur; vt tanquã verus Christi assecla deuotione, obedientia & conuersatione Dei seruum se exhibeat: & vt talem Dominus eum protegat, diligat, & beneficiis repleat, quòd his ipsi respondeat, quæ à suo populo, vt sit illi in Deum, exigit. Nam pertinaces & suas insequentes semper abominationes, meritas pœnas in capite accepturos tandem prænunciat.

Et eleuauerunt Cherubim alas suas, & rotæ cum eis, et gloria Dei Israël erat super eos, et ascendit gloria Dei de medio ciuitatis, stetitque super montem, qui est ad Orientem vrbis, et spiritus leuauit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem in visione in spiritu Dei: et sublata est à me visio quã videram, et loquutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

MORE pictorum, qui imaginem aliquam expressuri, prius loco circuncluso, lineis quibusdam rudibus eam signant, ita filius Dei altissimus, cælestis pictor, dispensa-

ſpenſationem ſuæ vitæ mortalis inter homines, priuſquam eam induceret, penicillo ſuæ ſapientiæ aſſumpto, his vndecim capitibus prælectis, eam inſinuauit: ita vt à myſterio incarnationis in primo capite, cętera ſuæ vitæ myſteria, vſque ad admirabilem ad cælos aſcenſionem hoc loco ſignatam, obumbrata fuerint. Vnde notans, quòd ſua prædicatione & vitæ geſtis, deſertionem templi Salomonis, & legis edocturus erat, lectione horum capitum flagitia populi illius exerens, commeritasque pœnas eueſtigians, paulatim à templo, ſiue ſancta ſanctorum, deinde à limine Domus, & tertiò ab introitu portæ orientalis diſcedēdo, ad montem qui eſt ad orientem vrbis, cum Cherubim & rotis ſe omnino eleuauit. Nam ab hoc monte, qui mons Oliueti eſt, vt auctor eſt diuus Hieronymus, in proſpectu ſuæ eccleſiæ, id eſt, Apoſtolorum ſuorum, qui per Cherubim & rotas hic notantur, & eccleſiam tunc conficiebant, in voce tubæ & exultationis, glorioſus Dominus aſcendit. In mōtem enim Oliueti noctibus exiens, vt teſtatur Lucas, orationibus pernoctabat. [Luc.22.] inde diſcipulos duos pullum & aſinam apportaturos Hieruſalem miſit, quibus tanta incedens pompa, ad mortem iam appetendam pro nobis, ſponte iuit, & eiuſdem triumphos ſtupendo apparatu præuenit. Vnde & ex eo loco, quo noſtram ſalutem tam aſſidue proſpexerat, & ad eam operandam impenſius iter arripuit, ad poſſeſſionem regni quod nobis lucratus fuerat, proficiſci conuenit. Quocirca nunc veluti arſuram vrbem incendio, & furia Chaldęorum, è loco edito viſurus, montem conſcendit: in quo etiam perditionem eius diaboli machinamentis, eum non recipientis, ploraturus erat. & cùm appropinquaret ciuitati, fleuit ſuper eam dicens; ait Lucas: Et ſi cognouiſſes [Luc.19.] tu, quæ ad pacem ſunt tibi, in hac hora tua, modò abſcondita ſunt ab oculis tuis. tamen vt hîc præfiguratum fuerat, tempore prædicationis ſuæ, ſenſim à templo & populo illo egreſſus fuit. Etenim cùm diebus omnibus (vt teſtatur Lucas) eſſet docens in templo (quod præſentia eius in ſancta ſanctorum præſignauerat) ſæpe lapides & furentes eorum manus declinans, è templo diſparuit. & in porticu templi deambulans, [Ioan.19.] (vt inquit Ioannes) docuit, ſacerdotum, ſcribarum, & Phariſęorum corda dura obiurgans: infirmos curans, vt paralyticum illum triginta octo annorum: & [Ioan.5.] cū dies feſtus Paſchæ appropinquaret, quo agnus ille typicus comedēdus erat, à Hieroſolymis diſceſſit; & enauigato mari ſe in Galilæam contulit, iuxtaque fines ciuitatis Tyberiadis, cum diſcipulis montem conſcendit: vbi in teſtimonium ſacroſancti ſacramenti Euchariſtiæ, quod inſtituturus erat (vt ait Chryſoſtomus) tot millia ho- [Ioan.6] minum quinque hordeaceis panibus ſaturauit, ſe nimirum ſubſtantialem panem hominibus exhibiturum, aperriſſimè demonſtrans: caſuram illam legem, etiam deceſſione hac apertè inſinuando. Et tandem vltima illa cœna legalis celebrata cum diſcipulis, & hymno dicto, (vt tefert Matthæus) exierunt in montem Oliueti, [Matth.26.] vbi mortis dolores, & aſſultus deglutiturus erat Dominus. & quod hic dicitur: Aſcēdit gloria Domini de medio ciuitatis; dixit Chriſtus, ſed vt cognoſcat mundus, [Ioan.14.] quod diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc. Edoctus iam propheta à Domino, quid fratribus captiuis, in eorum ſolamen prædicaturus erat: & quid reſponſurus ſenibus, qui eum de ſtatu tranſmigrationis conſuluerant ſupra, ab ſpiritus eleuatione, in ſeipſum redit. Nam cùm corpore eſſet præſens, ſubleuatione ſpiritus ab eo abductus, enarrata videt. Vnde ac ſi corpote abfuiſſet, in Chaldęam reuerti dicitur. Atque ceſſante viſione, pœnitētibus Deum affuturum, eosque ad patriam reducturum pollicetur, ſecreta incarnationis Domini, prædicationis, reſurrectionis, & eius admirabilis aſcenſionis, obumbrans.

CAPVT XII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis in medio domus exaſperantis habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident; & aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exaſperans eſt. Tu ergo fili hominis, fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis. tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant, quia domus exaſperans eſt: & efferes foras vaſa tua, quaſi vaſa

transmigrantis per diem in conspectu eorum. Tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans ante oculos eorum. perfode tibi parietem, & egredieris per eum in conspectu eorum. in humeris portaberis, in caligine efferreris: faciem tuam velabis, & non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israël. Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus; Vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem. & vespere perfodi parietem manu, & in caligine egressus fui, & in humeris portatus in conspectu eorum.

SOLATIVM est miseris socios habere pœnarum: Maximo quidem mœrore contrahebant captiui, quòd se in seruitute positos, confratres verò suos Hierosolymis propriis laribus, & domibus agentes viderent, & si ipsi obedientes, illi Domino repugnantes sic agerent. Quamobrem, vt factis solaretur Dominus, quos Hieremiæ, & Ezechielis verba non firmauerant, gestis portentosis, futuráque apertè indicantibus, Regem Sedechiam, totumque populum Hierusalem vastandos fore, & similiter in captiuitatem venturos, hoc loco oculis subiicit. vnde domum exasperantem, siue amaricantem, quòd non planè audiret Domino & fideret, imò amarum & insuauem ipsum redderet, beneficiis abutendo, & iurgio & murmure ipsum prouocando, appellat. In persona ergo Prophetæ, fugam Sedechiæ repræsentat illis Dominus. in extremo enim positus supellectilem omnem suam, fugam præparans, è domo exportaturus erat, relictis tantum rebus, quæ ad vitæ solatium (vt verbis vtar Hieronymi) fugientes portare consueuerunt. Quibus assumptis nocte perfosso muro horti sui, ad desertum Iordanis confugit, vbi à Babyloniis comprehensus fuit, & effossis oculis in Babylonem ductus. Quocirca vasa, & instrumenta vitæ ad locum alterum in conspectu suorum fratrum, sonitu & apparatu è sua domo vere transmigrantis, exportare iubetur Propheta. Ipse autem, quòd sic proficiscitur: vt vespere & deficiente propè luce, videntibus illis migret: & quòd ad hoc item parietem effodiat, domus nempe, aut muri alicuius, vt clandestinam fugam sic referat: humerisque etiam imponat victui necessaria ad iter suum peragendũ: & faciem suam tandem velet, tanquam amplius terram non visurus. quibus sic compositis, nocte & caligine effugiat, è ciuitateq; abeat: Hæc in Sedechia Rege historice gesta fuerunt, quæ in sua persona in captiuorum solamen portendit, & significauit. Verùm cùm specialiter propheta hic personam Christi redemptoris nostri gesserit, eius vitæ dispensationem mirificè Spiritus sanctus describit. Fuit enim peregrinus in terra, sicut prodi-

Hier.14. tum fuerat: Quare factus es sicut viator declinans ad manendum? & diuino suo ore Dominus Scribæ, eius societatem, auaritiæ & ambitionis gratia, requirenti respõ-

Matth.8. Luc.9. dit: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Neque aliud, quàm peregrinum futurum Dominum hîc commigratione suorum vasorum Propheta signat: nosque Christianos imitatores Christi Iesu tanquam aduenas & peregrinos nos gerere, & habere docet. sic enim

2. Cor.5. 1. Petri 2. ait beatus Paulus: Quandiu sumus in hoc tabernaculo, peregrinamur à Domino. Et item Apostolus Petrus: Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Christianum autem virum se, suamq; vitam tanquam peregrinum componere, suoque exemplo conuiuentes & socios ad cælestem patriam inquirendam prouocare, magnum existit vitæ Christianæ momentum. Iubetur deinde fodere parietem, humeris gestare victualia itineris, faciemque suam velare, ne aspiciat terram. In primo vitam Christiani, à mundo, carne, diabolo absconditam esse debere, docet: vnde absconditos Dei Christianos appellauit Asaphus, vt olim gentem Hebræam: tutissima enim custodia, piorum salutem Deus misericordiæ parens, tegit ac munit; & si hoc tutelæ genus tam remotum sit ab oculis humanæ rationis, vt aliquando pij maximè à Deo negligi & derelinqui videantur: cùm Deus illos maxima cum beneuolentia tueatur: vt, qui impensius & ex animo veram pietatem colunt, experti sunt. Vbi enim vulgaris

Psalm. 82. editio habet: Super populum tuum malignauerunt consilium, cogitauerunt aduersus sanctos suos: veritas Hebræa, aduersus absconditos tuos legit: etsi alij arcana tua vertant, tamen idem sonat, quod aduersus eos, qui occultè protectioni tuæ concre-

diti

diti sunt,vt exponit Campensis in suo Enchiridio. Vnde quòd eos Deus protegat,&
sub eius alis delitescant: vel quòd videantur deseri, cum tamen ab ipso vel maximè
protegantur,absconditos appellari,est manifestum. Ad quem locum alludens bea-
tus Paulus,Consurgentibus cum Christo,dixit: Mortui enim estis & vita vestra ab- Coloss. 3.
scondita est cum Christo Iesu in Deo.Cùm Christus autem apparuerit vita vestra,
tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.Etenim parietem perfodere clanculò, fu-
turam fugam Regis Hierusalem significabat.In secundo verò,auaritiæ frænum inii-
cit:vt more iter agentium,quæ commodè viatori conueniunt,amplectamur,cætera
abiicientes secundùm illud Pauli: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his con- 1.Tim. 6.
tenti simus.In tertio autem, ambitionem cohibet:ne defixè caduca terræ aspicien-
tes, ipsis inescemur,mundi gloriam quærentes: sed velut aliud agendo,elegantiori-
bus vtamur,Domini facto admoniti, qui cùm sciret eum Regẽ populum leuaturũ,
fugit.Tandem sic vita nostra vesperè,deficiente vitæ huius luce,per noctem & mor- Ioan 6.
tis caliginem,ad Dominum commeat.

Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, nunquid dixerunt ad te domus Israël domus exasperãs, Quid tu facis? Dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: Super ducem onus istud,qui est in Hierusalem, & super omnem domum Israël,quæ est in medio eorum, dic, Ego portẽtum vestrum. quemodo feci,sic fiet illis: in transmigrationem, & in captiuitatem ibunt. & dux qui est in medio eorum,in humeris portabitur,in caligine egredietur. Parietem perfodient,vt educant eum: facies eius operietur, vt non videat oculis terram. & extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur. & omnes,qui circa eum sunt,præsidium eius, & agmina eius dispergam in omnem ventum, & gladium euaginabo post eos; & scient, quia ego Dominus: quando dispersero illos in gentibus, & disseminauero eos in terris. & relinquam ex eis viros paucos à gladio,fame, & pestilentia,vt enarrent omnia scelera eorum in gentibus, ad quas ingredientur; & scient, quia ego Dominus.

RARÒ aut nunquam facta,aut verba, quæ mens humana non ruminat, & in
quibus considerationis mora non retardatur, in corde sedent, eoque radicantur.
Quod Dominus docens rogat Prophetam,si aduerterunt domus Israël prodigium,
ad reique nouitatem oculos conuerterunt? & bene manè interrogat: quoniam
conuersioni hominis in seipsum per prudentiam, & rationem, noctis tenebris
excussis,& nouæ lucis splendore excitatam,aptissimum tempus est. Quòd si ad fa-
ctum suum oculos non applicuerunt, ipse saltem id explicando defigat, vt nec la-
pidem vllum non moueat, quo populum suo torpore sopitum, non moneret. &
apertissime Propheta figurauit Dominum, qui per Lucam, parabola seminan- Lucæ 8.
tis posita, statim aures ad audiendam eius expositionem postulat. Ait ergo,
Ego portentum vestrum sum, id est, in his quæ feci, futura prædico: Nam
quod in me vidistis, futurum est in principe Hierusalem & suis & enarrat
quæ Sedechiæ & suis in vastatione Hierusalem contigerunt. Verùm attende
Christiane lector, cùm dicat Paulus; Quæcunque scripta sunt, ad nostram sa- Rom. 15.
lutem scripta sunt; mysterium hîc proculdubio nobis significari. Atque cùm ca-
ptiuitas hæc in Babylone sub Rege Assyrio, inferni carcerem repræsentet: procul-
dubio habitus Sedechię;(qui hîc vsqueadeò minutim describitur) vita eius,& om-
nium, qui ad infernas illas speluncas descendunt,notatur.Primùm ergo in humeris
suorum, aut iumentorum fugiens vehitur. Quoniam vita eius, qui Domino per
Hieremiam obedire noluit, ductu sensuum acta fuit, absque Domini, & rationis
pręcepto. & similiter viuunt omnes,qui pœnitentiæ immemores, in ea tandem lo-
ca præcipitantur, secundùm illud Psalmi; Nolite fieri sicut equus & mulus Psalm. 31.
quibus

quibus non est intellectus; in camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. nam multa flagella peccatoris, &c. in caligine egredietur: quia Esa. 59. Domino in hac vita repugnantes, in tenebris ambulant, & cęci sunt, in meridie palpantes ad parietem, vt inquit propheta. Quod etiam opere ipso experti sunt Sodomitæ, viros illos apud Loth sollicitantes; qui in testimonium obcœcationis mentis Genes. 19. libidine furentes, ipsa cœcitate corporali percussi sunt à Domino. Ita enim se res habet, quòd homines, dum suę rationi magis fidunt, inconsulto Domino, in clarioribus 4. Reg. 6. rebus magis hallucinantur. Cui rei testimonio est; Assyrios illos, quos in Samariam duxerat Eliseus, visum ibi recepisse, cùm antea iter agendo, cæci corporaliter non fuissent, vt libro De mirabilibus scripturę bene notat Augustinus. Perfossio Rom. 5. parietis, vitam flagitiosam significat, quę potestatem timet, vt dicit Paulus; &, velut auis noctiuaga, meticulosus totus conspectum omnium fugit, nec comparet in Ioan. 3. luce, teste Domino, ne arguantur opera eius. Cuius & aliam rationem diuus Basilius reddit, de noctua differens, quòd magnam lucem ferre nequeat, sic enim, ait: Noctuę Basil. in Exam. Homil. 5. oculis similes sunt vanæ sapientię vacantes. Nam illius visus nocte quidem validus est, sole autem splendente obscuratur: & horum mens acutissima quidem est ad vanitatis speculationem, verùm ad veræ lucis intelligentiam offuscata est. vnde in prauos excandescens propheta dicebat: Irascimini & nolite peccare, quę dicitis in cordibus vestris compungimini: Sapiens enim (dicebat ethnicus ille) non quæ Cic. lib. Of. occulta, sed quę honesta sunt, quęrit. Faciem autem operire iubetur, ne videat terram, quia in Rebla à Nabuchodonosore exoculatos fuit, & in Babylonem captiuus ductus, vbi mortuus est, terram eam non videns. Etenim Christianus, qui fide & ratione abusus, & sua quæque sequens placita, vitam suam transegit, in fine hisce oculis, ne pœnitentiam agat, à diabolo orbabitur: & nesciens quò abeat, in infernum detrudetur, vbi absque fine, & in sempiternum moritur. Dum 1. Reg. 11. enim in hac vita agitur, in hoc diabolus totus est, vt oculum dextrum nempe fidei eruat: hoc quippe significans Rex ille Moab incolis Iabes Galaad oculos dextros eructurum in pactum deducebat. Quoniam quòd ratione sua fisi in hac vita homines deducantur, in suæ rei augmentum illis accrescit: ideo sinistrum hunc oculum sinit & fouet. Verùm perperam acta via, suo illo teterrimo carcere, fidei & rationis oculos simul effodit: vt illo carens Deum ipsum, suaq; immensa bona odiu prosequatur; isto verò suum esse, vitam, rationem, & quicquid ea duce ęgit, horreat & detestetur: vt quæ ad optima quæque suapte natura deprecabatur, vermis viscera corrodés, continuus iam & perpetuus accusator existat. hæc autem mala, insana vita commeruit: sic enim Propheta enunciauerat: Virum iniustum mala capient in interitu. At Psalm. 139. quomodo id fiet? Extendam, inquit, rete meum super eum, & in sagena mea capie-Matth. 4. tur. O ineffabilis Dei prouidentia, qui vt piscatorum pater, ad hominum saluti prospiciendum Apostolis tuis dixeras: Faciam vos fieri piscatores hominum: núc copias & exercitus Barbarorum rete tuum dicis? Ipsúmque ad tuorum interitum expádis? sed semper Dominus nostram salutem operatur. Nam cùm miserationum eius esca, in via mandatorum consentienter ducimur, aliis & aliis beneficiis semper cumulamur. At cùm rebelles & repugnantes nos exhibemus, iustitiam eius prouocamus, & rete suum extendens, dum hos in interitu comprehendit, illos timore per pœnitentiam ad vitam parat; vt in præsentia videmus. Nam quos ex familia Sedechię regis, è peste, gladio, & fame seruauerat, in gentes dispergit, vt facto, aut verbo sua scelera narrẽt, ob quę in tãta inciderint mala, & sic gẽtes ad Dei cognitioné pręparẽtur.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis panem tuum in conturbatione comede, sed & aquam tuam in festinatione & mœrore bibe. Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos qui habitant in Hierusalem in terra Israël: panem suum in solicitudine comedent, aquam suam in desolatione bibent, vt desoletur terra à multitudine sua propter iniquitates omnium, qui habitant in ea, & ciuitates quæ nunc habitantur desolatæ erunt, terraque deserta: Et scietis quia ego Dominus.

QVO-

QVONIAM sicut in republica bene composita, à principe tanquam à capite mores,& virtutum insignia in populum,ita corrupti mores,& vitia deriuárur. Postquam punitionem principis Dominus descripserat, ad populi regis sui imitatoris punitiones descendit. & quæ passurus erat in obsidione Chaldæorum fame & siti pressus,in persona prophetæ ostendit. Atqui ne casu in angustias eas incidere arbitrarentur,multo antè tempore eas prædicit, & scelera simul, quæ mala tanta vocarunt. Inter hæc tamen inspice,Spiritum sanctum,Christi mysteria,& nostræ vitæ instructionem,obumbrantem. Iubetur enim Propheta panem in conturbatione comedere,in festinatione item & mœrore aquam bibere; Christi Iesu prandia amaritudine absinthij plena futura significans,vt res se habet. Equidem nunquam legimus absque murmure aut exprobratione Christum cibum sumpsisse. Nam à Phariseo inuitatus, quòd Mariæ Magdalenæ indulgentiam gratanter recepisset, iurgio Luc.7. fuit incessus: Si prophera, inquit,esset,sciret vtique qualis esset hęc mulier,quia peccatrix est. Et item à Zachæo hospicio susceptus,murmurabant Pharisei,quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Luc.19. Conuersionem Matthæi pręterea in domo eius celebranté manducando,insectantur Pharisæi dicétes discipulis: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Luc.5. Marc.2. & tandem in domo Simonis leprosi cibum sumens, effusionem vnguenti exprobrauit discipulis, dicens: Potuit enim vnguentum istud venundari pluris,& dari pauperibus. Math.26. Simul etiam temperantiam & sobrietatem in nobis, qui pro fragilitate nostra, cum ipsius adiutorio, vitam formare ad exemplar vitæ Christi cõtendere debemus,vt sit ipse primogenitus in multis fratribus,iuxta doctrinam Pauli, docuit. Roman.8. Etenim si Christus caput nostrum cum amaritudine semper panem suum manducauit, nostras causas agendo,qui nos illius mébra,gulam & ventrem obsonando, semper nostris appetitionibus acquiescentes, indulgentiam omné quærimus? Si viatores sumus,cælestem patriam,dum hîc peregrinamur,à Domino contendentes,quî in diuersorio sedemus? 2.Cor.5. Oportet igitur Christianum cum timore & tremore, ne in excessu Deú offendat, & flagellari quoquo modo specialiter ab eo mereatur,panem sumere,& tanquam aliud agendo, imò ad id properando,festinanter,& cum mœrore & a[illegible] passionis Christi aquam mixtam bibere. Cùm enim temerè venter impletur, grauatur animus,& sic oppressus feruorem charitatis adminùs amittit, & regulariter deserente Domino, lethalia perpetrantur. secundum illud Domini: Sedit populus manducare,& surrexit ludés. Exod.32.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Quod est prouerbium istud vobis in terra Israël dicentium: In longum differentur dies, & peribit omnis visio? & ideò dic ad eos: Hæc dicit Dominus, Quiescere faciam prouerbium istud, neque vulgò dicetur vltrà in Israël. & loquere ad eos, quòd appropinquarint dies, et sermo omnis visionis. Non enim erit vltrà omnis visio cassa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Israël, quia ego Dominus loquar: & quodcunque loquutus fuero verbum, fiet. Non prolongabitur amplius, sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, & faciam illud, dicit Dominus Deus.

QVAM antiqua est hominis conditio,tam annosum est in hominum vulgo,supplicia & flagella Domini ob nostra peccata in tempus futurum ita proijcere,vt nunquam accessura arbitrentur. Vnde in tritum prouerbium vertunt, In longum differentur dies, & peribit omnis visio. Quasi dixerint: Nunquàm nostro æuo hæc mala contingent. Cui simile antea impij dixerant; Percussimus fœdus cum morte, & cũ Esaie 28. inferno siue sepulchro pactum fecimus; flagellum siue vastatio cùm transeat, non perueniet ad nos: Atque sic dilata punitione,ingenium Domini,inquiũt, nouimus, nunquàm implebitur prophetia, quia comminationes hæ tantùm Domini sunt. Quamobrem quæ de fame & siti in obsidione Hierusalem dixerat Propheta, flocci pendebant,nec quoquam pacto illem eos contingere posse æstimantes,in otio & luxu perseuerabant. Nec minus nos Christiani nostrum otium,cupiditatem,& libidinem exosculantes,quæ de morte,iudicio,inferno quotidiè in concionibus, in sacris con-

fessionibus enunciantur & intimantur, tanquam tempus illud nunquam aduenturum, omnia vili pédimus: & nostri propositi & malitiæ tenaces, morbos, infamias, acerbas mortes, quibus peccati tibias Dominus concidere solet, vt futiles, posthabemus. At his commotus Dominus inquit: punitione ipsa & admonitione flagelli, quiescere faciam prouerbium istud, & labia illorú complicabo, & vt sibi prouideát, nuncia eis: Ita in manu, terribiles illos dies esse, quòd ipsimet eos videbunt, & personis propriis commeritas pœnas dabunt, iuxta ea quæ prædixisti eis. & amplius, ne indulgentia mea deinceps abutantur, inuulga illis ius hoc: quòd visio nunquam erit cassa, nec diuinatio ambigua, in medio filiorum Israël. Id est, verbum, quod ego eis reuelauero, opere complebo; nec prædictio mea, quam in ore meorum prophetarú ponam, vnquam erit ambigua ad decipiendum audientes, vt falsorum prophetarú sunt verba: sed omnino plana, vt à facie arcus fugiant, & sibi caueant, contra quos tenditur. vel non erit lubrica, & ad audientium beneplacitum, quod proprium est impostorum, qui prophetarum officium vsurpant, populi auribus prurientes. Vnde

2. Tim. 4. hunc locum interpretatur diuus Paulus; & idem nobis Christianis Domini iussis repugnantibus, per hanc scripturam sacram Spiritus sanctus intimat: vt quæ per concionatores nempe, confessores, prælatos, & ecclesiæ doctores, ad salutem nostram, cum comminatione vltricis manus Domini, proponuntur, exequamur, & opere cópleamus. Nam & in peccato pertinacibus, infinitis propè modis, si aduertimus nostrarum rerum calamitates, corporis infirmam valetudinem, ignominiam nonnunquam, & immatutam mortem, in scelerum punitionem admouet. Vnde & propter indignam sacrosancti Eucharistiæ sacramenti communionem, dicit beatus Paulus:

1. Cor. 11. infirmos esse multos & dormire multos, id est, morte fuisse præoccupatos.

Et factus est sermo Domini ad me, dicés: Fili hominis, ecce domus Israël dicentium; Visio quam hic videt, in dies multos, & in tempora lóga iste prophetat. Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur vltrà sermo meus. Verùm quod loquutus fuero, complebitur, dicit Dominus meus.

QVOD ore omnium de [illegible] prophetarum circumferebatur, in genere dixit: Nunc quod de speciali Ezechielis [illegible] prophetia inuulgabatur, prodit. Nullo enim timore concuti [illegible] nec propriæ vitæ cura: nec suarum rerum solicitudine ad frugaliorem vitam inchoandam accingebantur, dicentes: Hic in multos dies videt, & in tempora longa iste prophetat. Quibus [illegible] dicit Dominus: terminum præfixum à Propheta, punitionem non progressuram, & malo sui capitis sentient, quæ verbis vt cauerent, excipere renuerunt. & addit: quòd verbum quod loquutus fuerit, proculdubio adimplebit, ne verba tantum esse putent: quia Dominus, qui omnia potest, qui nec falli nec fallere potest, est qui hęc dicit. Ex quibus duo colliguntur: Vnum quod cùm ad minas & timores Domini nos insensibiles reddimus, maximè Deum irritamus, quòd verbum ipsius, quasi nihili faciamus. Alterum supplicium & flagellum futurum ineuitabile rebus immutatis, super quibus fertur, & in malignitate perseuerantibus. Est tamen in nostra potestate [illegible], res in melius mutare, & sic per solam nostram mutationem, sententiam Domini mutare, secundum quod

1. Petr. 1. dixit beatus Petrus: Satagite frátres, vt bonis operibus certam vestram vocationem faciatis. & item Propheta: Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua

Ionæ 3. & Hie. 26. mala; & misertus est Deus super malitia, quam loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

CAPVT XIII.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Israël, qui prophetant, & dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desertis prophetæ tui Israël.

O IN quantas miserias incidunt concionatores, qui dum oratores populi fiunt, se ipsos

se ipsos exosculantes, diuina præcepta & Dei eloquia, vt se prædicent, enunciare prætermittunt. Cùm enim in loco lubrico propriæ gloriæ se constituerint, non eos diabolus prius relinquit, quàm in mille nenias, sexcenta deceptiones oculos demiserit, in pestilentes hæreses deuinctos præcipitet, sui miraculum per eos faciendo. Vnde in populo illo plures fuerunt pseudoprophetæ, qui veros Domini Prophetas imitari conabantur, & tales se illis exhibere. Qui, cùm Hieremias & Ezechiel captiuitatem Hierusalem, & vrbis desolationem per Chaldæos prædicarent, è contra ipsi, vt gratiam populi venarentur, pacem & securitatem pollicebantur: idque ex Domini reuelatione, quam haberent, gloriabantur. Cùm ergo Dominus superius principis & Solymorum futuram vastationem prædixerit, insaniam falsorum Prophetarum statim hîc è vestigio ponit. Ait ergo: Fili hominis, falsis his Prophetis pacationis, & pacis fautoribus annuncia, quales sint, & quæ mala eos manent, & qui eorum finis & exitus. Atque primùm explicando, has notas illis inurit, Quòd insipientes scilicet sint, cùm ex proprio corde loquantur: quòd non sint videntes, sed impostores: qui vulpinos mores induerint. Cùm enim diuinitus scriptura reuelata propriè & verè sapientia sit, & fons aquæ viuæ omnem restinguentis sitim; qui, eo prætermisso, proprias cisternas effodiunt ad populum potandum, sicque ad sua placita sensim adducendum, Ierem. 2. meritò insipientes dicuntur. Item vani sunt, cùm ex suo corde, & quæ imaginatione propria ipsi somniarunt, præloquantur. Scit enim Dominus (ait Propheta Psalm. 93. Dauid) quoniam cogitationes hominum vanæ sunt. Et iterum: Tota die expandi manus meas ad populum incredulum ambulantem post cogitationes suas. Esaiæ 65. Nec tantundem videntes sunt: quoniam nihil à Domino visione excipiunt. Etenim quòd Prophetæ à Domino visiones recipientes, Videntes appellantur, maximè falsi Prophetæ inuidentes, vsurpare sibi conati sunt. Quocirca eorum fucum Dominus detegens, nihil eos videre affirmat, sed falsò Videntes appellari. Vnde in titulis Prophetarum dicitur semper, Visio Esaiæ, Visio Abdiæ, proprium nomé exprimendo, vt à falsis Prophetis, qui visiones dicere gloriabantur, distinguerentur, vt hoc loco notat Hieronymus. Vbi aduerte, quòd non leue, imò irrefragabile veritatis argumentum est, eam falsos homines totis viribus conatos, vt plenè in omnibus hæreticis videre licet; qui cùm nihil minus doceant, non aliud, quàm Apostolos & Euangelium & ecclesiam effutire audias. Vulpium ingenium prætereà habent, qui more vulpiú dum vno ingrediuntur foueam ostio, plures alios occultos exitus habent, per quos egredientes suos obseruatores eludant: vt difficilè capiantur. perindè insani, & deprauati hi homines, plures ingressus & egressus in mendacij prærupta, sibi effoderunt, per quos veritatis manus euadent: & furta domestica insuper in suos vsus (vt inquit beatus Hieronymus) faciunt, quibus, in maceriis vinearum delitescentes, vineam, id est ecclesiam Dei vastant. Vnde Sapiens dixit: Capite vobis vulpes paruulas, quę demoliuntur Cantic. 2. vineas: nam vinea nostra floruit. & Dominus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Math. 8. & Propheta hos notando, dixit: Psalm. 62. Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini.

INTERIECTA est hæc sententia, in sermone de hæreticis, & prauis concionatoribus: quæ ad eosdem referri potest, (vt facit Hieronymus) causam sui lapsus obijciens: negligentiam nempè officij, in quo positi sunt. Socordia enim hæc propriæ functionis, fratrum charitatem negligit: quam occasionem, furia dæmonum nacta, ita lignis suæ malignitatis accendit, vt sui ambitione omnino ardeant & insolescant: atque Dei & proximorum salutis obliti, propriam excellentiam tantum curátes, per sexcentos errores in diaboli laqueos cadant. Verùm magis placet, vt vniuersalis sit sermo, & ad magistratus, prælatos, atque ecclesiæ custodes conuersus, hæc dicat Dominus, proprij officij omnes admonens. Eò enim sunt in dignitate constituti, vt prælia Domini prælientur. Quòd tunc potissimú fert occasio, quando ira Dñi in populú, 1. Reg. 15. ob peccata & scelera, puniendo surgit. Ea enim dies Domini est, & prælia Domini tunc aguntur. Tunc qui populo in religione præsunt, viríque potétes in pietate sunt,

& ea fun-

& ea functione constituti, stare debent firmi in statione sua, & malo grassanti obsistere. Non enim quiuis iram Domini sic excandescentem, oratione temperare valet, sed magnus quidam vir in Domini familia, maximè ipsi charus, vt dixit beatus Ambros. li. de pœnit. Ambrosius super illud Ioannis: Est peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt roget quis. Ex aduerso igitur similes viri ascendere debent, & murum opponere: quibus vim orationis exprimit Propheta, qua ira Dei frangitur, & furor eius mitigatur. Etenim oratio ascensio mentis in Deum est: diuinæ igitur beneuolétiæ negotiator, mente ascendere debet in Deum, & se ei ex aduerso opponere: Quoniá cùm iustitiam suam Dominus furore exequatur, ad misericordiam infinitam eius confugere oportet, eamque appellare, quæ iustitiæ rigorem lenire & flectere semper solita fuit: vt in opere nostræ redemptionis apertissimè est comprobatum. Murum autem inter Deum & populum opponimus, quando orationem nostram fiducia omni, & fortitudine plenam ipsi offerimus, imò cùm ipso expostulamus. In muro enim forti, milites & suæ salutis fiduciam, & obsistendi hostibus spem suam collocare consueuerunt: quare quòd orationem integram & efficacem reddant, muri similitudine, vis orationis expressa est. Quam etiam multis exemplis Scriptura commendauit, in pri- Num. 16. mis: Cùm voracem ignem illum populi, oratione, ab Aaron interposita, mitigauit. Hier. 7. Deinde cùm flagellaturus populum suum Hieremiæ præcepit Dominus, ne assumeret orationem, nec laudem, nec rogaret pro eo. Et denique orationem vim obsi- Exod. 32. stendi Deo habere explicuit, cùm Moysi dixit: Dimitte me, & delebo populú istum. Verùm attende humilitate magna eam gaudere, amaro item animo, & incenso cor- 1. Reg. 1. de, & denique Dei gloriam in petitione obtendere, oportere. Sic enim Anna illa celebris omni exprobratione ab æmula sua afflicta, orabat amaro animo satis, quem largissimæ lachrymæ testabantur, & ardenti animo, quem indicat orádi feruor. Quoniam corde suo, inquit textus, loquebatur, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. & Iesus Christus Dominus noster, tandem diuina illa sua oratione morti proximus in horto habita, quando onere nostrorum peccatorum depressus defixo in terra vultu patrem orauit, tantoque desiderio placandi æternum patrem, simul & mœrore nostrorum criminum, impendentiumque cruciatuum, quòd veluti duobus prælis pressus, sanguinem e sacratissimo corpore suo sudauit, & Luc 22. aquam mixtam sanguine largiter lachrymatus est. In quo apertè nos docuit, quàm grata sit æterno patri fidelis oratio, & quàm necessarium medium, ad gratiam obtinendam instituit, quòd ad ea impetranda, quæ aliàs largiturus est, ea exorari voluit. Pater enim æternus concessurus erat filio quicquid petiit, non tamen nisi exoratus voluit impartiri.

Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos, & perseuerauerunt confirmare sermonem.

EXPONIT quod dixerat: esse quidem insipientes liquidò constat, vana siquidem vident, id est res futiles & vanas, quæ ipsis cordi sunt, & quas in imaginatione sua leuant, reuelatione, & tanquam in speculo diuino se vidisse nunciant. Nihil item vident, quoniam mendacium diuinant: id est, aperto ore legatos Dei esse mẽtiuntur: Dominus siquidem eos non miserit, quod initio suæ prædicationis ipsi testantur. Vulpinos mores denique hæretici induunt, cùm quem semel cóceperunt errorem, non solum confirmare, sed defendere, & in vniuersis, atque omni modo malignè proseminare satagunt. Etenim omnes capitosi sunt propositi sui tenaces, & veluti flatu diaboli exagitati, erroribus ab eo immissis immobiliter adhærent: & suam doctrinam ratam futuram semper sperant, eamque omni conatu astruere & corroborare nituntur.

Nunquid non visionem cassam vidistis? & diuinationem mendacem loquuti estis? & dicitis: Ait Dominus, cùm ego non sim loquutus.

PER apostrophen ad hæreticos & falsos prædicatores sermonem Dominus conuertit, eosque mendacij, & cassæ diuinationis proprio eorum testimonio conuincit: Dicitis, ait, me vobis loquutum, cùm nihil tale fecerim. Vbi apertè omnes prædicatores,

dicatores, qui pretermiſſa pœnitentia, & timoris Domini calcaribus (vt propriam exiſtimationem & opinionem nanciſcantur) plebi attident, eidemq; blandiuntur, pacem, tranquillitatem, & proſpera cuncta euulgando, non à Domino miſſos, ſed à ſe, Propheta declarat. Eos ſiquidem non alloquutum Dominum dicit: ſed ſe ſibi, cùm pacem & ex voto proſpera cuncta futura pollicerentur.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia loquuti eſtis vana, et vidiſtis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus: et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana et diuinant mendacium, in concilio populi mei non erunt, et in ſcriptura domus Iſraël conſcribent, nec in terra Iſrael ingredientur, et ſcietis quia ego Dominus Deus. eo quòd deceperint populum meum dicentes: Pax, et non eſt pax: et ipſe ædificabat parietem, ipſi autem liniebãt eum luto abſque paleis: dic ad eos qui liniunt abſque temperatura, quòd caſurus ſit. Erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, et ventum procellæ diſsipantem, ſiquidem ecce cecidit paries. Nunquid non dicetur vobis, Vbi eſt litura quam liniſtis?

CERTE, qui malè agunt, manus Domini vltrices, niſi ſibi per pœnitentiã conſulant, neceſſariò ſentient. quo quidem aduerſus hos vana loquentes, & mẽdacium diuinantes Dominus conſurgit, & ad flagellum manum extendit, vt eos percutiat. Triplici autem via hoc impendere dicit: à populi conſilio ſiue concilio, vt alij volunt, ex eluſione: ab ignominia quæ erit, catalogo Iſraël non adſcribi; & à perpetuitate exilij quod ad terram Iſraël captiuitate completa, reduces namque erant futuri: quibus, gradus quos praui deſcendunt, ſe à Domino elongantes, prænunciat Dominus, vt tartarea loca inhabitent. Nam indiſciplinabiles primùm homines, & qui hæretici exiſtunt, nec eccleſiæ obedientes, nec vlli bono conſilio adhærentes, tam grauiter delinquunt, vt ſuper eorum iuſta punitione, digni ſint vt conciliũ congregetur. Ad quos Dominus alludendo, dixit: Qui dixerit fratri ſuo Racha, dignus eſt concilio. Deinde euenit non ſolùm his, ſed omnibus, qui lethaliter peccant, vt nec libro vitæ in mente Domini, cum electis ex domo Iſraël ſcribantur. Quod Dominus explicare dignatus eſt, cùm dixit: Qui iraſcitur fratri ſuo, dignus erit iudicio: & tandem, qui in malitia obdurati, impœnitentes perſeuerabunt, cœleſtes illas ſedes Iſraël, vbi deſiderabilis illa terra viuentium eſt, nunquam conſcendent. Quod Dominus interpretatus eſt, cùm inquit. Qui dixerit fratri ſuo fatuè, id eſt, vt fatuam, vitam fratrum, & exhortatricem doctrinam, ne mores ſuos corrigat, contemptui habuerit, dignus eſt gehenna ignis. Mala autem hæc omnia vt rudibus, & his qui more puerorum ficis, & nucibus allectabantur, per catentiam dignitatum eorum, qui in concilio & populi diſciplina apud eos conuenire ſolebant, prænuntiat. Et rurſus, per priuationem munerum, & officiorum, quibus deſignabantur, & intra familiam cenſebantur, qui in Republica & libro domus Iſraël, vt ciues & Iudæi ſcribebantur. Et tandem per exilium perpetuum à terra Iſraël, adeò illis deſiderata. Vnde finem tantæ punitionis, & emeritam cauſam perſtringit, dicendo: Et ſic ſcietis, quia ego Dominus Deus, & quòd vos populi mei deceptores ſteteritis, prædicantes: Pax, & non erat pax. Matth. 5.

Et ipſe ædificabat parietem: illi autem liniebant eum luto abſque paleis: dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrãdes deſuper irruentes, et ventum procellæ diſſipantem. ſiquidem ecce cecidit paries, nunquid non dicetur vobis, Vbi eſt litura, quam liniſtis?

GRADVS primus, quem hæretici ad decipiendas animas faciunt, ſtudiis & vetis populi aſſẽtari, procul dubio eſt. Cuius autem ingenium hoc eſt, nunquam h s

terræ sedes si possibile esset mutare. Vnde ipse semper honorum, diuitiarum procuratione, vitę stabilitatem vt murum & firmum parietem ędificat, ad quod religioné, cultum Dei, & vota omnia dirigit: hæretici enim, & stulti omnes concionatores, qui scripturæ sanctæ explicatione, cum doctrina & exemplis Sanctorum eum ab immodicis terrenorum studiis, auocare debuissent (Dei Euangelium & præcepta eius, vt fortissimum murum contra omnes hostiles incursus diaboli erigendo, atque minas & terrores omnes tanquam maceriam, in Christianæ religionis custodiam, annunciando) cultum Dei fortificare: præsumentes, luto absque paleis, vti parietem incrustant: quod nullius roboris & fortitudinis existit. Hos autem per Scribas & Pharisæos, Christi Iesu insectatores, primùm significat: quorum verba Iudaica & opera,
Esaiæ 29. structuræ talis parietis rectè comparantur, (inquit Rupertus) quia cùm labiis Deum honorarent, cor autem eorum ab eo longè distabat: & incrustato parieti aptissimè conferantur: ad primum siquidem impetuosum imbrem, ad vehementem grandinem, ad procellosum denique ventum, incrustatura decidit, & totus paries ruit. Ita nimirum quicquid hæretici & falsi Prophetæ, sua stultitia, & insipido sale suæ indiscretionis effutiuerint, aut tanquam animatum cibum subministrarint, admotione flagellorum, (quæ dirè impendere dixit) corruere faciet, vt Israëlitis contigit: in eos siquidem pertinaces Chaldæorum exercitum mittit, tanta crebritate, vt guttulas imbris descendentis imitaretur: & tanta fortitudine & robore, vt lapides prægrandes desuper cadentes sentirentur: & tanta denique vehementia, quanta procellosus ventus in ædificium forte facere solet. Ad hæc, derisionem prætereuntium, timere debent: Nam cùm ceciderit paries, id est, doctrina illa falsa, quam isti prædicabant, & defucata fuerit, errorque planus
Luc. 18. apparuerit, nónne omnes dicent illud, quod per Lucam Dominus dixit: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit cõsummare? Ita sanè: sicut Prophetis illis falsis destructis muris Hierusalem, quos ipsi defendebant: Vbi est litura quam linistis?

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea; & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in consummationem: & destruam parietem quem linistis absque temperamento, & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamẽtum eius, et cadet, et consumetur in medio eius. Et scietis quia ego sum Dominus.

PRÆDICIT illis Dominus ciuitatis ruinam, vt cùm ceciderit, non casui id adscribant: nec prætextum suæ ignorantiæ & vanitatis quærant, sed apertè mendacij, & malignitatis, eueniente Domini sententia, conuincantur. Ait ergo, quòd indignatione commotus, & furore percitus, atque ira (more hominum loquendo) excandescens, Chaldæos tanquàm tempestuosum spiritum, & prægrandes lapides grandinis, & imbrem inundantem mittet, qui è fundamentis muros ciuitatis euertent. Et cognoscent, inquit: quia ego Dominus sum. Quare, in exemplum producta, similis mendacij homines, & popularis auræ captatores, qui apud gentes oratores populi dicebantur, sibi cauere, docere vult Spiritus sanctus, in alieno capite periculum facientes.

Et complebo indignationem meam in pariete & in iis, qui liniunt eum absque temperamento, dicámque vobis: Non est paries, et non sunt qui liniũt eum, Prophetæ Israël qui prophetant ad Hierusalem, & vident ei visionem pacis, & non est pax, ait Dominus Deus.

QVI enim praui sunt, dum incolumes ipsi euadant, lucrúmque & commodum ex sua prædictione & concinne reportent, aliorum miserias non multum curant. Quapropter, inquit Dominus, non ita erit: sed indignationem meam in destructione parietis, & muri ciuitatis complebo, & in litoribus eius absque temperamento simul, quandoquidem & ipsi peribunt: egóque ipsos ridebo, dicens: non est paries, neque sunt, qui linunt eum: id est Prophetæ, qui in Hierusalem

vident

vident viſionem pacis, cùm non ſit pax, dicit Dominus. Tu iam Chriſtiane lector perpende, ſi tanta calamitas eos circundedit, qui ſecuritatem in temporalibus rebus promittebant, quanta eos comprehendet, qui errores & hæreſes in populum proſeminant, vt qui aurem popularem captando, vota illorum prędicant, pœnitẽtia poſthabita, qui non corpori, ſed animabus ex propoſito, aut reſupini ſaltem, perniciem & interitum parant, peccata fouendo, dum ea non deſtruunt, nec pœnitentia euellunt? Ipſi videant. ſanè horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.

Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ his quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas; & cùm caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

INVEHITVR iam hîc Dominus contra fœminas veneficas & necromanticas, quæ conſutis puluillis, & puluinaribus, ad pactum dæmonum, quæ ipſi ad ſuam quietem optauerant, vt corpora mortuorum cuiuſuis ætatis & ſtaturæ ingredientia reſponſa darent. Tali ſiquidem diuinandi modo populum contra verè propheriſſas, quæ in illo populo fuerunt, vt Debora & Olda, decipiebant. Quoniam verò non legitur, diuinatrices has aduerſus propheriſſas, quas Dominus de hac captiuitate edocuiſſet, dixiſſe, vt in Hieruſalem de pſeudoprophetis ſcribitur; magis placet, vt contra eoſdem pſeudoprophetas molliciei fœminarum, & libidinis eos notando, adhuc oratio vrgeat. Contra hos ergo obfirmare faciem iubetur Propheta, id eſt, in indignatione & iudicio ad eos loqui. Dominus enim Ieſus Chriſtus contra falſos doctores & prædicatores faciem ſuam direxit, quando dixit: Cauete à fermento Phariſæorum & ſcribarum, quod eſt hypocriſis. Et iterum: Cauete à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Atqui, quoniam iratam faciem in prauos homines ſemper oſtendit, & Vates regius dixerat; Vultus autem Domini ſuper facientes mala: & Propheta hîc Dominum Ieſum Chriſtum peculiari ratione inter alios referebat: hinc furorem & iram aduerſus diuinatores hos tam grauiter monſtrare præcipitur. Primùm igitur curam & diligentiam eorum notat, vt in hoc mirimum animas ſuas viuificare exiſtimarent, & obſequium præſtare Deo arbitrarentur, cùm ſuis muſcipulis animas populi Dei caperent. Etenim quod veritatis deeſt hæreticorum dogmatibus, vehementia & perſuaſionis animoſitate ſupplere contendunt. Deinde flagitij immanitatem exponit, quòd Dominum nempè violent & contaminent, ac ſui mendacij auctorem, imò & molliciei ſuæ item amatorem faciant. Vt qui ab omni inquinamento intantum abhorruit, quòd ad ſubducendos ab eo homines, vitæ, & ſanguinis ſui vnigeniti prodigus videatur, (ſit verbo venia:) blandorum hominum, quales Epicurus, Ariſtippus, & omnes qui eos moribus ſequuntur, extiterunt, fautorem explicarent. Præterea etiam Deum ipſum, bonorum omnium emporium, pro vili mercede commutant, pro pugillo nempè hordei, id eſt pro futili, & inani ſenſuum voluptate. Etenim vt beſtiæ hordeo, ſic ſenſus voluptate & delectatione, quæ prauarum actionum condimentum eſt, paſcuntur. Quare meritò hordeo comparatur. Et vltrà quia operationes omnes ſceleratæ, duræ & aſperæ exiſtunt: & triticum inſuper honeſtarum actionum regulariter in hominibus, qui ſpeciali Dei omnipotẽtis beneficio non anticipantur, præueniunt. verùm neque abſq; honeſti & religionis prætextu deceptores iſti, errores ſuos defendendos ſuſcipiunt: ſed fragmẽto panis, id eſt ſpecie recti, & Euangelij ac ſcripturæ ſanctæ fructu, à germano & Catholicæ Eccleſiæ, ſenſu detorto, ſuæque libidini & voluptati accommodato. Quod totum efficiunt, inquit Dñs; vt interficiant animas, quæ non moriuntur, & eas viuificent quæ non viuunt.

Iſaie 3. 4.Reg.22.

Matth.16.

Matth.7.

Pſalm.33.

Scopus enim eorum hîc totus est, vt eos qui firmitate fidei & mandatorum Dei stabiliti, nulli sunt peruij vento, à recta fide & via veritatis suis pollicitationibus & imposturis dimoueant: & contrà, eos qui vitiorum peste infecti, mortui & sepulchris corporum consepulti sunt, viuificent: & vt nec gradum vnum ad pœnitentiam faciant, vitam & cuncta alia bona pollicentur.

Propter hoc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes, & dirumpam eos de brachijs vestris, & dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum, & dirumpã ceruicalia vestra, & liberabo populum meum de manu vestra, nec erunt vltra in manibus vestris ad prædandum: et scietis quia ego Dominus.

SEVERITATEM igitur, quam contra hos exercebit Dominus, explicat. Disrumpam, inquit, omnes puluillos vestros: id est, omnes technas, & machinamenta vestra, quibus dæmonis flatu vos diuinos efficitis, perdam: atque animas vagas & instabiles, veluti passerculos huc atque illuc incertè volantes, quas laqueastis, e carceribus corporum aduolare faciam, vt in foueam, quam vos sequentes, vitare cupierũt, inuiti decidant. Per Mimesim enim idem vocabulum vsurpat, & animos, cùm à corporibus exeunt, ac si ab ipsis tanquam à laqueis, quibus aues capiuntur, explicentur, declarat; & disrumpendo ceruicalia, populum suum liberaturum dicit. Equidẽ qui Domini sunt, in hac vita quietem & indulgentiam, cui tanquam puluinari caput
Luc. 9. suum committant, non requirunt: Dominum quippe Christum imitari conantur, qui vbi caput suum reclinaret non habuit. Quapropter vt suos electos liberet, ipsis ceruicalia tollit, & velamina item, vt Septuaginta verterunt: nam reuelata facie eos
2. Cor. 3. gloriam suam imitatione Pauli, gloriam animi speculari facit, vt in eiusdem imaginẽ transformentur à claritate huius virtutis, in claritatẽ alterius. Legis item velamine à Moysis facie sublato, & quacunque alia caligine, quæ mẽtis oculos caligare faciat, vt falsorum horum Prophetarum, obducti errores faciebant. Etenim quorumcunq; impostorum, & ipsorum dæmonum technæ & fabellæ, cassæ erunt, si, squama ab o-
Actuum 9. culis mentis eiecta, luce virtutis eos Dominus illuminauerit. Quod beatus Paulus visibiliter expertus est; cùm conuerso ad Dominum squamæ ab oculis eius ceciderunt. Et Propheta Dauid hoc attendens, idem sæpe repetit dicendo: Illumina ocu-
Psalm. 12. los meos, ne vnquam obdormiam in morte, &c. atque hoc loco Dominus, hac opera, suos ab eorum manibus erepturum pollicetur, neque in eorum prædam vnquam futuros, permissurum. In cuius rei testimonium suæ infinitæ prouidentiæ, & potentiæ indefectibilitatem impignorat, dicẽdo: Et scietis, quia ego Dominus. vel rectius forsan: quòd exitus rei dicta probabit. & sic scient, quia Domini sermo erat.

Pro eo quòd mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui; et confortastis manus impii, vt non reuerteretur à via sua mala et viueret, propterea vana non videbitis, et diuinationes non diuinabitis amplius: et eruam populum meum de manu vestra; et scietis quia ego Dominus.

MIRVM quàm cordi Domino est iustus, & impij etiam è conuerso! Qui enim
Zach. 2. Ezech. 18. illum tangit, pupillam oculi sui tangere dixit Deus: de isto verò sic scriptum est: Nolo mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur & viuat. Vnde impatiẽtem hîc Dominus se ostendit, quoniam opera impiorum confortando, eorum conuersionem impedierunt: & cor iusti insuper deceptores hi contristauerũt, & mœrore affecerũt, quem exhilarare ipse Dominus magnopere cupit. Propterea in eos iam inuehens, ipsorum interitum & perditionem prædicit, vt vitæ exitum, & pœnas post manẽtes, spectantes sibi consulant: & alieno capite omnes eiusdem farinæ periculum facere vehementius hortatur. hos siquidem impostores è medio sustulit, perinde ac promiserat, & visiones eorum vanas esse ostendit, atque diuinationes cessare, atque populum suum eorum manibus liberando, eas cessare fecit. & quando alia non prodest via, sic scietis, subiungit, quia ego sum Dominus.

CAPVT

CAPVT XIIII.

ET venerunt ad me viri seniores Israël, & sederunt corã me. & factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias in cordibus suis & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam. nunquid interrogatus respondebo eis?

MAXIME simplicitatem cordis amat Dominus in oratione: & fictos atque duplices homines horret: vsqueadeò, vt cùm in sua cordis duritia perseuerauerint, pios quosque intercessores non exaudiat. In quo tota huius capitis sententia sistit. Consulturi ergo Dominum per Prophetam seniores populi accesserunt, coramq; eo sederunt, tanquam homines qui consilium indeficiens, & integrum, atqne maturum iudicium excipere cupiebant: & ita compositione ea qua comparuerunt, prudẽtiam & iudicium simplex pollicebantur. Verùm Dominus, qui agnitor est cordium, antequam verbum aliquod Prophetæ facerent, eorum simulationem, & hyprocrisim detegit. Itaque Dominus de illis profert (se Deum verum, qui cordis abscõdita penetret, manifestè ostendens) primùm idolis immundiciarum cor plenum habere: est quippe sensuum proprium sensibilibus propriis obiectis, vt idolis quibusdam deseruire, ea colere, deperire, & tota vi procurare. Quæ cùm in cor ascendere, ipsumq; præoccupare permittuntur, homines, immunditias siue immunditiarum idola, in corde ponere dicuntur. Quo nomine aptè censentur: quòd quicquid à corpore ducibus sensibus proficiscitur, immundum sit: & quoniam immundam animam teddant; & spiritus immundi ite m suggestu pullulent, vt se his idolis, totius animæ regem faciat. Nec minus appositè cogitationes hominis proprias, eas septuaginta appellarunt, alludentes ad illud Psalmi 93. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Et rursus castigationes conuenienter satis nuncupare poteris, quòd prauæ cogitationes vincula sint cupiditatis, vt ait Ambrosius: & ab his, perinde ac lictoribus, homines torqueantur. Iuxta illud Pauli: Propterea tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, &c. Alterum est scãdalum siue tormentum iniquitatis, vt 70. transtulerunt, quod statuerunt ante faciem suam, vt eo obiecto in via virtutis impingant, & semper lethaliter cadant: qua similitudine ad te consulendum, inquit, veniunt. Non enim perniciosius scandalum, neque nocentior scrupus pedibus animæ obiici potest, quàm praua intẽtio, corruptus finis, atque deprauatum cor: eo siquidem existente, quicquid extrinsecus opere fiat, infectũ est, & fucus, venenum cordis impiè tegens. Quapropter aptè scandalum iniquitatis, quòd ex eo fonte omnis iniquitas manet; & tormentum, quòd peccatum animam torqueat & cruciet, legitimè appellatur. Nunquid igitur, ait Dominus, cùm me orauerint, aut quippiam interrogauerint (quod ad genus etiam orationis reducitur) duplices hi & ficti homines, respondebo eis? quasi dicat, minimè gentium.

Hieron. 7.

Psal. 93.

Roman. 1.

Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israël, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalũ iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, vt capiatur domus Israël in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idolis suis.

APERVIT consilium suum Prophetæ; nunc idem inuulgare iubet senioribus istis. verùm in confusionem eorum, cum irrisione quadam geminans compellationem, ait: Homo homo, &c. Quasi diceret, si homo tantùm fuisses naturali luce ductus (loquitur enim populo ac si eum vno homine sermonem haberet.) quòd si accederes, forsitan veniam meruisses: & cùm de domo Israël sis, dicit illis, & proinde nobis, cùm Christianus sis & fidelis, thesauris diuinæ Sapientiæ locupletatus, & luce diuinæ voluntatis illustratus, qui duo homines integri esse debuisses. vnus iuxta naturæ rationalis institutum, & alter iuxta diuinæ religionis regulam efformatus, ab

vtroque deficias, & legem naturæ inuertendo, & supernaturalibus donis abutendo, in duplicitate cordis me oraturus, aut rogaturus accedas? plusquàm ferinum est. Quapropter dic eis: me corda eorum scire & penetrare. Quapropter non sperent, iuxta quod petunt, me responsurum, sed iuxta id, quod eorum immunditiæ, & coaceruatæ iniquitates in corde merentur. Vnde sic ait: Domus Israël arguatur, & in astutia sua capiatur; dum, quæ gerunt in animis suis ostẽdero, & idola cogitationum suarum deprompsero: corque plenum formis, imaginibus, atque picturis suarum inuentionum aperuero.

Propterea dic ad domum Israël, Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini, & recedite ab idolis vestris, & ab vniuersis contaminationibus vestris auertite facies vestras: quia homo homo de domo Israël, & de proselytis, quicunque aduena fuerit in Israël, si alienatus fuerit à me, et posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad Prophetam, vt interroget per eum me, ego Dominus respondebo ei per me, & ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei, et scietis quia ego Dominus.

AD totum populum concione publica iubet hîc sermonem conuertere, & in vniuersum cuiusuis conditionis, etiam si ex conuersis ad fidem fuerit, legem hanc statuit: quòd qui idola voluntatis habuerit (quæ imagines sunt, quas quisque è phantasia ad suum commodum & beneplacitum effinxerit) & ea rursus constituerit contra faciem suam, id est, vitæ finem & regulam: atque hoc habitu rogaturus Prophetam accesserit, respondebo, ait Dominus, ex me: hoc est, vt pertinet ad gloriam meam, & non ad mentem seu ad interrogationem suam: vt qui largas orationes Domino fundunt, nec votorum compotes fiunt, hinc vitæ instituta, & quales sinuosæ animæ recessus habeant, discant perpendere. Præterea etiam in sua substantia, in honore & vita ipsa punit: Nam faciem meam, inquit, ponam super hominem illum. Aliquando enim Dominus faciẽ auertendo, auxiliis, fauoribus, & votis propriis priuat. Quod
Psalm. 12. David suas deplorando calamitates dicebat: Vsquequò Domine obliuisceris me in
Psalm. 49. finem, vsquequò auertis faciem tuam à me? Tamen quando faciem super aliquem ponit, grauiter castigat. solent quippe homines se vlciscentes ante vindictam ipsam, in facie iram & ardẽtiorem furorem quam subsequutum flagellum probauerit, demonstrare: Cuius etsi Deus capax non sit, nostro modo se accommodando, grauitatem punitionis emeritam ostendens, faciem iratam, nempe contra insolentem hominem ponere dicitur; primùm opes, & diuitias auferendo: deinde ignominia afficiendo; vnde in prouerbium & populi fabellam eum daturum dixit, & tandem è medio populi sublaturum, & interfecturũ. Et cuius hęc rei gratia? vt vel flagello, & castigatione, ait, sciatis, quia ego Dominus; quos indulgentia, & lenissima via ad hãc cogitationem attrahere non valuit: Imò è contrà nescio, qua ratione à me vos ipsos elongauit, & alienos fecit. Quæ omnia experti sunt illius populi duplices & rebelles homines: & magnæ sanæ prudentiæ est in alieno capite periculo facto, malum cauere, & ad Dei beneplacitum vitam emendare. At dices, Illi erant idolatræ? Pri-
** mùm dico illos intellectus idola habuisse, eum, quo quidem dæmonum imaginibus & figuris gentes imitando, per errorem applicabant: & voluntate item; quoniam illis, cultu & religione adhærebant. Atque illa intellectus idolatria sublata est. Verùm quæ voluntaris est, in omnibus, qui imagini superbiæ, auaritiæ, immunditiæ in mente fabricatæ, suæ vitæ functionibus seruiunt, & tanquam dominæ vitæ, gubernacula tenenti obsequuntur, ita vt & religionis actus ad sua studia complenda con-
Ephes. 5. uertunt, proculdubio remansit. Quod beatus Paulus hic exprimit: Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, immundus, & auarus, quod est idolorum seruitus,
Phil. 3. non intrabit in regnum Dei. Et alibi de gulosis: Multi ambulãt, quos sæpe dixi vobis, & nunc flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.

ter est. Nos igitur Christianos Deus item alloquitur, eorum exemplo impensius exhortando. Quod & idem Apostolus non semel atque iterum docens, fidem & charitatem fictam à grege Domini extirpare conatur. Secundò dico, illos non planè, & in aperto idolatras esse: Nam cùm in mente proprias cogitationes sui ornatus, indulgentiæ, & propriorum commodorum habuissent, vt transtulerunt 70. (quas Hieronymus immunditias, & Theodotio idola appellauit) Extrinsecus tamen non nisi religionis Dei cultum profitebantur. Quapropter eadem idolatria, qua praui homines nunc laborant, hoc loco notari constat. Quod vnusquisque Christianorum sibi dictum existimare debet, vt cultu diligenti, instituto viuendi adhibito, in omnibus sibi circunspectus caueat. 1. Timo. 2.

Et Propheta cùm enarrauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum, et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israël, et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit: vt non erret vltra domus Israël à me, neque polluatur in vniuersis præuaricationibus suis; sed sit mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.

O HOMINVM vecordia, supina & crassa ignorantia! qui dum doctor & sacerdos, quæ sibi cordi sunt responderit, non perpendendo, si peritus sit, & doctus, si confessor prudens, & sapiens, libenter id amplectuntur: & quod peius est, sæpe eos magistros consulturi adeunt, & eos deligunt confessores, quos ad suum votum inclinandos cognouerint: & si in quem occurrerint vitæ veritatem sibi proferenté, cum contemnunt, & illum conueniunt, qui eorum opinionem confirmet, cui acquiescunt, conscientiamque suam sic pacant, & offendiculo iniquitatis supergresso, iniqui cõtractus onus nõ sentiunt: atq; his technis veritaté eludunt, ac negligũt. Quod non citra diuinæ prouidentiæ dispositionem contingit: vt geminis hominibus, & duplicitatem cordis amantibus, qui corde & corde loquuntur, & iuxta multitudinem Psalm. 11. iniquitatum suarum alium hominem intus abscondunt, alium exterius proferunt, deceptores consiliarij & magistri permittantur: quos Dominus decepit, dum prauos atque ignorantes prouidit. Vnde ait: Ego Dominus decepi Prophetam. iuxta 3. Reg 22. quam rationem ad decipiendum Achab, malignus spiritus executorem se præbuit: & inter filios Dei idem lictor comparens, vt sanctum Iob flagellis cęderet; licentiam Iob. 1. obtinuit: & Balaam ariolus ad decipiendum Balac Regem Moabitarum à Domino missus est. Num. 23. Quod totum, inquit beatus Hieronymus, iræ Dei est, qui sic flagellare disponit, nonnunquam populum & regionem, nonnunquam etiam personas singulas, quæ vt suas pessimas cogitationes in parte saltem obtineant, stultum & vafrum sacerdotem, aut magistrum aliquem consultandum reperiunt, à quo vel partem aliquam sui animi extorqueant. quod consulere minus malum à quibusdam scholasticis doctoribus dicitur: verùm sibi habeant, cum suo consilio, & portent, volunt siquidem iniquitatem iuxta iniquitatem interrogantis. Ego autem retrahere à maiori malo illud dicerem, non consulere: quia absolutè & absque comparatione maioris mali id intimare non possunt. hoc autem retrahere, & maius malum dissuadere est. Etenim non tantum consulens nocumentum, quod proximo maius aut minus infertur, quàm Domino irrogatam iniuriam, vt ab ea delinquentem auertat, retrocedereque faciat, aduertere debet. Quod si minus intuitus fuerit, timeat Domini manum dicentis: Delebo eum de medio populi mei Israël. Vt siue Theologus quisque, & causidicus etiam doctor, discat, de re quapiam rogatus, quãta diligentia eius veritatem disquirere debeat, & quanto cum timore & tremore sententiã suam proferre. Nã vt hęreticus & pseudopropheta suorum proseminatione errorũ populũ errare facit, & à fide auertit: Ita qui in materia morũ præceps est & peccata fouet, & iniquo suo consilio consulẽtes præcipitat. Dominus autem non solũ, quòd populus à fide declinando nõ erret, verùm ne flagitiis & sceleribus polluatur intẽdit; quandoquidẽ magnopere cupit vt integra fide, præceptorumq; obseruatione ei adhæreat: Cuius protectoré prçsidiorũ munitione, & Deũ beneficiorũ largitate, atq; piissimum

patre

patrem erratorum indulgentia, ficut fingulis item fidelibus, fe exhibere quàm maximè delectatur.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quod si bestias pessimas induxero super terram, vt vastē eam, et fuerit inuia, eo quòd non sit pertransiens propter bestias, tres viri isti si fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio: Transi per terram, & interficero de ea hominem & iumentum, & tres viri isti fuerint in medio eius, viuo ego, dicit Dominus Deus: non liberabunt filios nec filias, sed ipsi soli liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, & auferam ex ea hominē & iumentum, & Noë, Daniel, & Iob fuerint in medio eius, viuo ego, dicit Dominus Deus: quia filium & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Quoniam hæc dicit Dominus: Quòd et si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem & bestias malas, & pestilentiam immisero in Hierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus, tamen relinqueretur in ea saluatio educentium filios & filias. Ecce ipsi egredientur ad vos, & videbitis viam eorum & adinuentiones eorum, & consolabimini super malo, quod induxi super Hierusalem in omnibus, quæ importaui super eam, et consolabuntur vos cùm videritis viam eorum et adinuentiones eorum: et cognoscetis, quia non frustra fecerim omnia quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

CVM fingulis hominibus peccantibus, fpiritalem immittat Dominus punitionē, deceptum confiliarium permittendo, toti tamen regioni capitosè in peccatis perseueranti, temporarias deputat caftigationes, non quòd eam ficut fingulos æterna fupplicia non maneant, fed quòd toto populo, aut regione peccante, abfque alicuius iniuria, communis animaduerfio admoueatur. præterea illis à Domino confilium petentibus, miniftrum ad decipiendum præbet: toti verò ciuitati, aut regno rogāti, cùm præuaricans præuaricatur, id eft cùm flagitiis flagitia addere abfque termino contendit, ita vt perfeueret in propofito præuaricationis corde impœnitenti, vt in-
Rupert. quit Rupertus lib. de proceffione ss. c. 17. Et fi viros fanctos, iuftos, & Domino gratos interceffores ponat, flagellum vltima definitione deftinatum non euadet. Cuius rei exemplum nobis proponit in gente illa refidua in Hierufalem, contra quam definita erat iam Domini fententia, quantumuis excellentes viros, Noæ, Danieli, & Iob fanctitati fimiles, interpellatores, ponerent, peftem in obfidione, beftias in fuga per inuia & deferta loca, & gladium Babyloniorum, turfusque & peftem, hæc omnia mala comitantem, nunquam euafuram. Et ita opere completum videmus, in magnū fo-
Hierem. 6. latium captiuorum, qui fponte fua obediētes Domino, fe Regi Babylonio iuxta Hieremiæ vaticinium dederant: Nam è propriis fedibus, & patria egrediētes videbitis: & fpectabitis infuper mala, in quæ ob fuas adinuentiones & viam peffimam viuēdi incurrerunt, & in eos ego induxi: quæ confolabūtur, ait, vos, defertionem patriç nūc extremè dolentes: & cognofcetis tandem, quòd, non fruftrà, & fine caufa, tot aduerfa in ciuitatem illam miferim, fed in commodum & magnum bonum veftrum, atque reliquiarum, quæ ex vaftatione fupererunt. Etenim fententia Domini & ad vi-
Math. 20. tam multi funt vocati, pauci verò electi, quos omni preffura purgatos, & veluti è procel-

procelloso affectionum mari in littus eiectos suscipit. Quòd si peccata visibiliter nos Christianos non vrgent, demittamus oculos in iudicia hæc & flagella, quibus ciuitates, prouincias, & regna premit Dominus, & quantum aberremus ab itinere virtutis & via præceptorum eius, rimabimur. Nam vbi non fames, virgam panis, id est, fortitudinem, quam corporibus affert panis & alimentum (vt exponit diuus Hieronymus) penuria annonæ homines & iumenta nunc huc, nunc illuc errabunda nô confecerit? Vbi bruchus, edaces vermes, & perniciosæ bestiolæ vineas & fruges demolientes, agros non vastauerint? Vbi tanta pax, & regnum tã munitum, quod bellum non turbauerit, & Domini gladius pertransiens non concusserit? Vbi tanta salus, quam pestis vorax non deglutiuerit? nullus sanè locus sospes inuenietur. quæ iram Domini ob pertinacia peccata, proculdubio oculis subijciunt. atque hoc, vt ad cor redeuntes tandem Domino obsequamur. Atqui si punitiones hæ, quæ vita corporalem infestant, & consumũt somno huius sæculi consopitos, nos non expergefaciunt, timeamus animarum supplicia, quæ etiam impendent: timeat vnusquisq; famem audiendi verbi Dei: neque in tanta sermonum copia sibi pastum animæ non defuturum confidat. Nam regna iam & prouincias insignes, Galliam, Angliã, Germaniam, quæ verbi Dei cultura, & religione maximè valuerunt, & floruerunt, postrema inedia verbi Dei, erroribus hæresium diabolo eas vastante, laborantes, macie confici videmus. Et rursus intimè recogita Christiane lector, si in tantis diuitijs ecclesię positus, si in tam vberrimis his pascuis verbi Dei pascaris, animam tuã reficias, & verbum diuinũ tuo pectori inseras, foueas, vegetes, & in vitæ regula habeas? an contrà eo te Dominum admonentem & arguentem negligas, pulsantem nô audias, & conuiuantem spernas? Etenim & si mille sermones passim audias, si cor non aperis, non cœnabis cum Christo, nec Dominus tecum, secundum id quod ipse dicit: Ego sto ad ostium & pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum: sed fame confectus in peccato tuo peribis: time (si huiusmodi conuiuium non te delectat) bestiarum, id est, dæmonum morsus, quos crudeliter per peccata mortalia infigunt. Quos à fratribus declinare Propheta cupiens dixit: Ne tradas bestiis animas confitentium tibi, & animas pauperum tuorum, ne obliuiscaris in finem. & iam si leonis rictus, draconis fauces exhorrescis, recessus tui cordis recogita, & ferarum vestigia paue: & si quæ inueneris, meditatione tuæ deiectionis, contemplatione turpitudinis, facinorum, quæ tui amore Dominus edidit, anxia pœnitentia dele. Expauesce inferni gladium, qui incessanter peccatores vorabit, & dæmonibus in partes diuidet, vt debitis portionibus nunquam non cibetur. iuxta id, quod Scripturæ proditum est: Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. & tandem mortem ipsam, quæ insperatò homines rapit, perinde atque cùm pestis grassatur, memora, quæ magis cautos, & qui diligentius effugium sibi promittunt, deglutit, & subitò tollit. Hac enim, Domini sententia peccati gressus impedit, viam occludit, & furiam omnino mitigat, dum dicit: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde beatus Gregorius: Cùm spiritus vitæ se menti infundit, protinus eam ad mortis pauorem erigit: quia magisterium eiusdem spiritus est, vt timendo mens agat, ne quod timet, inueniat. Verum cùm Dominus adeò misericors sit, & super pœnitẽtia præstolabilis, vt vaticinio Prophetæ legimus, qui cõ ueniunt, viros selectissimos, Noë, Danielem, & Iob, oratione nihil proficere posse, vt è populo iram suam omnipotens auertat? respõdeo hos viros sanctos, cùm prospera in vita accepissent, quæ mala item & aduersa posteà senserunt, tandem euasisse, & liberatos, in priorem statum restitutos fuisse: ac perinde lætatos, atque hi qui ad cæleste patriam conuolarent. Similiter ergo fideles omnes, qui ad eam anhelant, læta quæcunque, aduersitatibus, pressuris, & pœnitentia intercisa & expiata, ad vberrima gloriæ pascua, quæ vere bona sunt, transmigrant. Is enim horum sanctorum cursus præsentis vitę extitit, qui in exemplum, & typum omnibus ad cœlum contendentibus fuerunt positi, & ob hanc causam ipsi & nõ alij nominari, vt Augustinus est auctor: qui cùm de his viris dissereret, ait: ostendens vtique in illis tres quasdam formas iustorum, quos ita se liberaturum dicit, vt nec filios suos secum liberarent, sed ipsi soli eximerentur. Et aptè sanè sic inexorabilis Dominus pertinacibus proponitur: quandoquidem captiuitas illius populi apud Babylonios, inferni carcerem significabat.

Amos 8.

Apoc 3.

Psalm. 73.

Psalm. 62.

Eccl. 7.

Sup 1. Regum 2.

Iohelis 2.

Epistola cxi. ad Victorianum.

Quem

Quem qui euadere vellent, vita ſoluta Hieroſolymis delicis acta, ſpontanea pœnitentia in Babylone purganda erat. atque ea ratione reditum ad ſuam patriam, qui ad cœleſtes ſedes regreſſionem figurabat, mererentur. Per præfatos autem tres viros Rupertus Abbas tres ordines hominum intelligit, quorum ſacrificiis legitimè in cæleſti tabernaculo deſeruitur: vt Noë, ordinem rectorum, ſiue gubernatorũ Reipubl. Daniel contemplatiuorum, Iob in actibus ſæculi operantium ſignificet, vt tribus generibus animalium ſacrificia in lege offerebantur. armentorum quæ labore terram operando hominibus proficiunt: & pecudum, quæ lacte & lana tantùm proſunt: & turturum ac columbarum, quæ omni ſeruitio vacuæ, in neutro valent. Poteris etiam dicere, veſtigia Hieronymi ſequẽdo, cùm de flagellis ineuitabilibus per Chaldæos ageretur: hos viros produxiſſe, qui vſque adeò ſanctitate pollentes, calamitoſas res deſtinatas à Domino minimè declinare potuerunt. Quoniã nec Noë diluuium cohibere, nec Daniel iram Dei, captiuitatem Babylonicam admouentem mitigare, nec Iob ob probationem ſuam, nec filios nec domum liberare, nec cæteras calamitates fugere. Etenim quædam punitiones in hac vita ſunt, poſt eas temporarias, quæ peccatis remiſſis debentur, quas definito conſilio Dominus ita ineuitabiliter nonnunquam ſuos ſubire ſtatuit, vt aliter ſuam iram nunquam placatum
Num. 20. renunciauerit. vt fuit illa ſancti Moyſis, non ingreſſurum promiſſionis terram propter peccatum incredulitatis in eductione aquarum ex petra: quam nec orationibus temperare, nec pœnitentia frangere potuit, qui totius populi maculam ſuis fle-
2.Reg.15. tibus, aliquando terſerat. Et beatus Dauid plorans nudis pedibus filium fugit, nec
1.Reg.11. ob perpetratum ſcelus contra Vriam aliter vltricem Dei manum dimouere potuit:
2.Reg.24. qui pòſt, ob peccatum numerationis populi, ſua prece angeli gladium triduo popu-
Greg lib. lum vaſtaturum, prima die compeſcuit. Vnde beatus Gregorius lib. 9. cap. 30. ſuper
9.cap 30. illud Iob, Deus cuius reſiſtere iræ nemo poteſt, ait: Cùm ſuperna indignatio ſeſe, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc oppoſitio humana non retinet, nec ſe vtiliter cuiuſlibet precatio obiicit, cùm ſemel aliquid ab intimis iraſcendo diſponit.

CAPVT XV.

*T factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum? nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt de pendeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum eſt in eſcam. vtramque partem eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam. Nunquid vtile erit ad opus? etiam cùm eſſet integrum, non erat aptum ad opus; quanto magis cùm illud ignis deuorauerit, & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis?*

QVIS non vel ipſo initio, dicendo deficiet: qui curam & ſollicitudinem, quam Dominus non ſolùm erga populum ſuum, verùm erga quemlibet hominem appoſuit, explicare ſuſcipiet? Etenim ab ipſa primi hominis tranſgreſſione ſuum populũ colere, vt diligentiſſimus agricola, nunquam deſtitit. Primùm fidem ſui & filij ſui vnigeniti Chriſti Ieſu Domini noſtri tradendo, cuius ſacratiſſima morte, iniquitas terræ erat delenda, ſerpens conterendus, inferno morſus infligendus, quo veniebat ſpoliandus, & ianua cœli, qua populus Dei ingrederetur, aperienda. Deinde modis omnibus, ne in itinere deficeret, nunc auxilijs & fauoribus eum adiuuando, nunc minis & admotis flagellis, ad circunſpectionem ſui eum erigendo, atque omni opera ad ignes charitatis accendendos, accommodata ligna apponẽdo, & baſes fidei neceſſariis munitionibus ſemper vſque ad finem ſeculi ſtabiliendo. Attamẽ legis tempore cultura hæc, quòd non iuſtos fructus ſemper redderet, non mirum: quoniam vitis, cui fideles omnes annexi erãt, nondum apparuerat. Verùm poſtquam in mundum venit, & cum hominibus conuerſatus eſt, & ipſemet Dominus vitem ſe
Ioan.15. compellauit, dicens: Ego ſum vitis, & vos palmites, & pater meus agricola eſt. Inſani penitus hominis eſt, & tanti agricolæ culturam negligere, & cœleſtis huius vitis, (cui tanquam palmes annexus Chriſtianus eſt) humorẽ omnem gratiæ, & vitæ virtutem pro vitibus non ſugere. Contra hunc igitur iure quæſtio propoſita eſt: quid

fiet

fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? Quasi diceret: vt vitis omnibus lignis syluarum præstat & longè antecellit, sic Christianus cæteris, qui nemore nationum, & extra ecclesiam sunt. Quid ergo de eo fiet, in quẽ vsum valebit, si infrugifer, & perinde atque palmes sterilis permanserit, vt ligna & rami syluarum ac nemorum? sanè inutilis omnino est, nec habet quo glorietur, nec sibi quicquam arroget; sicut neque palmes infœcundus, cùm nulli operi faciendo possit subiici, sicut cætera ligna. Et quod amplius est, quòd nec paxilli vsui, ex quo vas aut supellex aliqua pendeat, in pariete valet, cùm nullum vsqueadcò inutile lignum nemoris sit, quod præstare non possit. Ad quid igitur conducet? Respondet Dominus, vineæ Hierusalem, & totius ecclesiæ supremus agricola: *Ecce igni datum est in escam.* Ad nullum certè alium vsum confert, nisi vt igni commissus ardeat, adeiusque nutrimentum deputetur, inquit Dominus. Neque Christianus diuinis beneficiis ingratus, monitionibus diuinis inobediens, suæq; conuersioni capitose repugnans, non nisi ignibus inferni in perpetuum pabulum, vbi vindicem suæ prauitatis diuinam iustitiam sentiat, designari potest. Quod vitis ipsa, Dominus noster Iesus Christus, eandem sententiam referens, expressit dicendo: Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent. At diceret aliquis, ligna etiam syluæ igni commissa solent mollefieri, rigorem natiuum perdere, & curuitatem, & vsui hominum se apta præstare. sed nec similiter in palmite ac ligno vitæ, ait Dominus: nam si cùm integrum erat, nulli operi congruit, quãdo vtramq; extremitatem cõsumpserit ignis, & media adustione aresactum, & tostũ est, qui sic fractum vlli officio non erit ineptum? Est quippe hoc commune; vt extremæ palmitis partes per medium fracti, edacitati ignis primùm committantur, & paulatim medium igneat: quod naturæ ordo deposcit, cùm priùs ariditate disponantur extrema, quam medium, quo totus refugit. Eundem in modum Christianus, qui beneficiis audire noluit, & igni tribulationum commissus, adhuc pertinaciter suæ conuersioni & pœnitentiæ repugnat, & omni virtuti fractus remanet, tantùm voracitati ignis inferni commodus restabit. atque hoc nos docendo ad dispositionem, qua populus ille diuisus erat, alludit: cuius pars captiuitate premebatur, veluti igne quodam purgatiuo, pars autem vti alia extremitas, hostium furiis cõmissa erat, quibus absumebatur. Ex his autem medium quod restabit eiusdem propositi tenax in manus hostium perueniens extra Hierusalem omnino perdetur. Tantùm enim reliquiæ quæ ad cor reuersæ fuerant ex captiuitate, in suam patriam restituti fuerunt: Quod explicans Dominus ait.

Propter hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna syluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Hierusalem, & ponam faciem meam in eos. De igne egredientur, & ignis consumet eos, & scietis quia ego Dominus, cùm posuero faciem meam in eos, & dedero terram inuiam & desolatam, eo quòd præuaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

ET si cum captiuis & cum his, qui domibus suis agebant, sermo sit, vt igne tribulationis admoniti vtrique conuertantur: præcipuè tamẽ ad habitatores Hierusalem dirigitur, qui voci Domini inobedientes fuerant: de quibus dicit, quòd expugnari, in manus hostium tradendi erant: nec statim eorum calamitates finem accepturæ, sed à sua ciuitate eiecti, & exilio mulctati in manum hostiũ, vti bestiarum immanũ cõmissi premendi erant, ita de igne in ignẽ erant pertrãseundi, vt calamitas calamitatẽ exciperet, & miseria continuè sic increscendo, donec eorum omnimodam contritionem pertingeret, non consisteret. Tanti autem mali causam reddit, quòd non ignorantes, sed scientes Domino terga vertissent, (vt inquit beatus Hieronymus) Et cùm Deum verum cognouissent, ac amplexi fuissent, imò & coluissent, inobedientes plusquam feræ indomitæ, eius cultum eiiciendo, idola suscepissent: hoc enim est præuaricari. Finis autem tantæ vltionis is est, vt cùm viderint sic obfirmatam faciem Domini contra eos, & ex aduerso ita acerbè consurgentem cognoscant, quia ipse est Dñs, id est, vita & cultu eum talem esse prædicent, atq; vt supremũ Dominum eius consiliũ in omni re admirãtes tota vita venerẽtur. Cognoscere enim hoc loco idẽ est

quod

quod approbare,& operibus declarare,vt accepit Paulus,quando dixit: Nouit Dominus,qui sunt sui. (Matth. 25.) & ipsamet veritas per Mattheum virginibus fatuis dixit: Nescio vos.Itaque cognoscere Deum,Dominum esse,idem est,ac exploratum habere,prouisionem & gubernationem,vel minutissimæ rei,& contingentium omnium in orbe,intentissimam habere. Et quia cæci illi , etsi Deum omnium creatorē cognouissent, cum insipiente illo, eius peculiarem prouidentiam & assistentiam in omnibus (Psalm. 13.) motibus,effectis,& euentibus,post habebant: Vnde funibus iniquitatis omnino implexi fuerunt , hic & toties in hoc Propheta repetit: Vt sciatis, quia ego Dominus. Imò & ob hanc causam vniuersitatis conditor, cùm mundum crearet , diuinitatis suæ cognitionem suggerendo,se Deum appellauit, post verò Dominum : vt quem Deum omnium creaturarum cognouissent, eundem gubernatorem , & earundem prouisorem, quod ratio dominij importat,approbarent : nec mundum resque eius omnes creasse,& suis naturis reliquisse vnquam homines suspicarentur . Ex quibus Christiane lector colliges, postremum flagellum in hac vita, & grauissimā manum (Roman. 1.) Domini esse,tradere aliquem tibi ipsi vt lictori,in vltionem. Huiusmodi enim,tunc in reprobum sensum traditur: vt de mundi sapientibus dixit Paulus.Hostes equidē illi Babylonici sensuum & carnis furiam referebant,qua agitati in vltionem à Domino præscriptam processerūt. Quorum præterea violenta dominatio,quàm acerba & diuturna sub tortoribus malignis eos expectet,significabat. qui sciēter & obstinate Domini præcepta contemnentes,atque eius voluntati rebelles , tantis beneficiis se ingratos exhibuerint. Vt enim tam multiplicia sunt desideria carnis,vt ab vna in aliam delectationem progrediens,nunquam quiescat:ita in punitionem , vna vltio aliam vocabit,& afflictio vna semper aliam excipiet abyssus abyssum inuocando:vt (Psalm. 41.) vel timorem peccati tandem,nisi mens obstinata contigerit , (quod absit) ad Dominum pœnitentia conuertantur,& ad eum corda sua erigentes , cum ipso negotia vitæ & miserias tractent.

Caput XVI.

ET factus est sermo Domini ad me,dicens: Fili hominis, notas fac Hierusalem abominationes suas,& dices,Hæc dicit Dominus Deus Hierusalem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: Pater tuus Amorræus, et mater tua Cethæa. Et quando nata es in die ortus tui,non est præcisus vmbilicus tuus,et in aqua non es lota in salutem,neque sale salita,neque inuoluta pannis. Non pepercit super te oculus,vt faceret vnum tibi de his misertus tui:sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua nata es.

QVIS quilibet Christianus sit,quantum valeat , & ad quæ studia declinet,suis viribus fisus,& à Deo discedens,exemplo illius populi qui Dei curam neglexit,ostēdit hoc loco Dominus . Incipitq; Prophetæ prædicatio à graui quodam probro , & nota,quam illis inurit dicendo: Radix tua Chanaan,&c. In partitione illa celebri terræ post diluuium,terra Chanaan Sem filio Noë obtigit: à qua vi per posteros Cham expoliatus fuit. Deinde ob merita suorum peccatorum,post peregrinationem illam longam per desertum filiorum Israël demit Dominus,& Israëlitis tāquam iustis possessoribus restituit. Atqui cùm in ea agentes,Sem à quo descenderēt,imitari debuissent , Chananæorum idololatriam & mores sunt sequuti. Quod in ipso initio illis (Rupertus super Ioëlē. Daniel 13.) obiicit dicendo: Radix tua,aut venæ tuæ (vt alia habet translatio) Chanaan: quasi diceret,& non Sem,vt oportebat.sic etiam Rupertus super Ioëlem cap.3.fol.71.iuxta quod Daniel scelerato seni dixit. Semen Chanaan,species decepit te: innocentiam Susannæ demonstrans. Originem igitur eius plebis improperando, & quod dixerat probandò ait: Pater tuus Amorræus,& mater tua Cethæa. Si ita sit,quòd qui vitet in foliis venit à radicibus humor,& patrum in gnatos veniunt cum semine mores,quæ (Boetius. 9.) instituta ô Hierusalem amplexa fueris , quæ patrem famosum, & tumidum habueris?hoc enim sonat Amorræus,& matrem insanam,aut insanire faciētem,quod Cethæa signat. Quem locum exponere mihi visus est Christus redemptor noster , sibi

repu-

repugnantes Iudæos obiurgans, cùm dixit: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis adimplere. Ioan. 8. Negotiator siquidem, & mercator hominum, futilr & vano pretio ab initio extitit, & semper perseuerat: nam homines superbire, & infinite faciendo, suæ factionis facit, & sibi tributarios constituit. Quæ quàm aptè nobis Christianis obijciantur, perpendat candidus lector. Etenim cùm innocentiam illam baptismalem seruare debuissemus, virtutesq; colere, quibus Christiani cordis terra in hæreditatem designata est, & veluti iure proprio in eam restituti, eiectis dæmonibus & peccatis, quibus nascimur filij iræ: in ipsa vitia & peccata præcipites relabimur, Chanaan, Amorrhæum & Cethæum imitantes, quos summis odijs prosequi debueramus. At quæ tantæ vesaniæ causæ existunt? Eas Dominus per prophetam reddit. Nimirum quia anima Christiana recenter nata per baptismum in vita spirituali, sponsaq; Christi facta, ad rationis vsum accedens, sui non est miserta, placens Deo, vt inquit Sapiens. Nam quæ in natiuitate carnali obstetrices in corporũ Eccles. 30. salutem, & firmitudinem, in animæ stabilitatem & fortitudinem, militię Christi designatus facere neglexerit. non abscidit, ait, vmbilicum, non lota est aqua, nec sale salita, nec fascia inuoluta: quibus spurcitias vteri infantes exuunt, & ad vitam præparantur. Quia sub nomine mulieris Hierusalem alloquitur, & fœminis seminariũ luxuriæ, in vmbilico continetur. Ideo præcisionis vmbilici meminit hic Propheta. Quem abscindere non est aliud, quàm conuersionis tempore carnis luxuriam resecare, vt inquit beatus Gregorius. 4. parte lib. Pastoralis. Etenim homo, qui vmbilicum non præcidit, lumine rationis viuere negligit: semper siquidem vitæ alimenta, & sustentationem à matre, ac si in vtero commoraretur, sanguinem & nutrimentum sugit: quemadmodum arbores per radices à terra humorem mutuantur. Quare meritò hunc semper obiurgat Dominus dicendo, quod Abrahę præcepit: Egredere de terra tua, Genes. cap. 12. id est, onus seruitutis terrenæ excute, & de iugo carnis & sanguinis, à quibus alligatus dominaris, te exime. Deinde aqua calida diuinorum auxiliorum qui non se lauare, & linire curat, nec in Deum se erigit, neq; peccatorum immunditias abstergit: sed incompositus, & conspurcatus manet. Arqui cùm immundi sanguines pręsari, natiuos nostros mores in discursu vitæ portendant, postquam de terra sua Abrahæ iussit exire, subiungit: Quemadmodum infantes, qui contractionem & curuitatem, quam in vtero contraxerunt extenti non reliquerunt, neq; fœdum sanguinẽ, quo loti prodeunt, abijciunt: Ad quas fœditates abstergendas & ad vitam decentẽ, obstetricis industria vt membra debitè componantur, aqua calida ablui & mollificari solent. & de cognatione tua subiungit: mores quippe praui ex nostra cognatione adhærescunt, vnde ab ipsis egredi iubemur. Tertiò, qui vitam suam non sale, nec humiditates vitiorum exsiccauit, nec discretione in bonum cor suum destinauit (in quod studiosorum hominum operum iacula iaciendo, ad cœlum contenditur) suã semper redolet radicem. Ob hoc enim sal semper in sacrificijs amauit Dominus, & sal continuè habere præcepit Christus Iesus redemptor noster: & ob id beatus Leuit. 2. Matth. 5. Paulus in ea, quæ est ad Coloss. epistola ait: Sermo vester semper in gratia sale sit cõditus: Coloss. 4. & hæc eadem significando, membrula infantuli vt firmentur, & exsiccentur, sale saliuntur. Vnde in auctoritate allegata subdit Dominus: & de domo patris tui: & item per regium vatem Animam Christianam alloquens dicit: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris Psalm. 44. tui: Vt sale hoc nempè discretionis, furentes mundi affectus resecet, & ipsius fucos posthabendo, virtutes solùm æstimet. Et deniq; qui lumbis non sunt præcincti, & vestibus virtutum non curant ornati, dubio procul regnum Dei non quærunt: Quorum symbola sunt fasciæ infantium, eorumq; ligationes. Quapropter inquit Dominus: Quia tui ô homo vsqueadeo es oblitus, vt nec vnum horum tibi prospiciens impenderis, & vti iumentum in terram pronus, super terræ faciem proiecisti intima tua, & cum omni ignominia ablegasti animam tuam, nec curasti, tui miserendo eam honorare. Eccles. 19. Quæ omnia beatus Paulus vno verbo conclusit, dicens: Exuite vos veterem hominem, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est. Ephes. 4. In die qua nata est, inquit, sermonem suum continuando: quia non semel, aut iterum peccando à Deo se elongauit, sed cum omni obduratione & peruicacia tota vita & generatione sua non recedere à malo in laudem duxit. Dixit enim in corde suo: Psal. 9.

non mouebor à generatione in generationem sine malo: & alibi, quòd inuolucra
Psal. 57. natiuitatis, homines in vita sequantur, deplorans ait: Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Quod beatus Basilius iniquis etiam exprobrans ait: Considera, quomodo formatus es, officinam naturæ reputa. Manus
In Exam. homil. 11. enim Dei est, quæ te suscepit: Quod à Deo formatum est, per iniquitatem ne polluatur, per peccatum ne alteretur, ne excidas de manu Dei: Vas es a Deo formatum, à Deo factum, glorifica creatorem. Neque enim alterius rei gratia factus es, quàm vt organum idoneum sis gloriæ Dei. Hæc ille.

Transiens autem per te, vidi te conculcatam in sanguine tuo, & dixi tibi: Cùm esses in sanguine tuo, viue: Dixi inquam in sanguine tuo: viue: Multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grauis effecta: & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem. Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confusionis plena.

SED nunquid animam Dominus sic solo iacentem derelinquit? minimè gentium. quin in sanguinibus sui partus, qui suprà descripti sunt, obuolutata, vt se erigat, manu Domini subuehitur. Primò transijt coram ea, se præsentem per internas inspirationes exhibens: deinde externus voce concionatoris, admonitione pastoris exemplo iustorum admonet, manumque sui auxilij porrigit dicendo: Viue: idest, pœnitentiam age, vt viuas. Nam dum in sanguine tuo prouolueris, mortuus
Psalm. 118. es. Quod intelligens sacer vates Dauid vt viueret, obnixè à Deo intellectum petebat, secundum illud Christi Iesu. Venit hora, & nunc est, qua omnes qui in mo-
Ioan. ca. 5. numentis sunt, audient vocem filij Dei, &c. nec semel hoc facit Dominus, sed iterum: Nam cùm adhuc in sanguine esset, inquit: Viue. In quo maximè commendat Deus charitatem suam in nobis, quòd cùm inimici simus, beneficijs nos lacessere & prouocare, vt à peccato surgamus, nunquam desistit iterum atque iterum
Matth. 9. facere. At beatus Matthæus, cùm pertransisset Dominus, & semel ei dixisset: Sequere me, sequutus est eum: & rursus, ne inopia & paupertate pressus homo, animum desponderet, tanquam oblitioni à Domino traditus; externorum bonorum
Genes. 27. copia locupletauit, diuitias multiplicauit, & benedictionem Iacob, vt inquit beatus Hieronymus, dedit; Vt campus eius, sicut odor agri pleni floribus, & hortus, (vt transtulerunt 70.) qui iustos fructus semper suo cultori reddit. atque hoc; vt his etiam indulgentijs Deum patrem agnosceret, ad ipsumque anhelaret, penetraliaque eius domus, vbi diuitiæ spiritus reconditæ sunt, ingrederetur. Verùm in agro pleno tuæ ecclesiæ, & vberrimo horto collocata, quid agit? ignominias memorat, quibus in Ægypto synagoga iam grandis, vt puella viro matura, subiecta fuerat: atque eisdem posthabitis, eam sibi in vxorem amplexus est, quando
Exod. 24. lege per Moysem illi intimata, altari titulis duodecim tribuum instructo, dimidiamque partem sanguinis duodecim vitulorum in ipsum fudit, residuam in populum aspergens: Sic veluti lege connubiali firmatum est, se illis esse in Deum,
libr. 1. supr. Exod. c. 41 ipsos autem illi in populum, ad similitudinem fœderis materialis, inquit Rupertus: & vt illa desciuit à legitima lege connubij, sic anima Christiana per Baptismum Deo adoptata ab his, quæ in eo pollicita est. Dicit ergo, Venisti ad mundum muliebrem, hoc est ornatum, & lenocinia mundi huius sequuta es: nec vlli eius pompæ, meis copijs abutens pepercisti. perueniens ô Hierusalem, siue anima Christiana ad ætatem nubilem, cùm vbera intumescerent, decentemque formam nacta essent, & ad annos nubiles accedens, pubertatis insignibus vestireris, me reiecto, te totam mundo consecrasti. Nam eras & confusione plena: Quasi dicat: Cùm ad nuptias, ætate exigente, coaptata fuisses, idque tu more puellarum se corporaliter colentium, ornatu spiritali ad spiritales nuptias accommodato, ostendere debuisses, inuenta es omni virtute destituta, & ignominia plena; & meis oculis indigna, vt mihi sponso tuo amplexibus charitatis adhæreres, quæ extrinseco apparatu nitens, intrinsecus omni vestimento spoliata es. Quoniam anima

quæ

quæ non induerit Dominum nostrum Iesum Christum pauper, nuda, cœca, & miserabilis exiltit, vt inquit beatus Ioannes. Apocal. 3.

Et transiui per te & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi: ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi, & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo.

INEFFABILIS Dei amor: nonenim vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Atque adeò, quem semel mortis faucibus eripuerat, quem pœnitentiæ donauerat, quem multis donarijs affecerat, vt ad debitam sibi gratificationem expergefaceret: cùm rursus, iugo peccati subiacentem vidisset, ipsum B. Hieronymus hoc lo inuisit, vt rursus erigeret; atque id ea animi propensione, vt tanto cumulatioribus co. bonis eum augeat, quantò propter refricatas plagas, vulneratus magis & sauciatus iacebat. Nam ad eius conuersionem Dominus iuxta eum transijt: Quantum autem transitus eius per nos operetur, dicat sponsa, quæ summis votis ad sui protectionem petebat: Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet aduersum me. Iob. ca 17. & quàm magnum adiutorium, obtutus Domini in nos transmittat, dicat beatus Petrus: Qui cùm eo priuatus in peccato negationis tam frontosè perseuerasset, ad simplicem Domini Christi Iesu intuitum, complices atque socios peccati re- Matt. 26. linquens, foras exiens, fleuit amarè. & denique vtriusque rei testimonium irrefragabile proferat Matthæus Euangelista, qui dictis miserationibus tactus, ad simplex Domini verbum, ipsum sequutus est. quòd si nec his testibus contentus es, Matt. 9. Dominum quid suo transitu & intuitu præstet, explicantem audi: Primùm ad iustificationem eius expandit amictum suum; Deinde iureiurando eam sibi despondit, pactum & fœdus secum iniens fidelitatis. Et facta est, inquit, mihi. Tertiò lauat aqua, & vngit oleo. Etenim in ipsa iustificatione peccatoris, initio Dominus gratiam suæ protectionis super ipsum extendit, qua veluti pallio amicijt, viscera paterna commonstrans. Quod præsagiens Elias vocando Eliseum, pallium super eum extendit; & fouit ita, vti alis expansis, eo modo, quo ab infestante frigore 3. Reg 19. & rapaci miluo, pullos suos gallina tueri solet, iuxta illud eiusdem Domini: Hierusalem Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: Matt. 23. quoties volui congregare pullos tuos sub alis, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & renuisti &c. atque hac ratione, turpitudinem nuditatem peccatoris, quod magnæ ipsi ignominiæ est, tegit & operit. Deinde ad sui amorem, animam alliciendo, pollicitationibus legis & Euangelij, veluti arrabone & pignore dato, eam sibi despondit: aut sponsalia in baptismate celebrata, reintegrat & firmat, dicens: Dum lucem habetis, ambulate in luce, ne vos tenebræ comprehendant. Atqui quoniá lex, in cuius visceribus Euangelium latuit, veluti thesaurus in agro absconditus, fœdus & pactum in Scriptura sæpè vocatur, & iuramento est fir- Ioan 12. Matth. 13. mata; iuxta illud Dauid, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacer- Psal. 10. dos in æternum secundum ordinem Melchisedech. & illud: Iurauit Dominus Psal. 31. Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et rursus illud Zachariæ in suo cantico: Iusiurandum, quod iura- Luce 1. uit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Sicut in testamento nouo, Dominus Iesus Christus res grandes nobis commendans iuramento eas firmauit, vt cùm dixit: Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in ter- Ioan. 12. ra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. & alibi: Amen amen dico vobis, venit hora & nunc est, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & qui audierint viuent. &c. Ioan. 5. Hinc pactum ineundo cum anima fideli obseruationis suorum mandatorum totius legis & iuramenti, quo firmata fuerat, meminit dicendo: Iuraui tibi, & iuij fœdus tecum. & rursus stabilitatem sui propositi repetens Hierusalem cum qua loquebatur, transgressionis legis ream facit; & cursim suam impudentiam illi exprobrat. in quibus & velle à peccato pœnitentia resurgere, & regula præceptorum

Domini duce, in posterum velle cauere, apertè satis innuitur. & facta est, inquit, mihi: nimirùm Hierusalem, per quam totum Israeliticum populum intelligit, qui lege à nationibus distinguebatur, & in filium suum à Domino erat designatus, qui syncertam & integram veritatem etiam conseruaret. Istaelitis enim concredita fuerunt eloquia Dei, qui nullo modò pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt, sed concordes inter se, atque in nullo dissentientes, sacrarum literarum veraces ab eis agnoscebantur, & tenebantur auctores, inquit Augustinus. Nunc autem Euangelij tempore gratia & charitate, quæ finis est præcepti (vt inquit beatus Paulus) quęlibet fidelis anima in baptismo adoptatur, & in eius æternum regnum tanquam filia adoptiua introducitur. Atque illud exprimens & hoc insinuans, inquit: & facta es mihi: scilicet filia & sponsa. & quomodo fit? id explicat dicendo: & laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo. Duobus enim, contritione nempe peccatorum, quæ sine confessione sacramentali actu, vel in voto non contingit, & proposito cauendi in futurum, quibus remissionem commissorum adipiscimur, & vti à sanguinibus, (vt beatus Dauid dixit,) liberamur. Nascimur quippe omnes filij iræ, & peccati originalis rei, quod omnium actualium radix est, semel etiam remissum per baptismum, mediante fomite, qui manet. Et quia eo anima infecta prodit, vt in sanguinibus corpus ipsum inuolutum, per sanguinem qui item carnis nutrimentum est, peccata intelliguntur: & quoniam dolore vrgenti peccatorum, qui aqua lacrymarum exprimitur, atque determinatione & proposito virandi ea (quod amore definitur, & hic fotionibus olei indicatur) hinc lotionis aquæ & fotionis olei meminit. Vulnera equidem corporis curationi exposita, acrimonia vini mundantur, & absterguntur à perito Chirurgo, & oleo atque lenibus medicinis, vt noua nascatur caro, crescat & adolescat, delenitur, ac fouetur: vt Samaritanus ille Euangelicus, cum misero illo à latronibus vulnerato fecit, plagarum animæ curandarum nimirùm nobis Dominus formam tradens.

Augustin. libro 18. de ciuit. Dei c. 41.

1. Tim. 1.

Psal. 50.

Ephes. 2.

Luce 10.

Et vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho. & cinxi te bysso, & indui te subtilibus.

De populo illo omnia hæc primùm dicuntur: qui postquam lege in monte Sinay per Moysem data, adoptatus fuit a Domino, in discursu suæ ætatis, omni sollicitudine illius curam gessit. Nam ad tegumentum corporis & protectionem externarum iniuriarum, necessarijs vestibus eum vestiuit: deinde ad decorem, vt populum peculiariter à Domino electum decebat, pluribus ornauit & honestauit: & tandem quæ ad vitam & sustentationem bona subseruiunt, tanta abundantia largitus est, vt non solùm in regnum proficeret, sed cunctis gentibus in admirationem esset. Quæ omnia exemplo sunt eorum, quæ singulæ animæ Christianæ ad suam iustificationem, vitam & salutem, continuè Deus confert. Quocirca ad hanc rem Spiritus sanctus omnia scripta refert: Quod interpres scripturæ Paulus, dixit: Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Nos verò in sensu literali (qui ab Spiritu sancto intentus principaliter definitur,) interpretationem prosequimur. Deo igitur anima per gratiam conciliata, quæ ad eius vitam, progressum & perfectionem dona ipsi largitur Dominus, per ea quæ populo illi tribuit, & corpori adaptari solent, explicatè describit. Primum igitur dicit: Vestiui te discoloribus. Virtutes etenim variæ bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, quibus animam sibi gratam Dominus induit, vt beatus Paulus dicit: vestes animæ sunt, quibus tegitur, & ab externis iniurijs defenditur: & quibus nisi exuatur, diripi a diabolo non potest. Non enim Ioseph prius à fratribus in cisternam mitti, nec vendi potuit, quàm veste polymita, & varijs coloribus denudaretur. Quem locum, Beatus Hieronymus tractans de cęremonijs ecclesię, quibus sub obedientia eiusdem, integra fide Deum colit, appositè interpretatur. Rursus: Calceaui te, ait,

Roma. 15.

Coloss. 3.

te,ait,hyacintho. Planè cùm vſqueadeò exquiſitis calceamentis calceat Dominus populum ſuum, non de pedibus corporis, eorumque tegumentis, primùm agere apertè demonſtrat. Affectus enim animæ pedes ſunt, quibus ad agendum mouetur,per opera virtutum graditur, vt Apoſtolus interpretatus eſt,quando dixit: Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. Ephes.6. Hos autem pedes, id eſt, conatus & ſtudia propagandi Euangelium, diuinaſque virtutes exercendi, quæ in eo edocentur, calceat Dominus, fide, ſpe, & charitate: vnde hyacintho populum ſuum calceaſſe dicit: Hyacinthus enim aëris & cœli colorem refert (teſte Philone Iudęo) quia ſapientia non humana, ſed cœleſti & diuina,quæ omnino perſpicua & dilucida eſt, ſuos Dominus munit. in idem etiam redit, ſi legas: Melina pelle, vt quidam,nam Melinum candidum eſt, & optimum ex inſula Melo. Quod ſi colorem mellis referat, medium inter album & rufum, charitatem planè exhibet; qua in Chriſtiana vita diuinitus, ac proinde abſque periculo graditur. Plinius lib. 35. cap. 6. Interpretantur autem quidam Melinam pellem, corium taxi, quod coloribus varijs diſtinctum eſſe perhibetur: quia varijs virtutum exercitijs ad cœlum itur. Etiam taxus, arbor eſt ſimilis abieti,venenoſa, inquit Plinius. quod peccatori optimè quadrat, qui ſuaſionibus ſerpentis, virus peccati ebibit: & vti arbor venenoſa, vitia in fructus profert. Atqui, quoniam virtutum gradus,quæ primò retardat, imò impedit,concupiſcentia exiſtit,caſtitate & continentiæ præcepto ſuos cingit Dominus. vnde ad Chriſtianam animam ait, Cinxi te byſſo. quoniam carnis mortificatio multis paratur caſtigationibus,& diſciplinis exercetur, vt byſſus tunſionibus. Quod iuſſit Chriſtus Ieſus Dominus noſter, quando diſcipulis dixit: Sint lumbi veſtri præcincti,& lucernę ardentes in manibus veſtris,& vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum. Lucæ 12. A quo edoctus beatus Paulus virtutes has omnibus commendans, dixit: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in charitate. Ephes.6. Præſtiterunt autem his virtutibus Sancti illi inſignes in veteri teſtamento, vt Helias, qui zona pellicea præcinctus ſemper inceſſit, vt teſtimonio Ochoziæ regis colligitur. 4.Reg.1. Et Ioannes item Baptiſta, veſtimento pellis camelorũ contexto tegebatur, & zona pellicea lumbos ſuos cingebat. Marci 1. B. etiam Petrus, & item B. Paulus hoc habitu vſi ſunt, vt eleganter colligit Caſsianus,ex eo,quod angelus dixit Petro: Calcea te caligas tuas: & ex eo, quòd Agabus de Paulo dixit: Virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Hieruſalem Iudęi. Act. 12. Act. 21. De illo quippè dicit, Nequaquam angelus monuiſſet calceare caligas, niſi vidiſſet eum,ob refectionẽ nocturnæ quietis,pauliſper defecta membra,ſolita cinguli obſtrictione laxaſſe. De iſto verò,neutiquam Propheta proferre potuiſſet: virũ cuius eſt Zona hęc,&c. niſi Paulus ea lumbos ſuos indeſinenter conſtringere ſolitus fuiſſet. ſed attende myſterium: Nam clarè caſtitatem & cœlibatum eximia perfectione colendum cõmendat: byſſo hanc virtutem ſignans, cùm ruſtico cingulo & pelliceo antiqui patres vterentur, vt ex dictis conſtat. Et quoniam ſingularum partium indumenta,ſelecta erant,vnico verbo id exprimendo concludit: Indui te,ſiue obtexi te ſubtilibus, aut ſerico ſubtiliſſimo, vt alij transferunt. tantę ſiquidẽ tenuitatis erant ſtamina,quibus veſtes contextę erant,vt villis,aut capillis aſſimilarentur. Per quę D. Hierony. dona Spiritus ſancti intelligit, iuxta illud Sapientię.Spiritus ſapientię vnicus & multiplex,tenuis & mutabilis: Sapient. 7. & Mãna,quod Chriſtũ Ieſum cum diuina eius ſapientia retulit,pruinę,& ſemini coriandri cõparatur.Poſſunt etiã contemplationes ſanctorum aptè per ſubtilia intelligi,vt placet Chartuſiano,iuxta illud Pauli: Nos reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes &c. 2.Cor.3. id eſt, nos non cortice literæ iam detenti,nec vmbris implicati; vt veteris legis homines (vt Moyſes cooperiens faciem ſuam nec audens contra Deum aſpicere ſignificauit) ſed myſteria inclu ſa in lege penetrantes,& non figuras,ſed res ipſas conſiderantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. quibus obuiam itur vanis, & curioſis dolis, quos Propheta reprehendit, dicens: Confundentur, qui operabuntur linum, pectentes & texentes ſubtilia.

Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi in aurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis.

DESCRIPTIS indumentis, quæ natura ad corporis tegumentum ordina-

uit, quæ ad decorem, ornatum, & amplitudinem pertinent, enarrat in genere, dicendo: Ornaui te ornamento, &c. singulas partes enumerando. Quoniam autem tota fœminarum pulchritudo, & elegantia in facie, capite, & manibus procuratur: inde de armillis, torque, inaure, circulo, quibus ornata fuit Hierusalem; & quælibet anima baptismate renata, agit. armillis brachia ornantur, per quæ ad manus tota vis deriuatur, & ita per Synecdochen manus pro brachijs positæ sunt: dat enim Dominus valorem sua gratia operibus nostris, quæ hoc ornamento commendat, imò occasiones actuum, vt inquit Origenes: atque adeò armillas dare dicit. donat item studium, ac desiderium diuini amoris: Quod significans torquem, siue monile, quod variis gemmis distinctum, & in pectus mulierum descendens or- Genes. 40. natus pulcherrimus mulierum existit, vt inquit Hieronymus. & ita Ioseph bysso & torque, vt ornatu regio fuit condecoratus. hoc enim monili, & amoris sponsi continuè monentur, & vt ipsi placeant, viscera ipsa commouent. Vnde de eo di- Cantic. 1. xit sponsus: Murenulas aureas faciemus tibi. Origenes autem per torquem intellectum veritatis intelligit, qui post ista iustitiæ opera datur. Vult præterea Dominus, nos ad perfectionem dilectionis properare, vt in ea semper maneamus: atque quoniam ipsius hoc donum est, præceptum dilectionis in tota lege includitur, & à fronte ad os vsque pendens demitti dicitur. Quod impensius Dominus com- Iosue 1. mendauit, dicens: Non recedat volumen legis ab ore tuo. & deinceps Paulus: 2. Cor. 2. Non aliud videamus, nec odoremus, nec aliud ore versemur, quàm quòd Deus & proximus sint diligendi, vt cunctis sic fratribus bonus odor simus. vnde circulos ob perfectionem appellauit; quam figura hæc designat: & inaures ob fidei doctrinam, quia fides ex auditu, obedientiam autem dono accepimus, quæ aditus Hebr. 11. Christianæ vitæ necessarius existit, vt per Euangelium præceptaque Christi, (à quo nomen accepimus) compleamus. Hanc verò auditu accipimus, iuxta illud Psalm. 17. Prophetæ: In auditu auris obediuit mihi. Quod enim à Domino aure capitur, ilico executioni mandare, vigilantissimi serui manifestum indicium est.

Et coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multis coloribus.

NON contentus Dominus sponsam pulcherrimo ornatu inter filias Hierusalem condecorare, habitu regio eam incedere facit. atque ideo coronam decóris in capite eius ponit: quoniam Dei gloriam, honorem, & nomen Dei, quod diademate Aaron erat scriptum, & quod dici & comprehendi non potest, & quod ineffabile dicebatur, & quod insuper contestans gentilitas (vt inquit Hierony- Act. 17. mus) ignoto Deo aram erexit, supra caput suum Christianus quisque portare debet. mente præterea & corde firmiter infixum habere, & cùm opere hoc exhibue- Rom. 8. rit, ore item confiteri oportet, iuxta illud Pauli: Corde creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem. vnde auro & argento corona fabricatur. hæc enim mentis & eloquij symbola esse, testatur Hieronymus. Origenes verò glorificationem intelligit: & aptè quidem; omnia siquidem quibus eam mereamur, donat Dominus. Deinde vestibus regiam dignitatem decentibus, ornata est, bysso, polymito scilicet, & discoloribus: vt byssus nimirum eximium coram oculis Dei candorem castitatis exhibeat. Polymitus, id est, acu pictum stragulum, siue auro contextum opere phrygio (nam huius habitus ipsi inuentores fuerunt) mentis attentiones varias, & diuinorum contemplationes, quæ humanum captum supergrediuntur, repræsentet. Discolor verò eius varietatem, & confusionem omnium virtutum, quæ reginam animam comitantur, referat.

Similam, mel, & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis. & proiecisti regnum, & egressum est nomen tuum in gentes propter faciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit Dominus Deus.

POST ornatum, opulentiam, potentiam & admirabilem maiestatem Hierusalem

rusalem explicat opulentiam, cùm similam, mel, & oleum, in cibum suggerit, omnium bonorum abundantiam designans, iuxta illud Iosue, & Caleb: Terra [Num. 14.] quam circuiuimus, valde bona est, si propitius fuerit Dominus introducendi nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. & indulgentiam item victus, qua more nobilium infantium omni teneritudine enutrita erat: potentiam verò memorat, cùm in regnum profecisse dicit. Eò enim populus ille progressus est, vt regnum esset, & regem haberet à Deo electum. Admirabilem autem maiestatem recolit, quando famam eius & nomen celebre factum esse inter nationes, & horribile insuper, vt referunt tot mirabiles victoriæ contra Moabitas, Philisthęos, & Assyrios in Scriptura passim enarratæ prædicant. [1. & 4. lib. Regum.] Hæc autem omnia quot bonis animam Christianam Dominus donet, proculdubio significant. Etenim dum eam sacrosancto & ineffabili Sacramento Eucharistiæ pascit; simila siue adipe frumenti saginat: sapore mellis mirificè dulcorat: & misericordiæ oleo diuinitus in fratres producit atque extendit, & potestatem regiam etiam contulit. Quod beatus Ioannes asserit, dicens: Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo; [Apoc. 1.] & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. & beatus item Petrus: Vos estis genus electum, & regale sacerdotium; omnis siquidem Christianus fide viua [1. Petr. 2.] acri & vehementi, potestatem habet subiiciendi sibi dæmones. Quod testati sunt Christi discipuli dicentes: Magister, ecce dæmonia subiiciuntur nobis. Quam prærogatiuam his verbis Dominus tribuit, Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnes serpentes, & scorpiones, &c. [Lucæ 10.] vt eleganter notat beatus Basilius. & denique tanto eam honore affecit, vt eius vita probè & Christianè acta, exemplo mirabili, imò miraculo sit cunctis nationibus. [Basilius in Exameron.] Ita eniminquit beatus Paulus: Omnia autem facite sine murmurationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi Iesu. [Philipp. 2.]

Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, vt eius fieres.

CVM in superiorem locum te euectum conspexeris, cautiùs viue, & grauiorem time casum. tunc enim confidentiam in viribus, in diuitiis, in honore, & opulentia, atq; præsumptione etiam vitę diabolus superbię pręsidens, sensim obrepere solet; vt tantò profundiùs decidas, quantò altiùs conscenderas. Quod docuit Sapiens, dicens: [Prouer. 27.] Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. Secũdum quod admonuerat in lege Dominus dicens. Obserua & caue, ne postquã comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisq́; [Deuter. 8.] armenta boum, & ouium greges, argenti & auri cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti. Et infra ingratitudinem tot ac tantorum beneficiorum populo suo exprobrans, dixit: Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. [Deuter. 37.] Quam item rem de Israëlitis & Iudæorum gente præsenti loco in exemplum nobis proponit; quæ cùm enarrata opulentia, pulchritudine & regio apparatu fulgeret, in eam elationẽ sibi, & memoratis instrumentis fidens incidit, vt fornicaretur nomine suo, id est, tota fama postposita, & cũ dispendio nominis sui, atq; sua gloria abusa, ad fornicationes vniuersas exercendas omni concupiscentia fureret, & eius solum non esset, qui eam nollet & sperneret. habere enim quenquam fiduciam in nomine suo, aut vi & potentia sua casum redolet, non prudentiam, neque progressum in via Domini: quia sic animam fidere, non est aliud, inquit Gregorius, [Grego. lib. epist. 7. cap. 22.] quàm in seipsa, de iusta actione præsumere. Enimuerò cùm agminibus dæmonum vndique circundemur, vt beatus Petrus admonuit, dicens: Fratres, sobrij [1. Petri 5.] estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Quod & Propheta affirmat de viro iusto disserens: Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis, [Psal. 90.] vt exponit Cassianus. & rursus collatione septima, cap. 32. [Cassianus coll. 7. cap. 32.] asserit tot esse immundos spiritus, quot in hominibus studia varia. Nemo (vt ad se redeat oratio) sibi fidens rerum affluentia munitus

H 4 est,

est, qui diaboli ducibus & centurionibus, super commercio peccatorum non paciscatur, atque ad eorum nutum, campum omnium vitiorum non excurrat. Habet enim paruam voluntatem, cùm sui amator existat: innumeri præterea circunstant internuncij, qui ipsum sollicitare nec momentum desinunt: suppetunt etiam externa omnia insttumenta, ad votum seruientia: & denique ipse iniustitiam armatam secum defert, quem omnium animalium pessimum aliquando dixit quidam. Quare restat, solùm eius dæmonis vinculis non subesse, qui eum neglexerit & paruipenderit.

Arist. 1 polit. 2.

Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta, & fornicata es super eis, sicut non est factum, neq; futurum est.

CATALOGVM delictorum, quibus, viribus suis fisa anima Christiana & bonorum cælestium prodiga, committit, iam per partes exponit. Atque primum est, se dæmonis seruam constituere, auxilia gratiam, Euangelium, prædicarionem, fidem, varia exempla sanctorum, & Dei misericordiam, in suos amores, in propria idôla conuertere, & diabolo obsequium præstare, cuius seruus talis homo existit. Nam qui peccatum facit, seruus est peccati. Hæc enim omnia versi coloris vestimenta conficiunt in vnum ex varijs consuta: & quòd his technis conflatum, & productum peccatum, in immensum creuerit, Deo displicens, dicit simile non esse factum, nec futurum. Quoniam quòd naturalibus vt tuis abutaris, tolerabile quodammodo iudicatur; atque ea, quæ ex gratia & dono ad tuum ornatum & gloriá Dei conferentis, acceperis, in ipsius iniuriam transferas, nulla ratio suffert. Hoc autem Hierusalem, quæ exemplo nobis hîc ponitur, primùm fecit: nam lege, & Prophetis atque rerum affluentia, quibus populum suum distinxerat, ornauerat & ditauerat abutendo, excelsa, id est, idôla coluit, & pretiosissima quæque in vsum idolorum conuertit: quòd ab initio nationes tale quippiam facere exhorruerunt, vt quæ à suo Deo etsi ficto accepta retulissent, cum eius iniuria, in alterius Dei cultum & honorem expenderent; imò nec futurum apud eas vnquam erit.

Ioan. 8.

Et tulisti vasa decoris de auro meo, & argento meo quæ dedi tibi: & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis: & sumpsisti vestimenta multicoloria, & operuisti illas: & oleum meum, & thymiama posuisti coram eis: & panem meum quem dedi tibi, similam & oleum, & mel quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis.

PER incrementum procedit enumeratio, & crimen hæreseos, & grauissimũ sacrilegium exprobrat. Nam Euangelium quod perinde ac aurũ splendidum & purum est, nullius metalli admixtionẽ consentiens; & doctrina Sanctorũ & Ecclesię, cádore argenti præstans; quę ad cultũ Dei & fidei integritatem donata sunt, ad suos errores defendendos, hæretici inuertunt. Qua ratione & imagines masculinas dicuntur facere, (inquit B. Hieron.) quia vnusquisq; se putat robustissima colere & habere quę finxit, nec vlla posse impugnatione subuerti. Hęc aũt in cautionem nostram hic abominabiliter narrat Dominus, fecisse Hierusalẽ, cùm optima quęq; vasa & instrumenta templi ad Dei cultum celebrandum confudit, & in cultum idolorum transtulit. Quod in Numeris Moyses vaticinatus fuerat, dicens: Thuribula, phialas, candelabrũ aureum, & arcam intus ac foris deauratam accepisti; & conflasti ea, & fecisti effigies masculinas, & fornicata es in eis. Masculinas autẽ dicit, quia nunquam dearũ imagines, seu idôla fecerunt. & rursus crimẽ hoc amplificando dicit: & sumpsisti vestimenta multicolora, & operuisti illas. Propriũ quippe est Hęreticorũ (inquit Hiero.) virtutũ mella simplicibus ꝓponere, vt vitiorũ venena inescati, non caueant. Vestiuntur enim quodámodo extrinsecus in vita virtutibus, vt sermonis & cõuersationis virus improuisum cautiùs serpat. Natura enim ipsa, vitia vt mõstra horrida expauescit. Quaꝓpter, qui pessimę vitę est, non facilè homines ad dogma falsum pertrahet: nec potest, inquit Orig. nisi per vmbrá sanctitatis audientiũ simplicitatem decipiet. Quemadmodũ enim escarũ illecebras quasdá ꝓponunt aucupes, vt oblectamento gulæ,

gulæ, faciliùs aues capiant: perinde isti temperantiam, fortitudinem, iustitiam & mansuetudinem præsentant, vt suis blandis sermonibus faciliùs incautos irretire possint. Quod Scriptura apertè protulit, quando inimici populi Dei reædificationem templi impedire curantes, dicebant: Ædificemus vobiscum, quia ita vt vos, quærimus Deum vestrum. Hoc autem Israelitæ ipsi fecerunt, dum vestimenta polymita, id est, multorum colorum, quæ omnium virtutum symbola erant, vsui idolorum accommodantes, & in eorum cultu eisdem sacerdotes vestientes, atque ipsa etiam idôla ornantes, Deum blasphemauerunt. Esd. 4.

Et oleum meum & thymiama, & panem meum posuisti, ait, coram eis.

AD summę nequitię culturam hoc crimen deducit, dum Missę, orationes, & opera omnia, lucri proprij aut commodi causa, non ad Dei iram placandam, non ad Deo placendum, non ad gratiā ipsius promerendam facere dicit; imò aliàs neglecturos. Huiusmodi enim in ecclesia sua reprehendit hîc Dominus sacerdotes, qui oleo Sacramenti Ordinis vncti, diuina prophanant: dum sacra officia iniustè peragunt: orationes & populi vota irreuerenter reddunt. Quin potius vt externum illud opus tantum fiat, & consignata stipendia reportent, ad similam & mel, hoc est, ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedunt, vt imagines suorū idolorum, id est, cōmodorum, quæ in mente sua fabricarunt, colant & venerentur. Est enim his duabus rebus sanctissimum Sacramentum designatum. Nam simila externam speciem panis repręsentat: mel autem varios & dulcissimos sapores significat: quos Christus Iesus Dominus noster sub illis residens speciebus operatur. Quod degustatio illa mellis Ionathę innuit, quando ostendens summitatem virgæ, parum mellis gustando, eius oculi aperti sunt, & vires ac robur resumpsit, quod deficiebat. Fecerunt igitur Israelitæ, in prædictorum significationem, rem omninò nefandam: quia sacerdotes oleo iuxta præceptum Domini vncti, idolis ministrabant; orationes, & incensum in eorum honorem fuderunt, & panes propositionis coram ipsis posuerunt, omnem legem & præcepta Domini inuertendo. 1.Reg. 14.

Et factum est: ait Dominus Deus, Et tu tulisti filios tuos & filias tuas, quas generasti mihi, & immolasti eis ad deuorandum. Nunquid parua est fornicatio tua? immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis: & post omnes abominationes tuas & fornicationes non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, & confusione plena conculcata in sanguine tuo, & accidit post omnem malitiam tuam, Væ, væ tibi, ait Dominus Deus.

Ex sententia Hieronymi sequentis Origenem, in Hęreticorum progenie persistit: qui filios, id est, robustos in fide, siue sensus mysticos scripturæ intelligentes: & filias, id est, fideles non ita fortes, & qui simplicem sequuntur historiam, dæmonibus in victimam consecrant, vt ab Ipsis deuorentur. Verùm placet quod hic Dominus radicem omnium peccatorum aperiat, & taxet: hæc autem gula est, qua corpori indulgetur, & mundi fastus præparatur: hac quippe concupiscenti vi traditur anima, quæ pro maioribus, aut minoribus donis gratuitis & naturalibus quibus ornata est, filius aut filia dicitur: & à concupiscibili appetitu effrenato, tanquam ab igne absumitur, & deuoratur in dæmoniorum obsequium. Parentes item (proh dolor) omnes faciunt, qui filios suos & filias in carnis luxurijs & mundi oblectamentis, & lenocinijs procreant: Nonne dæmonibus consecrant, ac deuouent: à quibus cùm ad ętatem venerint, qua Deo seruire debuissent, deuorentur, ac degluriantur, qui absq; timore Dei, & indole vlla eos educant? hoc autē malorum incentiuo seipsam & filios suos ac filias non solū infecit Hierusalem; sed impudenter ac gentiliter in victimas idolorū obtulit, hiatu ignis filios vorās, idolorum gratiam sibi conciliare existimans. Quod non min* apertè alibi testatur Scriptura dicens: Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonibus: & iterum: Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan: aut traducebant eos per ignem, vt Theodotio, Aquila & Symmachus in sua versione insinuarunt, ethnicos sequentes qui filios suos per ignē Psalm. 105.

aut

aut transferebant paruulos, aut adultos transire compellebant, vt testatur Hieronymus. Quod planè dicit alia versio, quæ sic habet: Nunquid parua est fornicatio tua, nisi & filios meos mactares, darésque eos illis, cùm eos illis traduceres? tamen post tot scelerum atrocitatem, suæ ineffabilis misericordiæ non obliuiscitur Dominus, dum pœnitentiæ nos admonet, & impœnitentes perterritat. illud facit quando post tot fornicationes proprias adorando idola, & tot abominationes sacrificando filios, Hierusalem reprehendit, quòd non recordetur nuditatis & turpitudinis, qua iacuit miseranda in Ægypto: nec beneficiorum, quibus per adoptionem legis, & cætera dona superius enarrata cumulata fuit. Quibus, magnum gradum ad pœnitentiam fecisse docet Dominus, qui imo corde casum suum, & verè hominis abiectionem contemplatus fuerit, & rursus locum & dignitatem, vnde ceciderit, postquàm ipsum erexit, & in suam curam suscepit. Quocirca aliquando beatus Ioannes dicebat: Memento vnde excideris, & prima opera fac. & rursus; Apoca. 2. recalcitranti Episcopo, & onus susceptum excutienti: Memento, qualiter acceperis. posterius verò facit, dum quid obduratam eius malitiam maneat declarat, dicendo: Væ væ tibi, ait Dominus Deus. Et nescio sanè, quis tam ferreus sit, quem verba Domini eiulantis, & veluti nostram miseriam dolentis, non commoueant? & quam miseriam bone Iesu geminato affectu doles? perpetuam nempè carentiam diuinæ visionis, quam tanto pretio nobis emit: perpetuum inde apud inferos tormentum, à quo nos liberare tanti ipsi constitit. & quoniam corpore & anima, post finale iudicium supra cogitationem hominum obstinati peccatores patientur, Hiere. 17. bis dolentis affectum repetit: cui consonat, quod Propheta malis imprecatur, dicens: Indue super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ: & abominabilem fecisti decorem tuum: & diuisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti omnes fornicationes tuas.

LAPSVS homo in corporis indulgentiam, omninoq; sui amator factus, quod erit flagitium quod non committat, aut saltem non ardeat? exponit id Dominus, quando carnis immodica luxuria posita, cum omni frontis libertate, in quod tandem peccator decidat profundum declarat. Quod hac summa claudit, nimirum; quòd ex officio peccet, & magistrum scelerum se constituat, & in peccatis insuper more gentium cum Dei contemptu glorietur. Hæc signant quando hominum pudore & Dei timore postposito, ita se peccatis dedit, quòd fornicem in ciuitatis muro, ethnicorum more, ædificasse dicit: & cùm ait: Prostibulum in plateis fecisti, id est, excelsum tuum in omni viarum compito, tuæ prostitutionis signum, vt longè transeuntibus adhuc manifesta esses. Quod tanta cum auiditate procurasti, vt omni dæmoni peccatorum instigatori, qui officium surriperet, obuiam eundo te omni peccato exposuisti, ad omnemq; voluptatem cunctos prouocasti. Quæ populo illi contigisse (atrocissimum omnium scelerum idolatriam nempè exponendo) narrat Dominus, & in exemplum proponit: vt alieno capite periculum faciétes fugiamus péccata, similem casum pertimescentes, qui contemptus Dei existit. nam impius Prouer. 18. cùm in profundum malorum venerit, contemnit, inquit Sapiens.

Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium, & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam iustificationem tuam, & dabo te in animas odientium te filiarum Palestinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.

AD specialiora descendendo, exponit iam quomodo cuilibet transeunti ad fornicandum occurrerit: & viam declarat, qua in tantum præcipitiū homo peccator decidat, quā esse dicit prauis & sceleratis hominibus consuescere: vt cautè quisq; prouideat cū quibus ineat amicitiā, quibus cum familiarem conuersationē contrahat. Et quoniā nulla res proximior & vicinior est nobis, quàm propria caro, in eius desi-

deria

derijs (quæ infinita sunt) enutrita corporis furia, quamprimùm dimittitur. Nam quoto numero eorum casus comprehendentur, qui cõcupiscentię stimulis acti, sensuum nocte obscurati, tenebras continuè palpando, proprium ventrem implere curantes, per nulla nõ dulcia suis appetitionibus vagantur? Quocirca scelera Hierusalem notando, primùm fornicationem & idololatriam, quam ex conuicinia Ægypti (quæ tenebra vertitur) exprobrat. & viros magnarum carnium Ægyptios appellat, propter carnis luxuriam, qua cunctas gentes superabant: delitiis regionis, quæ frugum feracissima erat, obcæcati. In quos & similes Basilius sic inquit: Quid differunt hi, qui corporis, vt quam optimè habeat, curam gerunt, animam verò ipso vsuram, quasi nullius rei, negligunt, ab his, qui instrumentorum studio tenentur, artis verò per ipsa operantis negligentes sunt? quapropter in totum vice versa castigare ipsum ac continere velut bestiæ impetus cõuenit: & tu laxato freno voluptatis mentem negligere non desinis, vt velut auriga ab effrenibus equis violenter agitatis, distracta ducatur. Vbi Pythagorę etiam meminisse hortatur: qui vbi didicisset aliquem ex familiaribus sese, & exercitationibus, & edulijs valdè probè saginare, ac carnosum reddere, dicere solebat: Itaq; non desines grauiorem tibi ipsi carcerem parare? Est igitur cura carnis posthabenda, aliàs apertè videbis huius desideria bestiæ, pro annona & rerum affluentia crescere, in eis, quos timor Dei non cohibet, neque eius amor ad bonum quoquo pacto instat: & quod peius est, in Deũ peccare, eiusq; diuinam maiestatẽ offendere, finem sibi constituerunt, vt qui lętantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Hoc enim designans ait: Et multiplicasti fornicationem tuã ad irritandum me. At nunquid ob id Dominus suòrum obliuiscitur? minimè quidem, sed extendit manum suam, id est, punit & castigat. Sic enim ait Dauid: Cũ suos inimicos vlcisceretur Dominus: & si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & super Iram inimicorum meorum extendisti manum tuam. Hoc autẽ fecit, nunc in bonis corporis per morbos & infirmitates puniendo & vexando: nunc in externis bonis terræ fructus auferendo, honorem item lædendo, & aliquando in legitimis ipsis religionis, intellectũ obcæcando, & verbum suum contrahendo, & tandem etiã prauos & sceleratos homines in magistratus, & dignitates euehendo: qui cùm mali sint, contemplatione immaniũ scelerum istorum erubescunt, & rubore penitus suffunduntur. Vide quàm atrocia sint istorum flagitia: Docet autem nos Dominus concutiendo Hierusalem ob Ægyptiam imitationẽ, quàm graui manu puniturus sit, quos similiter errãtes inuenerit, vbi hos caritate annonæ affligit: & insuper filiabus Palestinis quę inueterato odio ipsos persequebantur, se traditurum indicit. Et aduerte alienigenas gentes, filias Palestinas appellare: Forsan quòd finitimæ gentes, perinde ac filiæ (quæ teneritudine masculos excedunt) per morum integritatem Dei iustum cultum, & legitimam religionis obseruationẽ ad bonum reuocandę, & religione, & mandatis Domini instituendę erant, exẽplo & doctrina ab ipsis Hierosolymitanis & Palestinis. Sed Hieronymus eas sic vult appellari, quòd principio lenius solet Dominus castigare, & meliores medicinas adhibere. Verùm vtcunq; sit, vide malitiam illius populi, quàm extra alueum flueret, cùm gentes, quæ sine cultu Dei & religione viuerent, super malitia eorum erubescebant, quam stupidus populus non sentiebat. Et vtinã corruptis moribus, nunc in irriguis pascuis Catholicæ ecclesiæ agentes, paganos ipsos & barbaras gentes non excedamus, quod valdè timeo, cùm tam effrenatè vitiorum campum communiter excurri videam, & Turcas nostros luxuriantes habitus irridentes, atque tanta munitione furentes in nos aggregari.

Basilius in concione ad adolescentes.

Prouerb. cap. 18.

Psal. 137.

Et fornicata es in filiis Aßyriorum, eo quòd nondum fueris expleta. & postquàm fornicata es, nec sic es, satiata, & multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan, & nec sic satiata es.

PEccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit, inquit B. Greg & delicta delictis addendo funes vitiorũ indissolubiles contorquentur. De quibus dicebat ꝓpheta: Funes peccatorum circũplexi sunt me. fons autem omnium, peccatũ carnis est. quo manente indomito, & iugo pœnitẽtię non represso, infinita generatur appetẽdi cupiditas, quia id ingeniũ carnis est vt vna voluptate aliam

Psal. 118.

sibi

sibi obsonetur. Quælibet etenim, nouis allectamentis cupiditatem irritando, aliã & aliam voluptatem vocat,& recenti superueniente alterius voluptatis semper accedit auiditas,ita vt nunquam expleta absq; fine appetat. Atq; hinc nouos auctores,& ditectores criminum quęrit,vt Assyrios (qui directores interpretantur) anxios semper pro nouo delitiarum genere voluptatis, vt si aliquod tandem inueniret,quo expleri posset. Quapropter nec sistit, donec mittat in Chanaan ad Chaldæos. Chanaan enim fluctuatio interpretatur, & Chaldęi dæmoniaci, vt dicit Hieronymus: quod non est aliud quàm mundum ipsum consulere. Cuius lenocinijs pręfecti sunt dæmones,vt quos sensuum voluptates & pastus ostenderit, eos amplectatur. Quod & fecit Hierusalem: Nam Palestina inter Ægyptum & Euphratem situatur,dicente domino Abrahæ: Dabo tibi omnem terram à fluuio Ægypti vsq; ad fluuium magnum Euphratem. Atqui cùm ex vna parte Ægyptios,ex altera Assyrios haberet,vtrorumq; idololatrias, vitia & fornicationes imitata est. Et ad Chanaan item misit, vt deos quos Chaldæi colerent,coleret ipsa,& cultum quo essent colendi à nuntijs acciperet: sed nec sic expleta est, quia nouo accessu voluptatis crescit cupiditas, & infinitum appetit. Verùm nota Christiane lector hîc diligenter,quod Hieronymus aduertit: peccatores nimirùm à complicibus, ex his cum quibus oblectati fuerunt, esse tandem cruciandos & torquendos,& in inferno etiam: quod Dominus hic apertè docet, dum his gentilibus tradita fuit Hierusalem torquenda, & grauissimo iugo seruitutis opprimenda, quorum simulacra adorauit, & quos amatores ad peccandum habuit.

Genes.15.

In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cùm facias omnia hæc opera mulieris meretricis, & procacis? quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea. nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium, sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos. omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum. Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio: in eo enim quod dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contrarium.

EPIPHONEMATE omni malo obrutam Hierusalem concludit: idq; elegãti metaphora: Nam tunc infirmus & medicina & medico eget quando partem aliquam sanam habet, vnde sanitas in cæteras propagetur,& virtutem cõstantem quæ subsidia medici expectet, & recipiat, aliàs & ars superfluet & opera medici illi erit inutilis. Etenim Christianus quiuis cadens in peccatum mortale conteritur, & plaga afficitur: Cæterùm, quia partem sanam seruat, nempe fidem, medicari potest & sanari,per pœnitentiam scilicet. Hæreticus autem & infidelis,quoniam partem sanam nullam in anima habet, nimirùm fidem, incurabilis est,quod docens Dominus dixit: Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum. Anima igitur, cuius cor ita sauciũ est,quòd nec minima pars sanitate viget,qui sanabitur? Vnde ait Dominus: In quo mundabo cor tuum? cùm totum,quasi dicat,infirmum sit,nec pars sana,quæ medicamina amplectatur,restet? Quod triplici argumento demonstrat; primùm ex officio constituto peccandi: siquidem in omni biuio,aut vici capite,& in omni platea ita eius prostitutio & fornicatio manifesta est, vt meretricis quæ in omni publico loco fornicem suam constituerit, & suis voluptatibus idolum patefecerit. Deinde ex immani lasciuia, & infinita cupiditate: cùm meretrices in hoc longè vicerit, quòd vt voluptati à qua superantur,indulgeant, sui corporis operas vendunt,& aliquando spurcitia ipsa fastiditę pretium augent, vt procos deterreant. Verùm tu omni luxuria exęstuans cùm maritum haberes, cui consuesceres, alienos adiisti, & admisisti. & rursus cùm illis stipendia sui erroris dentur,econtra tu mercedem, vt ad te intraient, amatoribus tuis exhibuisti. Et quid mercedem dico? dona ipsa quæ ex me ad viuendum acceperas, ait Dominus, è contra ad mortem destinasti, & ad tuas fornicationes exercendas

cum

cum amasiis impudenter prodegisti. Quare in flagitiis & sceleribus tuis omniũ mulierum consuetudinem superasti, vt nunquam similis tuæ, futura sit fornicatio. Atque talis est conditio & status animæ suis desideriis traditæ, & à Deo derelictę. quem exemplo Hierusalẽ quæ meretricis procacis impudentiam supra modũ in suis fornicationibus, & idololatriis imitata est, fugere nos docet. At dices, in anima quæ in vitiis occalluerit, procacitas & impudẽtia ad peccandum atque fornix & officina, qua exposita est ad voluptates emendas percipitur. Sed quando mercedes ipsa dederit, & dona profuderit, non exactè intelligitur? Mercedes nimirum dat, quando suam castitatem, temperantiam, iustitiam, pudorem, & cæteras virtutes, quibus vestita & culta diu vixit, dæmonibus consecrat, cum fallacibus eorum ministris, omnia hæc perdendo: dona autem prodigit, quando Dei mandata, prædicatorum doctrinam, bonorum hominum exemplum, gratiam, illuminationes, inspirationes, quę vt maritalia munera ad sui custodiam Dominus dederat, spernit, negligit, & cõculcatis omnibus dæmonum factioni se adscribit.

Propterea meretrix audi verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est cor tuum, & reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, & super idola abominationum tuarum, in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis.

QVÆ impendeant pœnæ nimirum sic postremè delinquẽti, explicat Dominus. prius tamen enarrata scelera illi refricat: vsqueadeò amat Dominus nostrorũ memoriam delictorum, vt ea exhorrentes, tanquam à facie colubri fugiamus, & supplicia vitantes ipsi reconciliemur. Quod Sapiens docens, dixit: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatũ: Inquit ergo: Quoniam tuam dotem, & quas in pignus amoris, & in tuam sustentationem arras cõtuleram, prodegisti cum amasiis tuis, omnem ignominiam & impudentiam tuam detegendo: honorem insuper, famam, bonum nomen (quæ hominum contemplatione, veluti fræno concupiscentias proprias coërcere solent) conculcãdo: & ipsos præterea dæmones tuorum amatorum ductores & dominos, morte propria, & aliorum tuorum, id est, bonorum spiraminum, & sanctarum cogitationum, ipsas spernendo, & nihili faciendo, coluisti: ac perinde vt Hierusalem cum vicinis vndique populis commercia tuæ turpitudinis exercuisti, & idola honorasti, sanguinem filiorũ tuorum illis consecrando, aduerte quæ te maneant tormenta. Ecclef. 21. Ecclef. 5.

Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos oderas, & congregabo eos super te vndique, et nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinẽ tuã.

EQVIDEM contrà animam diu expectatam, & in impœnitentia semper perseuerantem, congregat Dominus tam amicos, & duces suorum criminum (vt Chaldęi, Hierusalem extiterunt) quàm inimicos, quorum iudicia & loquẽtiam maximè pertimescebat: imò qui eius sanguinẽ bibere cupiuere, vt Iudææ Philistim, id est, cędenter dæmones extiterunt, qui proprium nomen & famam, quã ad pœnitentiam expectando, diu Dominus conseruauerat, coram ipsis perdat. Etenim videtẽ Dominum, imò potius te, operam eius perdidisse, est ignominiam tuam detegere, & omnibus manifestam facere, turpitudinem peccatorum propalando.

Et iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem, & dabo te in sanguinem furoris & zeli, & dabo te in manibus eorum, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum, & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te nudam plenamque ignominia: & adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladiis suis, et comburent domos tuas igne, et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum, et desines fornicari, et mercedes vltrà non dabis.

EXEQVVTIONEM iustitiæ exprimit, prolata in ipsam sentẽtia. primùm ergo no

iniustitiæ queraris, neque sit, qui tuam condemnationem coarguat: iuxta legẽ promulgatam, & omnibus notam, homicidarum nempe & adulterarum, iudicabo. Nam amicis tuis & inimicis item tuum sanguinem sitientibus torquendam tradã, qui voluptatibus, & delectationibus tuis valere iubentes, fornicem & lupanar iniquitatum tuarum destruent. Atque hoc faciam, aut morbis te continuè cruciantibus, aut tribulationibus, aut persequutionibus, quas immittam per tuos complices, & eos quibus tanquam amicis fidere solebas, angelis prauis ministris meis actos: quibus similes tortores tui existent Chaldæi, qui primùm templum, vbi idola tu ô Hierusalem collocaueras, & expetita voluptate colueras, destruent, deinde vestimẽtis spoliabunt, dæmonibus ministris mandata mea de corde tollẽtibus: quorum adimpletione, vti vestibus, anima quælibet fidelis exornari debet. Rapient vasa præterea decoris, ait, id est, virtutes, earumque opera, quibus tanquam instrumentis in cultu & apparatu Dei cohonestabatur, & ornabatur, vt sic nuda, & ignominia omni plena iaceat. Tertiò multitudini dæmonum tradetur, à quibus lapidibus obruta, saxea eius conscientia penitus fit, vt actus religionis sentiat: & tandem peccatis in corde manentibus, tanquam gladiis ipsam transfigẽtibus, perpetua morte intereat. qua ratione adulteræ & homicidæ pœnas luet spiritaliter, quas corporaliter in exẽplum cæterarum mulierum contra adulteram & homicidam, lex definitas habebat. Numer. 5. Et ita inquit: finis tuis fornicationibus imponetur, vt iam deinceps voluptates antiquas, mercede proposita, ab amatoribus tuis emere nequeas: tu siquidem imponere renuisti.

Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius; eo quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, & prouocasti me in omnibus his.

OBSTINATÆ animæ supplicia claudit, dicendo: quòd amplius nec indignatione vt pater, nec zelo vt sponsus vel maritus, neque ira vt Dominus, iustitiæ eius cupidus, vnquam in eam commouebitur. Quasi dicat, tanquam rebellem & bonis monitis contumacem te derelinquam, nec flagellum manu accipiam, quòd tui cura desperata sit. Vbi notat Hieronymus quantum timẽdum sit peccatum, & eius profundum, ob quod Deus hominem derelinquit, eumque post sua scelera abire permittit, manum suam contrahẽdo. Roman. 1. Quod beatus Paulus cùm interminabilia peccata philosophorum commemorasset, Deumq; non habere in notitia obiecisset, inquit: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non cõueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia. Iob 10. Flagellũ enim, strenuus est vitę custos: quod magni faciẽs beatus Iob dixit: Visitatio tua custodiuit spiritũ meũ: Esa. 28. & Esaias rursus: Vexatio dabit intellectum. & tandem intimans filiabus Israel earum Osee 4. derelictionem & neglectum, dixit: Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulterauerint; quoniam ipsi cum meretricibus conuersabãtur, & cum effœminatis sacrificabant. Cæterùm cùm Babylonica captiuitàs carcerem illum horrendum inferni in sacris literis significet, aptissimè totus ille locus à doctoribus de iudicio illo postremo explicatur, in quo congregatio omnium nationum erit, & etiam dæmonum, qui vsque adeò semper nos oderũt: vbi vt fiscales simul cõparentes, accusationes suas, earũ etiã rerum, quas nihilo pẽdebamus, aduersi, vt inquit beatus Anselmus, nobis obiicient: quo omnibus turpitudo nostrorũ criminum detecta erit, & abstrusa quæque & abscòndita cordis nostri manifestabũ- 1. Corin. 4. tur, vt inquit beatus Paulus. Pronunciabitur deinde sentẽtia contra impœnitentes peccatores, quos iudicio adulterarũ, & effundẽtium sanguinẽ Dñs condemnabit: id est, morti inferni adiudicabit, quam mors corporalis lege definita significabat; atq; protinus cum dæmonibus exequutioni mandabit. qui primũ destruent lupanar & prostibulũ, id est omnia quæ illis delectationi erant: siquidem & ipsi complices peccatorum, & qui pariter oblectamento fuerunt, grauissimi tortores aderunt. Quapropter hìc Chaldæi, quorum idololatriam sequuti fuerunt Iudæi, cum Philistæis qui Iudæos perpetuò oderant, eorundem carnifices designati fuerunt. Ilicò item ait, Denudabunt te vestimentis & vasa decoris auferent, quoniam omnem religionem & virtutes quibus vestiebaris, auferent. Vnde Deum ipsum quòd iudi-

cem ſeuerum ſentiant,odio proſequentur, omnemq; virtutem eiuſque opera,quibus ad ipſum iter paratur.Et tandem multitudini dæmoniorum torquendi in perpetuum tradentur. Quæ omnia ſub vaſtatione Hieruſalem, quam Spiritus ſanctus hîc primùm per literam denunciauit, ſub cortice & velamine nobis ſignificantur. Quomodo autem hæc Iudæis contigerint,hiſtoria ſacra manifeſtat. Nam congregati contra ipſos exercitus Chaldæorũ cum Philiſtæis iuſſu Domini,eos expugnarũt, templum ſuccenderunt, vaſa diripuerunt, domos & ciuitatem totã perdiderũt, multitudine exercitus omnia abſumente:etſi miſericordia & diſpenſatione Domini integrè pòſt reſtituta fuerunt,vt variis Scripturæ locis latiùs narratur.

Quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus: & non feci iuxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis.

PROCVLDVBIO, qui vitam peccatis actam ſemper ob oculos ponit, ad pœnitentiam properat,à peccatis abſtinet,& Dominum contra ſe prouocare,aut contriſtare(vt vertunt 70.)timet. Vnde in ſcelera omnia enarrata incidiſſe Hieruſalẽ Spiritus ſanctus dicit,quia non fuit memorata dierum adoleſcentiæ ſuæ, id eſt nuditatis,& turpitudinis antiquę à qua fuit aſſumpta. Meritò igitur qui opera Dei negligit, in proprium caput,ſua opera in luctum recipit: nec ea ſeueritate, quam iuſtitia poſtulat,ſed quam interueniẽs Dei miſericordia,temperauit. Eſt enim proprium Domini miſereri ſemper & parcere. Quare ſemper punit citra condignum,& ita iuxta ſcelera ſua non extendit manum ſuam in Hieruſalem.

Ecce omnis qui dicit vulgò prouerbium,in te aſſumet illud,dicens: Sicut mater, ita & filia eius. filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum ſuum, & filios ſuos: et ſoror ſororum tuarum es tu,quæ proiecerũt viros ſuos et filios ſuos.

DESPERATA pene iam eſt cura,cùm Domini cauterium vſque ad ignominiam,& amiſſionem boni nominis procedit:non enim id prodigeret,qui ſupra diuitias,& omnem theſaurum æſtimandum nobis præcepit, niſi induratio, & negatio pœnitentiæ(vt inquit Caſſianus) peccatum ad mortem efficeret. Sic ergo peccatis obligata erat Hieruſalem,cùm in prouerbium,& fabellam omni populo eſſet, perinde ac quæuis infamis & abiecta meretrix,de qua dici ſolet: Qualis mater,talis filia.& iterum:filia matris ſuæ quæ proiecit virum ſuum;& ruſus,ſoror ſororum ſuarum eſt.Et in tantum malorum decidit Hieruſalem, vt iure hæc mereretur audire? ita ſanè,ait Dominus. Prouer. 22.

Nam mater veſtra Cethæa, & pater veſter Amorrhæus & ſoror tua maior Samaria, ipſa & filiæ eius quæ habitant ad ſiniſtram tuam: ſoror autem tua minor te,quæ habitat à dextris tuis Sodoma & filiæ eius.

BONE Deus!& quod peccatum eſt,quod non admittat,qui à cultu tuo,& religione recedit?hæretici nobis hoc calamitoſo tempore exemplo ſunt, & longe antè Hieruſalem,omni ſpurcitia & fœditate contaminata,vt hoc loco depingitur. Nam cùm ſuperius receſſum à Deo & religionis contemptum per cultum idolorum memoraſſet,nunc vitia & ſcelera,quæ inde ſequuta ſunt,exponit. Dicit ergo, Mater veſtra Cethæa,&c. Vbi enim creuit ſic malitia, quod totius populi ſcelera in vno quolibet homine reperiãtur,& in vno peccatore,iniquitate & inuidia multi ſunt: multitudinis numero cum vno loquitur:& non mater tua,nec pater tuus vt antè,ſed mater veſtra & pater veſter dicit. Auget deinde rem ab inuerſione ordinis, & à mollicie fœminarum,dicendo: Mater veſtra,& pater veſter,cùm patrem ante prępoſuerat. Diuiſio nanque,vitiorum magnitudinem; ſicut prænominatio fœminæ fornicationem,immunditiam,concupiſcentiam malam,& auaritiam,quod eſt idolorũ ſeruitus,vt inquit beatus Paulus,in intentione primùm habere ſignificat. Præterea ex- Ad Eph. 5.
poſita ratione prioris prouerbij, poſteriorum explicat,ſororum ingeniũ proferendo: ſoror,inquit,minor,& à ſiniſtris Samaria,maior verò & à dextris Sodoma. Principiũ quidẽ malorum Hieruſalẽ, imitatio Samariæ fuit in idolorũ cultura: quare, prior ponitur. Verùm quia religionis fręno excuſſo,quod potiſſimũ in mẽte habuit,peccatis

& sceleribus gentium ventrem vt siliquis porcorũ implere fuit Sodoma, secundo loco ponitur, & à dextris esse dicitur.

Sed nec in vijs earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti, pauxillum minus penè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua, ipsa & filiæ eius, sicut fecisti tu et filiæ tuæ.

EXCVSATIONEM quam producere posset, in medium ponit sacer vates. Imitata est, diceret quispiam, sed longè ab eis defecit. cui ironicè respondet: paulò minus sceleratiora fecisti, &c. est enim nobis frequens figura hæc Hispano sermone, cùm supra modum aliquem peccasse indicare volumus, alteri illũ defendenti cum comparatione exorbitantium hominum proferre. At nec sic contentus Dominus, rem dimittit, sed iuramento firmat: longè Sodomam flagiriorũ ônere supergressam Hierusalem fuisse, & peccata gentium superasse. nec Samariæ in hac collatione meminit, quia illius in abiectione religionis tantùm soror hic proponitur. quod maximo nobis pudori esse debet, non solùm quòd obiiciat paganarum barbararumque nationum peccata superare, verùm ratione peccandi quoquam pacto cum eis conuenire. Vnde Scriptura peccata eiusdem ciuitatis obiurgãs ait: Quare non ambula- (Esdrę lib. 2. cap. 5.) sti in timore Dei nostri, ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris?

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius. Et manum egeno & pauperi non porrigebant: et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, et abstuli eas sicut vidisti.

EXPONIT quæ dixerat, grauiora esse peccata Hierusalem Sodomæ & Samarię, earum peccata narrando. hæc autem superbiam, panis saturitatem, abundantiam, & otium esse dicit. Initium superbiæ omnis, apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit (Eccl. 10.) illum, recessit cor eius, quoniam initium omnis peccati est superbia, inquit Sapiens. alia etiam, non dubium, quin materia & pabulum eiusdem existant. Quod sic expli- (Deut. 8.) cuit Dominus populo suo terram promissionis ingressuro: Caue ne postquã ædificaueris domos, habueris armenta boum, greges ouium, ne eleuetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui. germen enim honorũ & diuitiarũ, quæ religione non infręnátur, superbia est. Arphaxad siquidẽ Rex Medorũ in magna opulẽtia positus, (Iudith 1.) & maiestate amplitudinis ciuitatis, quã ædificauerat, elatus fuit, & gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum. Et infrà, cùm Nabuchodonosor Rex Assyriorũ eum in bello vicisset, sic superbus describitur: Tũc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor eius eleuatum est, &c. Huic autem vitio omnia alia vt instrumenta ad manum artificis sunt, & eidem tanquã domino subseruiunt. Vnde ilico potiora narrantur, quibus vt pabulo item nutritur, atque in primis saturitas panis. Ex effrænata gula omnia peccata, sicut ex fonte perenni, scatu- (Exod. 32.) riunt. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere, & Deum suum conflauerunt vitulum. Et rursus populum illum antiquum, luxu mensarum in pueritiam, imò in infantiam relapsum, ita obiurgat Dominus. Omnes enim mensę reple- (Esaiæ 28.) tæ sunt vomitus sordiumque, ita vt non esset vltra locus. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, quia manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, &c. Vbi vides, si te experientia non cautum reddit, auctoritate Domini firmatum, luxum & gulam in prima incunabula infantiæ homines reddere, ita vt more puerorum paruulorum fari nesciẽtium, qui easdem voces, quas matres nutrices aut gerulæ puellæ dicunt, balbutiẽtes reddunt. Nam perinde populus præcepta & pollicitationes Domini quas Prophetæ annunciabant, veluti ludibrio habentes verba quibus vtebantur, repetebant, dicentes: nõ aliud eos ore versare, quã mãdata Dñi millies reintimare, & spes populi in perpetuũ protrahere, dicendo: manda & remanda, &c. quos vtinã nos non imitaremur, non aliud quàm mandata Domini, admonitionesq; concionatorum ore circũferentes, cutem nostrã solùm curãdo. Tertiũ peccatũ fuit immodica abundãtia.

Vnde

Vnde hic notatur mollicies & immunditia omnis, quæ ex rerum abundantia nascitur. sic enim inquit Propheta Israëlis ingratitudinem exprobrans: Incrassatus est Deut. 32. dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Fertilitas soli nó parum ad otium agit: Vnde quia terra illa Sodomorum & regio omnis circa Iordané, testimonio Loth, erat sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor, vt Genes. 13. inquit Scriptura: inde in otio vitam agere incolæ delegerunt, ac proinde corpori in omni deliciarum genere indulgere. Otium quippe non fert nisi proprias hominis cogitationes: hę autem semper malæ sunt. Ita enim Psal. Nouit Dominus cogitatio- Psalm. 93. nes hominum quoniam vanæ sunt. sed obiter nota circa testimonium memoratú, nec totam terram, nec metaphoricum paradisum, quem Dominos plantauit, esse posse: hic siquidem comparatio terræ fertilissimæ ad illum fit: contra aliquos perperam imaginantes. Et bene item terram circa Iordanem irriguá, & omnis fructus feracissimam memorat: Vnde fluenta ecclesiæ (quæ gratiis cœlestibus continuè irrigatur, & omnis generis fructus iugiter Domino reddit) sacri baptismi aquæ benedictione, pro natura erant. significans deinde Spiritus sanctus, vniuersitatem vitiorum complexos fuisse, quartum illorum peccatum annumerat otium. Vnde temporis occupationem nobis commendans Christus Iesus Dominus noster, de omni verbo otioso in exitu huius vitæ rationem nos reddituros admonuit. Hi autem fa- Math. 12. tui homines, vindictam carnis impij, ignem nempe & vermes esse non timétes, nec communia humanitatis iura considerantes, pauperes contemnont, imò deuorant, Eccles. 7. & vti alterius generis & sortis homines, non curant, sed omnino despiciunt, & cùm abundantes sint, perdunt. ita enim inquit Sapiens: Diues iniustè egit, & fremet, pauper autem læsus tacebit. Si largitus fueris, assumet te; si non habueris, derelinquet te. Etiam diuitis exemplo aptissimo nobis est epulo ille, qui Lazaro omni pauper- Eccles. 13. tate presso ad ianuam suæ domus nunquam succurrit, neque vlcera illius cor eius sauciarunt, quæ canes lambendo, ad commiserationem dispensatione diuina eum inuitarunt. Quapropter post enumerationem dictorum peccatorú, subditur: quòd panem egeno non porrigebant, & quòd eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me. Et abstuli eas sicut vidisti. insinuans, non commisereri pauperum, superbiæ manifesta indicia esse: atque adeo Christus Iesus Dominus noster huiusmodi, tanquam insolentes & inhumanos, in regnum diaboli abituros in supremo illo iudicio dixit, quia misericordiæ opera, ipsi, hoc est, suis pauperibus non impendissent. Quare timendum est, ne sicut Sodomitas illos perdidit, quoniam coram Domino Math. 25. suas abominationes fecissent, ita & nos in peccatis illorum perseuerantes, postremè puniat. Quod per viscera misericordiæ suæ benignus auertat.

Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis, iustificatæ sunt enim à te. Ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.

ALTERIVS sororis nempe Samariæ peccata exponit: quam dicit peccasse quidem, sed eorum scelera, cumulum malefactorum Hierusalem medietate non attigisse: Ex quibus concludit pondere peccatorum longè sorores suas superasse, imò comparatione sui eas iustas euasisse. Quemadmodum peccatum Scribarum & Pharisæorum repugnantium Domino, peccatum reginæ Saba, & Niniuitarum, asserétes Domino Iesu, iustificauit, id est minus esse ostendit. Quare contra eos consurgent in Math. 12. iudicio, & damnabunt eos: iudicio nimirum comparatiuo. Ob quod legitimum est, inquit, vt quæ veluti libera, in calamitatibus illorum gloriabaris Hierusalem, confundaris iam, & ignominiam tuam portes, pœnas peccatis tuis commeritas luendo, similiter ac illæ, quæ minus peccarunt, & quas multitudine tuorum scelerú, iustas esse demonstrasti. Quo loco iterum te admoneo Christiane lector, cósideres quàm profundè decidant, qui à religione & vero cultu Dei deficiunt, vt nec idololatriæ, nec gentes perditissimæ eorum peccata æquare possint. Vt hinc etiam confundátur

Aug. lib. contra epistolam Manichæi quę dicitur fundamenti.

Ioan. 1.

hæretici,& suas cõfusiones videndo in mentē redeāt: nec nos è manu Dei lapsos cõsiderantes miremur, cùm vniuersum malū eos excurrere viderimus. Vnde August. Illi in vos sæuiant, qui nesciunt cum quo labore verum inueniatur, & quàm difficilè caueantur errores: illi in vos sæuiant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt possit intueri solem suum: non istum quem colitis cœlesti corpore, oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem, atque radiantem, sed illum, de quo scriptum est per Prophetam; Ortus est mihi iustitię Sol: & de quo dictum est in Euangelio: Erat lumen verum, quod illuminat omnem animam venientem in hunc mundum: illi in vos sæuiant, qui nesciunt quibus suspiriis & gemitibus fiat, vt ex quantulacunque parte possit diligi Deus. Hæc Augustinus. vt non eorum irrisores, sed reductionis & salutis procuratores diuinam clementiam orationibus pulsantes existamus.

Et conuertam restituens eas conuersione Sodomorum cum filiabus suis, & conuersione Samariæ & filiarum eius: et conuertam reuersionem tuam in medio earum, vt portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus quæ fecisti, consolans eas: & soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam: & Samaria & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam, & tu & filiæ tuæ reuertimini ad antiquitatem vestram.

Abac. 3.

Eccles. 2.

IN medio tribulationis misericordiæ recordatur Dominus, vt Propheta dixit: Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Vnde & igne tribulationis proposito, liberationem, & coronam futuram patienter sustinentibus demonstrat, vt animum non despondeant, labores nunquam finiendos existimantes, & spe euasionis recreati maiori animo eos sustineant. Ærumnæ enim, calamitates, & angustiæ cuiusuis generis tribulationis, quibus flagellantur homines, Domini miserationes existūt, quia non perdere, sed castigare, & vt pius pater ad probitatem reducere curat. Quod Sapiens edocens, dixit: Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius, & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Conuertet ergo Dominus conuersione Sodomorum & filiarum eius, Samariæ & filiarum eius: & conuersionem etiam, id est Iudęorum, in medio eorum. Quamobrem, inquit, necessarium est, vt quæ grauius, & impudentius peccasti, ducta in captiuitatem confundaris, & ignominiam tuam sustineas, & consolationi, illis patientibus, sis: nam solatium est miseris socios habere pœnarum: atque ita probata iustè liberationem & coronam assequaris. Verùm aduerte, quòd non dicit, conuertam captiuitatem Sodomæ, sed conuersionem, quoniam ad hoc Dominus punit, vt conuertat, & conuersionem suam Domino cooperante, ipsi se ad Dominum conuertant: Nam stupidos, desidiosos & ad suam salutem nihil cooperantes homines, Deus non conuertit. Prætereà dicit, quòd reuertentur ad antiquitatem suam. Videndum est quæ sit antiquitas, aut quæ sint priora illa ad quæ Sodoma & Moabitæ, atque Amonitæ filiæ eius (quia Sodomæi sunt, ex liberis Loth descendentes) & quæ sint priora & antiqua illa, ad quæ redibit Samaria etiam, & villæ eius siue filiæ; & ad quæ similiter euadet Hierusalem. non sanè materialiter accipienda sunt hæc, quòd ciuitates illæ Sodomorum solo æquatæ iterum erigantur, & refloreat terra illa, quæ erat sicut paradisus Domini: & populus Israël totus colligatur, & in aduentu sui Messiæ dispersus coadunetur, vt Iudæi somniant: neque rursus, vt hæretici quidam volunt, quòd tam gentes, quàm Samaritæ & Iudæi ad cognitionem legis naturalis, sub qua homo conditus sit, & quam per peccatum amisit, tandem redibunt per Christum: qua ratione dicunt saluandos esse. Non enim verum est hominem lege naturali tantùm munitum, in lucem à Domino editum, sed sub gratia & dono iustitiæ originalis, qua à morte corporis præseruaretur si perstitisset, & à concupiscentia mali, oculis mentis ad id obtectis, super cœlesti dono.

Genes. 3.

Vnde verè primos illos parentes decepit serpens: Aperientur, inquiens, in quocunque die comederitis ex eo oculi vestri, dum prætextu boni malum ingens inordinationis naturæ in homine, consuluit. Et quis dubitabit, hominem obliquum, & in sensus, atque in corpus, vti in propriam domum,

propen-

propensum, pura etiam ipsa constitutione naturali nasciturum, & in contraria & pugnantia cùm ex aduersis constet, proditurum? Cui pugnæ obuians Dominus (Eccles. 7.) fecit hominem rectum, id est, dono supernaturalis iustitiæ originalis munitum ac erectum. Cùm enim tam excellens Dei factura sit homo, non in variis, sed in vno primo obiecto, hoc est, in se, & ad seipsum omnes eius actus perpendere decuit, vt dono illo supernaturali fecit, multitudinem cogitatuum hominis ad se primùm vocando. Quod nos docere intendens Sapiens, dixit: Fili ne in multis sint actus tui. & infrà eodem loco: Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt. (Eccles. 11.) Depressio enim erroris & mentis obscuritas, animæ accrescit, corpore tanquam carcere creatæ, non minus ante peccatum, si subtrahas donum, quam pòst infecta natura: quod testimonium dicit, cùm peccatoribus concreata hæc asserit, hoc est hominibus. Non enim creationem hominis, ante peccatum & post, aliam & aliam facit ex parte sua auctor Deus: sed quòd primo peccato inficiente naturam, originis peccatum ex natura contrahamus. Quod luculenter diuus Augustinus præfatam auctoritatem Sapientis tractans statuit (Aug lib. de ciuitat. 14. cap. 4.), ita enim ait: Quia homo ita factus est rectus, vt non secundum seipsum, sed secundum eum à quo factus est viueret, id est, illius potiùs quàm suam faceret voluntatem: non autem ita viuere, quemadmodum est factus, vt viueret, hoc est mendacium. Et rursus super eundem locum sic ait (Aug. c. 11.): Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc bonæ voluntatis. non enim rectus esset non habens bonam voluntatem. bona igitur voluntas, opus est Dei. cum ea quippe à Deo factus est homo. Mala verò voluntas prima quæ omnia mala opera præcessit in homine, defectus potius fuit ab opere Dei ad sua opera, quàm opus vllum. hæc sanctus. Ex quibus cum hominem secundum se viuere, ponat mendacium, & non secundum rectitudinem, qua creatus est viuere: & item malam voluntatem, malam in sua opera propria, defectum ab opere Dei asserat, rectitudinem illam in dono Dei, gratiæ aut iustitiæ naturę superadditam posuisse patet. Et cap. 17. eandem sententiam apertius affirmat, ortum libidinis (quæ naturalis constitutionis hominum, sicut cæterorum animalium pedisequa est) ponendo, & gratiam in paradiso asserendo, sic enim ait: Meritò huius libidinis maximè pudet, meritò & ipsa membra, quæ suo quodam (vt ita dixerim) iure, non omnino ad arbitrium nostrum mouent, aut non mouent, pudenda dicuntur: quòd ante peccatum hominis non fuerit. Nam sicut scriptum est, Nudi erant, & non confundebantur, non quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam, sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat: & infra super illud. Et aperti sunt oculi eorum postquam probauit, quòd in paradiso non erant cæci, subdit: Patebant ergo oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti, vt cognoscerent, quid eis indumento gloriæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde esset indecens nuditas: & fecit attentos, reddiditque confusos. Itaque concludit: Aperti sunt oculi eorum non ad videndum, nam anteà videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quo ceciderant: Vnde & ipsum lignum eo quòd istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, vt appellaretur lignum scientiæ boni & mali. Et ca. 19. probando, ante peccatum reuisum, & repugnantiam libidinis ad voluntatem non fuisse, quod & latè in sequentibus capitibus facit, affirmat hominem ex sua pura constitutione naturali contra rebellionem carnis & spiritus sanum non esse; ait: Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur (ira scilicet, & concupiscentia) vnde necesse esset eas rationis tanquam frænis regentibus abstinere. Nam quòd nunc mouentur: & ab eis, qui temperanter & iuste & piè viuunt aliàs facilius, aliàs difficilius, famem cohibendo, & refrænando, modificantur. Non est vtique sanitas ex natura, sed languor ex culpa. Quibus error istorum impostorum totam tranquillitatem & hominis pacationem, puræ naturæ hominis primi tribuentium absq; dono gratię, apertè refellitur. quem nō minus elidit Dominus, cùm

Sapient.1. dono iustitiæ creatos homines in initio mundi sic dicit: Creauit enim vt essent omnia; & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii, &c. Vbi exordia mundi salutifera discis, & medicamẽtum contra mortem peccati ibi fuisse datum. nec minus etiam errant in eo quod secundo loco obiiciunt: lege naturali tandem homines saluandos. est quippe pessimus error, & manifesta hæresis ab ipso tenascentis ecclesiæ tempore eidem repugnans, vt constat ex traditione sanctorum: & latissimè simul & dignissimè in Conciliis Mileuitano & Tridentino condemnata est: definientibus, neminem per legem naturalem saluari posse. Restituitur ergo Sodoma ad antiquitatem suam per confluxum gentium ad ecclesiam, quarum nomine, Sodomitis fuit promissio, vt dicit beatus Hieronymus. Per fidem enim Christi Iesu gentes ad ecclesiam venientes creatoris sui cognitionẽ acceperunt, & plenam simul legis naturalis cognitionem. Et in hanc dignitatẽ, quæ vsque ad finem mundi gentes sic venient & assurgent, quam extra ecclesiam plenè, & integrè habere est impossibile: vsqueadeò humana natura per peccatum debilitata & conturbata est.

Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiæ tuæ antequã reuelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Samariæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum, quæ ambiunt te per gyrum.

Horat. TVNC tua res agitur paries cùm proximus ardet, dixit ille. Si Hierusalem punitionem illam celebrem Sodomorum præ oculis habuisset, non in tantum peccatorum fundum corruisset, vt furentibus Assyriis, malitia eius flagello feriente, reuelaretur & detegeretur. De his autem, qui recordantur, elapsa occasione, cum tribulis & laboribus tunduntur, meritò dici potest: serò sapiunt Phryges. nã etsi pœnitentia in hac vita semper tempestiuè veniat, (vt sanctus Dauid docuit, dicen-
Psal. 31. Hebr. 4. do: Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tẽpore oportuno. Et beatus Paulus: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in tempore oportuno. quod sanè totum huius vitæ tempus est.) retardata tamen, flagellum quod Dominus destinauerat, non euaditur. Vnde beatus Petrus Domini iudicium semper impendere, temporibus Noë diluuium, & Sodomorum incendia memorando, peccata & praua opera cauere docet.

Scelus tuum & ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus. quia hæc dicit Dominus Deus tuus: Et faciam tibi sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum: & recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescẽtiæ tuæ, & resuscitabo tibi pactum sempiternum.

SVPERBIAM lapsuum omnium Hierusalem recensuit, simul & causam, quia punitionis nempe sororis suæ Sodomæ per id temporis non meminerit: nunc daturam pœnas & portaturam ignominiam iuxta merita suorum scelerum manu Chal-
Psalm. 87. dæorum dicit Dominus. Verùm quia nunquam cõtinebit in ira misericordias suas, nec obliuiscetur misereri Deus, non ad extremum flagellum extendet. secundum quod Dauid dixerat: Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei: disperge
Psalm. 58. illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. habent Iudæi, ait Augustinus, hoc loco codices de quibus prophetatus est Christus, & nos Christum tenemus. vt quando paganis dixerimus prophetias de Christo, quarum euidentiam obstupescunt, & admirantes putauerint a nobis esse conscriptas, de codicibus Iudæorum probemus, quia hoc totum dictum est. Fuerunt enim Iudæi Scripturę depositarij. Quare subdit idem sanctus: Depone eos siue deduc eos, id est, sic eos disperge, vt non deferas eos, ne quando obliuiscatur legis tuæ: & in eo ipso me protegas: vt de ipsorum dispersione testimonium habeant misericordiæ tuæ. ob quod non excidetis omnino, inquit, nec mea promissa cadent, & si vestra merita id exigerent, quia irritum fecistis iuramentum meum, id est, promissionem meam de futuro saluatore, quam iureiurando firmaui. Dum enim eam neglexerunt, neque ea ad suam salutem vsi fue-

vsi fuerunt, irritam sibi proculdubio fecerunt. Et pactum meum, id est, legẽ meam, quam passim violastis: Verùm recordabor fœderis, quod pepigi tecum in adolescẽtia tua, hoc est in monte Sinay, quando de Ægypto egrediebaris. hoc pactum Euãgelij sanè fuit, quod non immutabitur, neque ipsi alia lex succedet. Vnde pactum sempiternum appellatur.

Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis cùm receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis, & dabo eas tibi in filias, sed nõ ex pacto tuo: & suscitabo pactum meum tecum, & scies quia ego Dominus, vt recorderis, & confundaris & non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti: ait Dominus Deus.

MAGNA pietas Domini, inter ipsa flagella, inexhaustam suam misericordiam nobis ostendit, vt si castigationibus obsurduerimus, magnificentissimis saltem beneficiis propositis expergiscamur. tribulato quandoque patientiam administrans, atque oppresso auxilium præbens, & Hierosolymitanos vastatione Assyriorum visitans, & redemptionem per Christum Iesum promittens, beneficia immensa Euangelij impignorat. hoc autem, vt recordatione viarum, id est, scelerum suorum, confundatur: beneuolentiam Domini experiendo, qui perdi & ad nihilum redigi omnino merebatur. Nec vtcunque muneribus gens illa amplificatur, sed mirũ in modum & cum inuidentia omnium nationum: Nam mater promittitur futura suarũ sororum, maioris Sodomæ, & minoris Samariæ. Atque completum fuit: nam Apostoli ex Iudæis electi proceres Ecclesiæ duces extiterunt: quorum prędicatione, ex gentibus congregata est, quas Sodomitæ retulerunt, & ex Samaritis, qui à fide Iudæorum defecerant. Hoc autem totum fiet, inquit Dominus, non ex pacto tuo, id est, non ex obseruatione pacti, & tuo merito continget: aut rectiùs, nõ virtute legis, qua gloriaris, sed ex virtute Euangelij quod ego promisi daturum. Et cùm videris recordaberis meæ promissionis, & me fidelem in omnibus experieris, & me tibi placatum senties, & confunderis, id est pudefies, & conturbaberis, cùm ostium aperire non poteris ad te excusandum, & me incusandum: cùm te tibi ipsi defecisse videbis, & me super veritate & misericordia omnia promissa adimplentem.

CAPVT XVII.

ET factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israël: & dices: Hæc dicit Dominus Deus, Aquila magna magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, summitatem frondium eius auulsit, & transportauit eam in terra Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam.

RVDEM populum non oportuit aperta prædicatione docere, sed figurata locutione præceptis literæ astringere. Atque ita Spiritus sanctus, infirma adhuc sapientes, sub apertorum verborum caligine, quasi pannis infantiæ obuoluit; vt mandatis crassioribus ligati crescerent, ne malè liberi, iussis voluptatibus perirent. Nõ enim carnalis vitæ mentes vsui inhærentes euelli ab intimis possent, nisi gradatim ducta prædicatione proficerent. Quapropter ænigmatizare, & parabolizare (vt vertunt Hebræi) iubetur hic Propheta, id est, sub parabola, & ænigmate Iudæis loqui, vt sensus literæ & historiæ ad manus omnium perueniret, sicque conseruaretur: mysterium verò & spiritalem sensum sapientiores inquirerent. Quod fecerunt, vt Talmudistæ tradunt, qui historicum sensum & literæ rem paruam, spiritalem verò, magnam affirmant, & illum exemplum & candelam esse dicunt, quæ minimo quadrãte, aiunt, emitur: Istum autem certitudinem legis, & margaritam appellant obscuris in ædibus latentem: quæ tandem per literalem, vti per candelam & exemplum à

quærentibus inuenlatur. Proposita ergo in initio parabola, diuinus spiritus in hoc capite docet, frustrà niti quempiam iræ Dei excitæ resistere, nisi per pœnitentiá: Regna irem mundi, non prudentia humana surgere, & infirmari, sed diuino consilio: & tandem regnum Christi, omnibus destructis, in gentibus futurum. Pertinaci peccato, & perfricata fronte peccauerat populus ille: tamen quia pœnitentiam respuit, & viribus & potentia sententiam Domini reuocare contendit, dicentis per Hieremiam: Pro eo quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas nationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor seruum meum, & adducam eos super terram istam, &c. Neutiquam id assequi voluit: dum semel & iterum per Ieconiam, deinde per Sedechiam id procurauit. Ieconias namque primùm opulentia sui regni florens, tueri se & suos ab exercitu Nabuchodonosor aquilæ illius magnæ confidens, captiuus ductus in Babylonem fuit: & deinde Sedechias baculo Regis Ægypti suffultus, expugnatus fuit, & populus eius dispersus, omni industria humana eneruata. Et denique gentibus superantibus, quia regnum Christi, id est, ecclesia ex gentibus congreganda erat, prædicitur & obumbratur. Persistentibus ergo Iudæis in duritia cordis sui, Nabuchodonosor acerrimum eorum hostē Hierusalem & templum vastantem, ob oculos proponens, potentiá, & rem gestam omnem; deinde, quî victoriam adeptus est, & regno illo dominatus, describit, ac si res integra quando hæc Prophetæ reuelata sunt, & absoluta esset. Potentia igitur eius primum nomine aquilæ significatur, quæ rapacium omniũ auiũ princeps est, & vt omniũ imperatrix altiùs volat, & sublimiori loco, nidum suum constituit. Aquilæ enim vocabulo, potestas terrena figuratur, inquit Gregorius, lib. 31. Moral. cap. 33. Vnde Prophetæ dicitur de hac eadem re. In gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini: id est, quasi hostis iam sit super templum Domini. Deinde à magnitudine sui exercitus: fuit enim magnarum alarum, quia miræ magnitudinis, in quo omnium nobilium & magnorum dominorum numerus conuenit, quod est, aquilam magnorum membrorum ductu esse prædictam. Et omni opulentia atque ornatu, & elegantia itē incessit, quod est plumis & varietate omni, hoc est, armis defensiuis diuersi generis, aquilam hanc distinctam esse. Sic autem munitus hostis venit Libanum, id est, ad tēplum Hierusalem: loco enim Libani templum vertit paraphrastes Chaldæus Zachariæ 2. cap. Aperi Libane portas tuas. Et tulit medullam cedri, ait: quia pretiosa omnia & optima quæque, quæ in templo continebantur, & intra cedrina illa ligna quibus fabricatum erat templum, & eius amplitudini, & diuini cultus maiestati reseruabantur, abstulit & diripuit. Et duxit insuper captiuum Ieconiam Regem in terram Chanaan, & in vrbem negotiatorum: qua periphrasi Babylon significatur. Est enim hic Chanaan, nomen appellatiuum, vt idem sit, quod negotiatio: Nam vt est proprium, eorum est, qui terram promissionis coluerunt. Atque hinc negotiatorum vrbs Babylon dicitur, quia mercatoribus & negotiatoribus vndique confluentibus habitabatur. Hanc autem captiuitatem significat dicendo: & summitatem frondium eius euellit. facit quippe ciuitatem proceram arborem quandam, quę nobilibus & populo tanquam ramis & frondibus constet. & summitate etiam, siue cacumine: vt regiæ dignitatis regisq; altitudinem & fastigium denotet.

Hiere. 25.

Osee 8.

Et tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro semine, vt firmaret radices super aquas multas: in superficie posuit illud. cumq; germinasset, creuit in vineam laticrem, humili statura respicientibus ramis eius ad eam, & radices eius sub illa erant: facta est ergo vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines.

POTITVS victoria rex Babylonis, pro Iechonia, quem abstulit, Sedechiam ex progenie regia in regem suo nomine suffecit. atque ipso táquam semine iacto, quod in magnam frugem solet assurgere, radicem super aquas multas, id est, omnes Iudæ populos firmare contendit: & ideo insuperficie posuit illum, quia illius nomine tantùm, & eidem tributarius Iudæorum regno præerat, tanquam citò etiam amouendus. Hac itaque ratione Iudæorum regnum florentissimum, magnum fecit casum é di-

ſum è dignitate & gloria præcedentium regum decidens. Quod ſatis Spiritus ſanctus explicat, cùm Cedrus in vitem, & mons Cedrorum in vineam euaſerit, Sedechia ex Cedri ſemine ſuperpoſito, à natiua indole degenerante: Vnde dicit, regnum illud factum eſſe vineam humili ſtatura, vt ſunt vites. Et creuit in vineam, ait, latiorem, quia dilatata eſt pluribus populis dominando: ſed tam palmites, id eſt, nobiles & principes, quàm radix, id eſt rex, ad aquilam, hoc eſt, ad regem Babylonis reſpiciebant: quoniam illi ſubditi erant, & ſic protulit ramos maiores, & ramuſculos, id eſt, diuitiis affluxit, & filios procreauit: Temporalibus enim bonis tempore Sedechiæ regnum illud, Babylonis Regi ſeruiens, redundauit. Quod notans Dominus, dicit: Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt, & vir Iuda germen delectabile eius. Et regius Vates item de Vinea hac diſſerens, ait: Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Eſaiæ 5.

Et facta eſt altera aquila grandis, magnis alis, multiſque plumis, & ecce vinea iſta, quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam: vt irrigaret eam de areolis germinis ſui, quæ in terra bona ſuper aquas multas plantata eſt, vt faciat frondes, & portet fructum, vt ſit in vineā grandem.

Ex voto Sedechiæ Regi bonis ſuppetentibus, regnoque amplificato, iugo Babylonis Regis humerum ſubducere procurans, Regi Ægypti ſuppetias petiit, eiq; contra Nabuchodonoſor fœderatus eſt. hoc autem, perſtans in metaphora vineæ, Propheta indicat: quaſi verè vinea eſſet, quæ radices extendiſſet ad Ægypti terminos, irrigationem Nili, quæ proprios campos excederet, requirens vt frondeſceret, ferret fructum, eſſetque vinea per ſe egregia. Vbi deſcenſus hominis ad inferni latebras, ſemel diabolo aduerſisq; poteſtatibus ſubiecti perſpicere licet. Non enim aliud inueterator ille omni induſtria contendit, quàm Chriſtianæ animæ gratiam, charitatem, cogitationes bonas, & optima quæque ſtudia tollere. Quod eſt medullam cedri auferre, & item finem vitæ, & intentionem rectam, quæ cogitationibus bonis & cunctis ſtudioſis actionibus præſidet, ſicut rex in regno, vt ramorum cacumen euellere. Quo adepto miſer homo ſpiritualium bonorum loco, temporalia aſſumit, in ipſisq; augendis totam figit mentis intentionem, vt in quibus vitæ fiduciam conſtituerit. Atqui cùm totus in re familiari amplificanda poſitus ſit, in eaque retia diaboli parētur: cùm opes & diuitiæ, eſcæ ſint, quibus ineſcare homines contendit: vt impudenter Domino Chriſto Ieſu decertans auſus eſt dicere: Hęc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me: neque otioſus eſt, nec lapidem quem non moueat, ad ſuum opus cōficiendum prætermittit, Domino permittente. Dilatatur & augetur ſic degener homo, & cum pace ſuorum delectabilium viuit: quorum ſomno vſque adeo Domini Dei ſui obliuiſcitur, vt ad ſua deſiderabilia coaceruanda, ad mundum confugiat, honores magnos, dignitates & ingentes opes petendo. Quod Sedechiam hoc loco feciſſe legimus, ad Regem Ægypti deſcendendo, contra præceptum Domini inhibētis deſcenſum ad Ægyptum, quòd baculus arūdineus eſſet, vt inquit Dominus: Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum; cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Et ruſus: Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes. Matth. 4. Eſaiæ 36.

Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergóne proſperabitur? nónne radices eius euellet? & fructus eius diſtringet? & ſiccabit omnes palmites germini eius, & areſcet, & nō in brachio grandi, nec in populo multo vt euelleret eam radicitus? ecce plantata eſt, ergóne proſperabitur? nónne cùm tetigerit eam ventus vrens ſiccabitur, & in areis germinis ſui areſcet?

Spiritvs ſanctus ad deridendum inſanum hominem, qui ſic à Deo auertitur, cunctos inuitat, & hoc inuulgare præcipit Prophetæ, dicens: Ergóne proſperabitur huiuſmodi? minimè rerum. Nam Deus euellit radices eius, decerpet fructum vitæ

vitæ,siccabuntur diuitiarum palmites,& arescet omnino: idq; non multo negotio, sed solo Dei verbo & iussione,cùm in infernum per mortem descendet. Atque per anticipationem,(quoniam diceret aliquis,potentis huius fautor: quòd firmiter plantatus & stabilitus diuitiarum & amicorum potentia, saltem sua opinione erat) respondet Spiritus sanctus: Ergóne prosperabitur? quasi dicat,& quid valet consilium humanum,& hominis industria,vt diuinæ prouidentiæ resistat? nihil prorsus. Cùm Domini minister accesserit mors & infernus,nemo è manibus rapiet prædam.vt factum hoc loco refert Propheta sanctus. Nam neque opes neque nobilium potentia, quæ vt palmites vitem,populum muniebant,neque ad exterum regnum,Ægyptum nempè,confugium,saluare poterunt. Neque rursus propria opinio & existimatio firmitudinis & stabilitatis efficere potuit,vt Sedechias, Nabuchodonosor vindici Domini,diabolumque inueteratum hominum hostem referenti,obsisteret, quin omni facilitate, quia Domini nutu ad eam rem gerendam,mittebatur, potentiam illius superauit,ipsumque regem & filios rapuit, in suamque ciuitatem captiuos transtulit. Imo tanquam ventus vrens aquilonaris,confidentiam suam in Ægypto fregit, areas siue sulcos arearum, quibus vt ductibus quibusdam rigantur olera, arefaciendo,cùm ipsum debellauit, robur abstulit, & florentem vim regni Iudæorum inarescere fecit.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? dic: Ecce venit Rex Babylonis in Hierusalem; & assumet regem & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem, & tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus, & ab eo accipiet iusiurandum: sed & fortes terræ tollet, vt sit regnum humile, & non eleuetur, sed custodiat pactum eius, & seruet illud: qui recedens ab eo, misit nuncios ad Ægyptum, vt daret sibi equos & populum multum. nunquid prosperabitur vel consequetur salutem qui fecit hæc? et qui dissoluit pactum, nunquid effugiet? viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius irritum fecit iuramentum, & soluit pactũ quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur, & non in exercitu grandi, neque in populo multo, faciet contra eum Pharao prælium in iactu aggeris & in extructione vallorum, vt interficiat animas multas. Spreuerat enim iuramentum, vt solueret fœdus, & ecce dedit manum suam: & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet. propterea hæc dicit Dominus Deus: Viuo ego, quoniam iuramentum, quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius, & expandam super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi: in præuaricatione qua despexit me, & omnes profugi eius cum vniuerso agmine suo gladio cadent, residui autem in omnem ventum dispergentur. & scietis quia ego Dominus loquutus sum.

QVÆ exemplis & similitudinibus proponuntur, vel ipsa propositione se in scriptura commendant. Etenim inuolucra quibus res teguntur, cùm sensuum loca sint, sunt etiam viscus, & glutinum memoriæ, quibus eidem res obtectæ, agglutinantur & inuiscantur. Vnde Dominus Iesus Christus Christianæ vitæ rationem, in nostra potestate sitam esse demonstrans, sub parabola agricolæ semina in bonam & minus bonam terram atque sterilem iactantis, proposuit: & nunc sub similitudine Aquilarum prædam Regis Sedechiæ, & interfectionem filiorum cum expugnatione ciuitatis significat. Quæ rursus exitus, & finem eorum qui vita & moribus à mandatis Domini elongantur, vt expositum est, oculis subiiciunt. Verùm in expositione parabolæ tria aduertenda sunt: Primùm, quòd præter antiquam querelam idololatriç, & sequentium flagitiorum, vt suprà commemorauit, regem & ciuitatem perditurus esset,

esset, eã nunc reticendo, fractionem fœderis, & iurisiurandi, quo Nabuchodonosoro Sedechias adstipulatus fuerat, cōmemorat: nō alia sanè ratione quam vt ingeniū peccatoris promat, qui dū sibi filius remedia quærit, in maiores inauspicatò decidit hiatus & voragines. Secundū est, adiutores omnes & peccati cōplices, qui suppetias ad id perpetrandum dederint, ipsius tortores & iustitiæ diuinæ executores futuros. Cōcurrerat enim Rex Ægypti Pharao cū Sedechia contra regem Babylonis, vt è Iudæorum terminis eiicerent. atq; cùm cōtrà res euenisset, vt superior hostis euasisset, non ipsi victoriā contra Sedechiam tribuit Dñs, sed Regi Ægypti eius adiutori. sic enim interpretatur diuus Hieronymus, referendo illud: non in grandi exercitu, & in populo Esaiæ 19. multo faciet contra eū Pharao prælium, sed in iactu aggeris, &c. Cæterùm alij non minùs aptè ad captiuitatem referunt Regis Sedechiæ, qui cū paucis in Reblatha captus fuit, & exoculatus, filiis interfectis, vt sic captiuus in Babylonē duceretur eā non Ierem. 34. videns, iuxta Domini sententiam, Et intrabis Babylonem, & non videbis eam. Tertium, quod hic aduertere licet, notat diuus Hierony. fidem scilicet iuramento interposito hostibus seruandam esse. Quoniam fœdifragus etsi fœdus, & amicitiā, quam cum hoste iniuerat, iniustè violauerit, tamen iusiurandum transgrediendo impius fuit, & iniuriam irrogauit maximam Deo, cuius nomine iuramētum interposuit, & promissa firmauit. quod expressit Dominus, nomine retis & sagenæ exercitum Babylonium comprehendendo, quo expugnauit regem Sedechiam, cùm ait: Et adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum ibi in præuaricatione qua despexit me. Vbi recogitet anima Christiana, quæ Dñm in præuaricatione, impœnitens despexit, & fœdus legis & votū, quo in baptismo se astrinxit, quòd similiter omni proculdubio, apud inferam Babylonem Christianis luminibus exoculata, pœnas æternū luitura sit.

Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla Cedri sublimis, & ponā de vertice ramorum eius: tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem: in monte sublimi Israël plātabo illud, et erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, et vniuersum volatile sub vmbra frondiū eius nidificabit.

DOMINVS qui ideò flagellat, vt saluet, inter flagella proculdubio misericordiæ suæ recordatur. Vnde captiuū genus humanum à rege infernę Babylonis, Christum Iesum Dominū nostrum, & mundi redemptorē qui Babylonium illum hostē expugnet, in carcerem detrudat, & prædā capiat, e morte suscitat. Fuit sanè Dominus Iesus verus Dei filius, prosemmatus homo, plantula minima, qui processu ætatis nō solùm in arborem frondosam, sed magnā & elegantem vti cedrum, euasit. Quod & Rabbi Salomon ex Hebræis doctissimus sentit: sic enim ait: Sumā ego summitatem Cedri, regem scilicet Messiā; tenerum distringam siue carpam: non enim, ait, est via ad miserendum nisi per tenerum, qui est crescens, conglutinans, atq; constrictus. Vbi Galat. In quibus euidentissimè tangitur diuinę pietatis teneritudo & in trunco humanitatis, diuinitatis insertio, ac fructuosa plantatio. Vnde, vt ipse de se dicit: vsque adeò humiliatus est, vt grano sinapis se conferat, quod cùm minimum sit inter olera, Matth. 13. in arborem crescat mirabilem, in cuius ramis volatilia habitent, nidificent, & populos atq; fœtus suos procreent. Etenim sub vmbra sui corporis, ecclesiæ nempe, requiescunt Christiani. qui fide generantur, euangelij lacte nutriūtur, charitatis pane per bona opera augentur, & spei gradibus in magnas se arbores attollūt, quæ fructus deferant gustui Domini suaues. Hæc autem hoc loco Spiritum sanctum nos docere apertè intelliget, qui sacras literas versare diligenter solet: quod diuus etiam Hieron. sentit. Sub typo enim Zorobabel, qui cōpletis captiuitatis annis, à Domino suscitatus est, vt tanquā dux & sacerdos templū Hierusalem rędificaret, ciuitatem instauraret, Esdræ 1. eidemq; præsideret. quod & nomen ipsum notat: Zorobabel quidem alienū à confusione significat; Quoniā sicut ipse cum suis a confusione Babylonis fuit liberatus, ita Christus ab omni cōfusione peccati alienus, & faucibus mortis ereptus, ab inferni confusione suā Ecclesiam redemit, & eam reædificauit, gentibus ad eam confluētibus. Quæ non solùm media plebe agentes, confusionis tenebris obrutæ fuerūt, sed & sapientes ipsi philosophi, qui non de agris & domibus vel quacunque pecuniaria ratione, sed de iis rebus, quibus miserè, aut beatè viuitur, de inuenienda inquā via,

qua accommodatè ad beatitudinem capessendam viuendum esset, quam maximè dissenserunt,& cōfusi sunt, quòd humanis sensibus & rationibus ista quęrerēt. Quid enim agit, aut quo vel qua se porrigit humana infœlicitas, nisi ad confusionem, si diuina non ducit auctoritas? Confusionis igitur intellectuum, & morum omniū gentium, Babylon illa dux extitit: à qua exemptus Zorobabel, qui nepos fuit Iechonię, de semine Cedri sublimis dicitur hîc assumptus,& in Hierusalem monte excelso, sicut plantula collocatus, quæ creuit in arborem magnam,& elegantem cedrum. regnum siquidem Iudæorum restituit, atque sub eius protectione quieuerunt, & domos suas ædificauerunt. vnde subdit.

Et cognoscent omnia ligna syluarum, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus loquutus sum & feci.

Qvia Iudæi qui arbores agri aut regionis dicuntur, Dñm Deū suum recognouerunt, qui sublimē arborem Sedechiā regem nempe deiecisset, & humilem scilicet Zorobabel eleuasset: sicq; viridem arefecisset,& aridam refrondere fecisset. In quo rursus, deiectio populi Iudaici, & gentis per Christum assumptio planè insinuatur. Verùm antequam ad sequentia gradum faciamus, aduertat hic lector, quòd quādo Dominus flagellum prædicit, manum admouet, semper infert: & scietis quia ego Dominus. At tamen quando misericordiæ oculos pandit, frequentius titulū geminat: Ait enim, Hæc dicit Dñs Deus, vt Deum misericordiæ nomiē proferat,& nullus adeò demens sit, quòd sibi applaudēs misericordiā à Domino absque iustitia speret.

Capvt xviii.



Et factus est sermo Domini ad me dicens: Quid est, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium illud in terra Israël, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?

Popvli captiuitate partim expleta in Israël, partim Hierosolymitis imminēte, vt superiori capite enarratū est: meritò Dñs in iudicio cū suo populo cōtendit super iustitia carceris,& dānationis eius. Etenim veluti cū Dño expostulando, cōmuni omniū ore circumferebatur: Patres nostri comederunt vuā acerbā,& dentes filiorū obstupescunt. Ait ergo nunc Dñs: Quid est, quòd inuolucro & tectū similitudine, quasi non intelligā, me iniustitiæ redarguitis? Nā prouerbiū est,& sententia, paucis cōclusa verbis, vestro iudicio definita,& cōmuniter euulgata, quā mihi obiicitis, me scilicet punire filios innocētes propter peccata parentū? plusquā insaniç profectò argumētū: homo solo æquatus, læsæ diuinæ maiestatis reus, mutire, nedū fari erubescit, diuinā bonitatē & clementiā in ius vocādo, atq; in eo cōtra ipsam obtinere cōtendit. Nec recēs querela est: semper quidē quòd hostibus traditi à Dño affligebātur Israëlitę, iniustè pati, deceptiq; omnino sibi videbātur, siue sub Iudicibus, nationibus traderētur, siue processu tēporis sub Regibus manus Philistinorū persentirēt. Cecinit hoc regius
Psalm.43. vates Dauid in eorū persona dicēs: Vendidisti populū sine pretio,& nō fuit multitudo in cōmutationibus eorū. sanè cū spontē & gratis absq; vllo pretio & absq; vllo lucro & fœnore eos vendidissę queruntur, iniustitiæ Dñm arguunt, & suam innocentiā defendunt. quod postremū existit flagitium, nā salubris medicina est & nō incōgrua veniæ petitio, proprium agnoscere peccatum, neq; vlli alij quā sibi tribuere, &
Aug.15.de ciuit.c.7. absq; excusatione propriū se illius auctorē agnoscere. Tunc enim dominabitur quisque peccato si id sibi non defendendo proposuerit, sed pœnitētia subiecerit. Rursus sub similitudine immaturæ vuæ,& dentium stupore quem relinquit, idē sępe & diu per manus à parentibus in filios inuulgauerūt, dicentes: Patres nostri comederūt vuā acerbā,& dentes filiorū obstupescunt. Quod explicās B. Greg. inquit: Vua acerba est
Greg.li.11. Moral.cap.16. peccatū: est quippè, vua acerba fructus ante tēpus. Quisquis enim præsentis vitę delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vuā acerbam comedit, dētes eius obstupescunt; quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interius eius sensus ligantur, vt iā spiritualia comedere, id est, intelligere nequeat, quia vnde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescūt. Vnde meritò Israëlitæ sensibilibus oblectati, in spiritualibus obstupescentes, prouer-

bium hoc iactabant quod tam tritum refert Dominus, idq́; in aduentu Christi Iesu & Euangelij impressione, in visceribus hominum cessaturum promittit. Vnde nunc Dominus impendente, & premente iam captiuitate Babylonica, præcedentiũ omnium maxima, se ab obiecto hoc purgare, & eos erudire vt se agnoscat, & sua peccata plangentes, commeritos labores patienter ferant, statuit. Verum prophetiá hác ad tempora Euangelij transfert beatus August. his verbis: Illa quippe diuina sententia; Reddam peccata patrum in filios, tenet eos vtique antequã per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere. Quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem: nõ accepturos filios peccata parentum suorum; neq; vlteriùs futuram in Israël parabolam illam in prouerbium: Patres manducauerunt vuam acerbam, &c. Eandem sententiam profert contra Iulianum Pelagianum. Cæterùm non oportet ita Domini verba ad certum tempus restringere, quod pro voluntate fieri obiicietur, cùm pro omni tempore sit vniuersaliter vera.

Aug. tomo 3 in enchir. ad Laurent. cap. 46.

Aug. tom. 7. lib. 6. c. 12.

Viuo ego, dicit Dominus, si erit vltra parabola hæc in prouerbium in Israël. Ecce omnes animæ meæ sunt. vt anima patris, ita & anima filij mea est. anima quæ peccauerit, ipsa morietur. & vir si fuerit iustus et fecerit iudicium et iustitiã, in montibus non comederit, & oculos suos nõ leuauerit ad idola domus Israël, & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierẽ menstruatam non accesserit, & hominẽ non cõtristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panẽ suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimẽto, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum, & in præceptis meis ambulauerit, et iudicia mea custodierit, vt faciat veritatẽ, hic iustus est: vita viuet, ait Dominus Deus. Quòd si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis, & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & vxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationẽ facientem, ad vsuram dantem, & amplius accipientẽ, nunquid viuet? non viuet: cùm vniuersa hæc detestãda fecerit, morte morietur. sanguis eius in ipso erit. Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit & non fecerit simile eis, super montes non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël, & vxorem proximi sui non violauerit, & virum non contristauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, à pauperis iniuria auerterit manum suam, vsuram & superabundantiam non acceperit, & iudicia mea fecerit, et in præceptis meis ambulauerit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet. pater eius, quia calumniatus est & vim fecerit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. et dicitis: Quare non portauit filius iniquitatem patris? videlicet, quia filius iudicium & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit & fecit illa, vita viuet. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.

DVPLICI ergo capite ablegat à se sententiã prouerbij, & æqualitate propẽsionis qua omnes animas diligit, & libertate arbitrij, quę vnicuiq; nocebit aut suffragabitur, prout ea in bonũ, aut in malum vsus fuerit. æqualitate dilectionis primò id abiicit, quoniã iure creationis omnes animæ sicut patris, ita & filij ipsius sunt, non enim ex traduce vt corpora propagantur. Anima quidem rationis sicut genere omnino à corpore distat, quia spiritus est, ita & causam alterius generis sublimiorem & excellentiorem habet, nempe ipsum Deum solum, qui per creationem eam producit, &

ducit,& in lucem edit: neque de potentia materiæ per causam materialem, vt cæteræ formę educitur. Vnde cũ iure creationis ipsius Dei facturæ omnes animæ sint, sic æqualitate propensionis & dilectionis cunctas amplectitur, vt ad se absque discrimine omnes conuerti velit, & absque acceptionis personarum vitio, distributor pręmiorum & pœnarum existat, ita vt neque filius puniatur pro patre, nec contrà. Quo loco eliminatur apertè error Caluini hæretici in libr. quem de testamento siue de fœdere Dei vnico & æterno inscripsit, asserentis: fidem per traducem in filios propagari, quòd hoc loco asserat Dominus, filium non portare iniquitatem patris. Vnde elicit infidelitatem parentis non obstare quin ex eo puer progeneretur fidelis, quia non ad immediatos parentes, inquit, respiciendum est, sed ad mediatos. Et vix inuenietur infans, qui aliquem parentẽ fidelem non habuerit. Eandem sententiam colligit ex eo quod dicit beatus Paulus, Sanctificatus est vir infidelis per mulierẽ fidelem, aliàs filij immundi essent. conuincitur ergo hoc eodem loco eius error, & suo se gladio iugulat. est enim fides Dei donum animæ fideli gratis tributum, quo Ecclesiæ mancipatur & perficitur. Vnde si anima ex traduce non est, vt clarè hic Dominus docet, quomodo fides, quæ spiritale donum est, & eius perfectio? certè nullius sani hominis mens hoc capere potest. Præterea si propria cuiusq; merita & demerita suffragari coram Domino, aut refragari debeant, qui hæreditate nedũ proximorum, sed longissimorum parentum fidem accipiet, ad quẽ nec terrena bona quoquo iure attinere valent? præsertim quòd textus sacer pugnantia diceret, cùm ex parẽte iusto filius iustitiã acciperet, cuius oppositum asserit Dominus. Et prophani etiã ipsi auctores, qui alienis opibus & famæ incũberent, miseros pleno ore appellarunt. Nec quod ex Paulo allegat sibi patrocinatur. Nã quod Paulus docet, est: virum infidelem per mulierem fidelem fidei candidatum fieri, vt dicit Tertullianus: sanctos dici fideliũ filios, quòd quasi candidati sint fidei. Idem asserit beatus Hieron. lib. 1. contra Iouinianũ: Candidatus, inquit, fidei est infidelis si nolit à credente recedere, quia videtur animi destinatione Christo deputatus. & idẽ censet in epistola ad Paulinum: vbi rogatus, ad quæstionẽ respõdet, referẽs ibi Tertullianũ. Et hoc tandẽ obtinet vsus scripturæ, vt sancta dicantur, quæ cultui & vsui sacro deputata sunt, quia munda & purificata sunt, & sequestrata ab vsu prophano: ac perinde infidelis, de quo asserit Paulus, quia ab idololatria segregatus & sine contumelia creatoris cohabitet. Propterea diuus Ambrosius prædictum locum exponens, ait: habere illos, scilicet coniugatos, beneficium bonæ voluntatis ostendit, quia horrorẽ nominis Christi non habent, & ad tuitionem hospitij pertinet, quod signum in eo sit crucis, quo mors victa est, sanctificatio enim est; Alioquin filij vestri immundi essent: quia si dimitterent volẽtem habitare secum, & aliis se copularent, essent adulteri, & per hoc filij eorũ spurij. Quo ergo pacto fides, seu sanctificatio à parentibus per traducẽ existimãda est, vt hæretici somniarunt? Sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur, vt inquit Dñs: & quæ iustificata discedet coronabitur. Deinde libertate actionũ, quibus præmium aut pœnæ respondent, Dñs idem probat. Nã qui ita composite vitã egerit, quo ad se & Deum & proximum, quòd iudicio rationis agenda cuncta discernat, & regula iustitiæ examinet, piè & debitè Deum colat, ficta idola & eorum cultus detestando, iustè etiam ad proximum se habuerit, nec ipsum quoquã genere bonorũ lædendo, nec opprimẽdo seu contristando, quin potius misericordiæ & beneficentię opera liberaliter impẽderit, vita, inquit, viuet, id est, vita sempiterna fruetur. Quæ vitæ officia commendauit beatus Paulus Tito fratri, oculos in benignitatẽ Dei defigere hortando: quæ ad hoc, inquit, apparuit, vt sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Atqui ne quisquam affirmare contendat, iustitiam parentis prodesse posse filio ad iustificationem, & æternam salutem, subdit: iniquum ex iusto viro genitum, qui non sequutus fuerit mores paternos, sed intẽperatè, quoad sui animi cõpositionem, impiè quoad Deũ, honorẽ Dei idolis, aut eorũ fucis tribuẽdo, proximis nocendo, & charitatis opera subtrahendo, ipse animã suã iugulauit. Quare in sanguine suo, id est, peccato suo, à quo resurgere per pœnitẽtiam renuit, in æternum morietur: loquitur perinde de morte animæ, ac corporis: nã qui iniuriosè & violẽter occiditur, sanguine effuso, in quo vita animalis cõsistit, è medio tollitur: Ita anima peccato, tanquam actu sibi iniurioso & violento periit: aut forsan peccatum sanguinẽ appellat, quia carnis & sanguinis opus est aut

1.Cor.8.

Tertullianus libr. de Monogamia.

Ad Tit.2.

Genes.4.

est aut propter peccatum Cain primum in proximum, quod effuso sanguine fratris, homicidium commissum est. Et si rursus ex iniquo genitus filius, detestatus scelera patris, iudicium & iustitiam fecerit, iniquitas parentis minimè ei nocebit, sed viuendo viuet: quia vita nunquam defectura in sæculo futuro. Et sic filius iustus nō dabit pœnas pro iniquitate paterna, neque pater luet iniquitatem filij, sed iustitia iusti erit super eum, & impietas impij erit super eum, hoc est, vnusquisque referet fructum iustitiæ suæ, nam iustus suum assequetur vitæ præmium, & iniustus luet pœnas pro iniquitate sua & non aliena: iuxta sententiam Sapientis: Sicut vua acerba dentibus noxia est, & fumus oculis; sic iniquitas iis, qui vtuntur ea. Manet ergo integrum pœnam æternam & vitam cœlestem, propria gesta vniuscuiusque sequi. Prouer. 10.

RESTAT tamē adhuc scrupulus de pœnis temporalibus, quas ob peccata in hac vita Dominus infert, & quæ occasionem prouerbij dederunt Iudæis, quòd filij pœnas luerent, peccatis parentum debitas. De quibus Dominus sic loquitur: Ego sum Deus zelotes, qui reddo peccata patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem, &c. quod etiam infra repetitur. Et scelus Eli puniendo, dixit Dominus: omnes è sua domo cùm ad virilem ætatem peruenissent è medio tollendos, atq; in summam egestatem etiam adigendos. quæ posteris proculdubio graues pœnæ & supplicia ingentia fuerunt. Diuus Hieronymus confitetur præfatam Exodi auctoritatem parabolam esse, quæ aliud sonat, & aliud sensu retineat. Vnde dicit: filios non puniendos in 3. & 4. generatione, quia deliquerunt parentes, sed quoniā patrum extiterunt æmulatores. Quam etiam sententiam asserit Rupertus. Et diuus Augustinus Tom. 6. contra Adamātum, eundem amplectitur sensum, sic enim ait: Quare intelligendum est, & illud rectum esse, quòd Deus retribuit peccata parentum filiis, qui eum oderunt. Ex eo enim quod addit: Qui me oderunt, intelligitur, eos puniri peccatis parentum, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt. Et li. 4. Quæstionum super Deuteronomium cap. 42. Et in Quæstionibus veteris testamenti cap. 14. & cap. 36. & super Psalm. 108. idem repetit. Verùm nescio an tanti viri sententia exactè nodum soluat. primùm quòd vsus scripturæ sanctæ obtineat, cùm parabolis vtitur, res aliquas in similitudinem adducere, quæ rem de qua disseritur, exprimant, vt in parabolis seminantis, lolij & sinapis planè videre licet. Hic autem non vtitur similitudine, sed verbis rem exprimentibus iudicium profert: quare non parabola, sed pura Domini sententia est. Præterea luce clarius ostenditur auctoritate Regum 2. loco allegata, in posteris peccatum parentis puniri. Et de temporali etiam punitione, quę aliàs ventura non erat, exponit Augustinus de peccato Acham disserens, ait enim: Nec tamē credendum est etiam pœnis, quæ post mortem irrogāntur, alium pro alio posse damnari: sed in his tantùm rebus hanc irrogari pœnam, quę finem fuerant habituræ, etiam si non eodem modo finirentur. & subdit: Simul etiā ostendit, quanta connexa sit populi societate, ipsa vniuersitas, vt non in seipsis singuli, sed tanquam partes in toto existimentur. Distinctius autem res sic deducitur. Et principiò considerare oportet, quòd duplex est temporaria pœna (vt colligitur ex beato Gregorio super illud Iob: Iræ eius quis resistet? suprà etiā memoratum) quædam est peccatis quoad culpam dimissis debita, quę si in hoc sæculo non soluatur, in Purgatorio parienda est: & hæc cùm proprium sequatur peccatum, suam quicunq; soluet pœnitens, nec vnus pro alio punietur. Alia est extraordinaria, vt quando ob peccatum numerationis populi pestem in pœnam Dauid sustinuit: & hanc sentire possunt de manu Domini, qui eo peccato non fuerat particeps, vt in præfato exemplo: & etiam in bello, quod subsequutum est in populo Iudæorum regnum paternū inuadente Absalone, propter peccatum Dauid cum vxore Vriæ. Vtrobique enim plexi fuerunt, qui peccati non fuerunt participes. Et rursus alia est pœna, quę in correptionem peccantis datur, qua plectuntur etiam posteri, vt in flagello domui Eli immisso. Quibus & similibus exemplis pœna non vt satisfactoria, neque vt solutiua, sed vt medicina infertur, qua iniquitati gambæ abscindantur, & homines à peccatis reuocentur. Et hoc flagelli genere sæpè sæpius imitatores paternorum scelerū punitos videmus, vt tempore Iudicum & præsenti captiuitate Babylonica. Nam similia peccata prædecessoribus commiserunt, quibus cessantibus & eorum pœnitentiam agentes, in patriam libertatem restituti sunt: vt contigit etiam in captiuitatibus, quæ

Exod. 20. Exod. 34. 1. Reg. 3. Aug. super Exod. lib. 4. cap. 42. Matth. 13. August. tomo 4. quæstionibus super Iosue c. 8. 2. Reg. 11. 1. Reg. 2.

Genes. 7. Genes. 19. bus, quæ sub Iudicibus acciderunt. Nonnunquam etiam innocentes puniuntur, non in se, sed vt parentum partes sunt, vt in aquarum diluuio vniuersali, & Sodomorum incendio, vbi patratores puniti sunt, & insontes in ipsorum bonum præuenti. Atqui quoniam Dominus misericors est, & peccata filiorum in parentum ignominiam cedunt, vt etiam flagella & punitiones publicæ, quas iudices & iustitiæ publici ministri exercent, permittit Dominus ad pœnitentiam parentes expectando, filios ignominiosè cadere, vt & hoc parentes confundantur, & ignominiis filiorum castigentur & admoneantur, vt ad cor per pœnitentiam redeant: cuius rei causa vsque ad tertiam & quartam generationem expectat. Atque adeò citato loco præmittitur: Dominus Deus miserator & misericors, patiens & multæ miserationis, reddens iniquitatem patrum, &c. Quòd si peccantibus tam misericordem se præbet, quantus in iustis erit? Audi quod sequitur: & seruans iustitiam & misericordiam in multa millia, his qui custodiunt mandata eius, & faciunt præcepta illius, vt exponit beatus Hieronymus. Et hæc pro tenuitate nostra de quæstione sunt dicta.

Si autem impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est nõ recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nõ recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, et in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israël: Nunquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ prauæ sunt? cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ, morietur in eis, in iniustitia quam operatus est morietur. Et cùm auerterit se impius ab iniquitate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam iustificauit. Cõsiderãs enim, et auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita viuet, & non morietur.

CVM nulla ergo acceptio personarum sit apud Dominum, concludit vnumquemque operibus suis in æternum viuere, aut perire: Nam qui antè vitæ actę rationem habendo, peccatorum suorum pœnituerit, & futuram sic instituerit, quòd in præceptis Domini ambulando iudicium fecerit & iustitiam, vita viuet & nõ morietur. hoc est, præsentem vitæ cursum viuus peraget, mortuus peccato. Mortui enim sunt, qui sæculo seruiunt peccatis implicati, quos Dominus mortuos appellauit dicendo: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Etenim post peccatum illud magnum Matth. 8. primi hominis, pœnitentia vnicum fuit semper in ecclesia medium ad Dei beneuolentiam conciliandã. Quod Iudæos docet apertè Dominus hoc loco, & Talmudistę vno ore profitentur. præcipuè tamen Rabi Ioses, ex quo traditur super illud Canticorũ; Aperi mihi soror mea: quod Deus sanctus & benedictus dixit Israëlitis: Filij Cant. 5. mei aperite mihi aperturã pœnitentiæ, sicut est foramẽ acus, & ego aperiã vobis aperturas misericordiæ, per quas trãsibunt quadrigæ & currus: & Rabi Pinhas super illud Psal. Bonus & rectus Dñs legẽ dabit delinquentibus in via: aut, vt Hebræi vertunt, Psalm. 24. docebit errãtes vias: sic ait: Quare aũt est bonus? quia rectus. Et quare est rectus? quia bonus. propter hoc docebit errantes viã: docebit siquidẽ viam, per quã faciant pœnitentiã. Hoc dixerim, vt antiquissimũ vocabulum pœnitentię adorent hæretici in literis sacris passim celebratũ, & in ecclesia ab initio receptũ; & abeant cũ sua resipiscentia, nisi pœnituerint. Et tandẽ iste noster pœnitens mortẽ inferni euadet, quare non morietur. Illud autẽ quod addit: & fecerit iudicium & iustitiã, præcepta proximũ concernentia potest notare: vt præcepta primæ tabulæ mandata, quæ ad se & ad Deũ vnumquemq; ordinãt, intellexerit: ni malueris ad iudices & personas publicas referre, qui cunctorũ causas diiudicant, & iustitiã decernũt. Atq; ita pœnitentes tã certos remissionis peccatorũ vult facere, quòd in memoria sua nunqua ea ad puniẽdum retenturũ dicit: sunt quidẽ per opera bona, pœnitentiã subsequentia, tecta peccata: quapropter

quapropter in memoriá Dñi vt puniátur, venire nó poterũt: imò tantũ abest,vt pattatori noceát,quód æternis bonis semper victurus donabitur: Quoniá beati, quorú remissæ sunt iniquitates,& quorú tecta sunt peccata: Tanta enim erga fideles Dñi Psalm. 31. propensio est,vt pœnitentes gratia præueniendo,eorũ peccata indulgeat,& ab eius conspectu,ac si nunquá fuissent,dispereát. Cuius rationem reddit; quia eius animus est,vt viuát peccatores,nó vt pereant. Quem enim inconuertibilẽ, inquit B.Greg. diuina præscientia noscit,occidit. Vult ergo Dñs occidere,sed eos quos prænoscit cóuerti nolle. 1.Tim. 2. Vnde memoratũ locum explicans Diuus Paulus,dicit: Vult Deus oẽs homines saluos fieri,& ad cognitionẽ veritatis venire. & vice versa deiusto dicit: Qui ceciderit,& per pœnitentiá non resurrexerit,in nullo iustitias quas operatus est, ipsi suffragaturas,vt pœnas æternas euadat. Ná vnica præcepti transgressio,irá diuinam Iacobi 2. prouocat,& inimicitias ponit,quod explicás B.Iacobus dicit: Quicunq; autem totá legem seruauerit,offendat autem in vno,factus est omniũ reus,perinde nanq; à cçlo exulabit impœnitens,ac si in omnibus deliquisset. Vide hominis sibi traditi impudẽtiá. Cum factore suo totius bonitatis fonte expostulat,ipsumq; iniustũ cõpellare nó verecundatur: neq; ad æquilibriũ iustitiæ,sua iudicia Dñm çquare,asserere nó veretur. Quare in eiusmodi impios suá retorquet cantilená: siquidem iustus qui ceciderit,etsi cumulo bonorũ operũ munitus videatur, & tota vita Dño placuerit,nisi pœnitentiá egerit simul cũ impio morietur,nec iusta opera,quæ egerit, quoquam pacto Dñm inclinare valebunt,vt ad vitá assumat: qua nulla districtior iustitia comprobari potest. Sed aduerte,quod in cõuersione impij diuinus spiritus cõmẽdat: facere nẽpe iudiciũ & iustitiá. Oportet enim de agendis semper ratioñẽ ipsam cõsulere,& iuxta librationẽ eius decernere , atq; penes eius normá cogitationes oẽs & internos actus dirigere: Verũ hoc nó sufficit, sed externè cũ proximis iustè viuere,& iustitiá virtutũ administrare conuenit. Iudiciũ enim hoc loco actus internos significat, iuxta illud Ps. Diriget mãsuetos in iudicio.& alibi: Beatus vir qui miseretur & cõmodat,& dispo- Psalm 24. Psalm. 111. net sermones suos in iudicio. Est itẽ animaduersione dignũ,quod subdit: considerás enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, &c. quia cũ pœnitet, intelligere incipit,& considerare. Tempore enim iniquitatũm,vt brutum animal ferebatur.

Et dicunt filij Israël, Non est æqua via Domini. nunquid viæ meæ non sunt æquæ domus Israël, & non magis viæ vestræ prauæ? idcirco vnũquemq; iuxta vias suas iudicabo, domus Israël, domus Israël, ait Dñs Deus: Cõuertimini et agite pœnitẽtiã ab omnibus iniquitatibus vestris, et nõ erit in ruinã vobis iniquitas.

POSTQVAM Dominus se purgauit , & notam in auctores reflexit , sin eos admonet & hortatur,vt ad cor redeuntes pœnitentiam agant: secus verò facientes,dicit iuxta opera sua iudicaturum. Imò quia magistratus & legum custodes erant qui hæc primum oblatrabant, quibus cura aliorum inerat,non solùm vt ipsi pœniteát, sed & alios ad pœnitentiá inuitent,ad sanamq; mentẽ reduçát,cõmonefacit. Quare cum Emphasi domum Israël aduocat,& si pro,pœnitentiá agite,reducite,verterunt alij. Ad quod facit etiam quod subdit , & non erit vobis in ruinam iniquitas. Quasi dixerit sic: iniquitas vnius non erit alteri ruinæ & offendiculo.

Proiicite à vobis oẽs iniquitates vestras, quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis: dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.

EPIPHONEMATE semper mentem versando,totius capitis sententiam concludit. Vbi verbum suum impignorat Dominus; quòd qui à se iniquitates & peccata proiecerint,quibus à recto officio discesserũt,& renunciádo veteribus cor nouũ & spiritũ nouũ fecerint,verè pœnitẽt,vt ad regnũ ius acquirant. Vnde Ambr. pœnitentiá Ambr. libr. de pœnit. sic definiuit, Quòd sit præterita mala plágere, & plangenda iterum non cõmittere. Etenim sic se iudicans homo. iudicium Dñi prçuenit,dicẽte Apostolo: Si nosmeti- 1 Cor. 11. psos diiudicaremus,nó vtiq; à Dño iudicaremur. Quod & regius Vates ad hác prçuẽtionẽ pœnitẽtiæ nos hortádo, dixit. Prçoccupemus faciẽ eius in confessione &c. His Psalm. 94. ergo fidẽ facit, inferni mortem euasuros. Vnde ait: Et quare moriemini domus Israël? quasi diceret: bono animo estote,& dilatate animos,omni exploso mortis timore,quia non peribitis: & simul obiurgat eos, qui hæc facientes cõtracto animo sint,

sic cum interrogatione rem affirmando; Quia nolo mortem morientis. Explicat ingenium suum Dominus, quod sit misereri semper & parcere ad ipsum confugientibus. Non vult enim ipse mortem morientis, sed idem ipse, qui eam sibi consciuit. Quapropter inquit: Reuertimini & viuite: hoc est, auertite cor à malo, mutuo vos ad hoc cohortando: & ad officium virtutis regredimini, & in eo viuite semper, eam studiosis operibus locupletando. Nam hoc viuere est, & contra: in sepulchro corporis sepeliri & mori, vitia consectando. Nec prætereas, quàm significanter illo verbo, proiicite, ad eorum exulanda peccata, vsus est: quoniam cum vilipendio & contemptu tanquam res homine indignæ, & ob quæ semper pudefieri debeat, releganda & abiicienda sunt.

Capvt xix.

Et tu fili hominis, assume planctum super principes Israël, & dices: Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum nutriuit catulos suos? & eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est, & didicit capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum. & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. Qui cum vidisset, quoniam infirmata est, & periit expectatio eius, tulit vnum de leunculis suis, leonem constituit eum, qui incedebat inter leones, & factus est leo et didicit prædam capere & homines deuorare: didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere, & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius, & conuenerunt aduersus eum gentes vndique de prouinciis, et expanderunt rete suum in vulneribus earum, captus est, & miserunt eum in caueam. in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltrà super montes Israël.

Bene post libratam Domini iustitiam in puniendo peccatores, planctum iubet Israël Prophetam excitare, vt lugeant sua peccata, ob quæ acerbas captiuitatis pœnas dignè meruerunt. Sed mirum est, quòd cùm sua peccata ob quæ sic abiecti sunt collachrymari debeant, scelera matris & crudelitates principum solùm commemoret. Quod sanè Spiritus sanctus facit, nõ vt insontes eos prædicet, qui similibus maiorum flagitiis tenebantur, sed vt radices & origines morborum tanquam peritus medicus aperiat. A Iosia enim rege (qui legem reperit, & in præceptis Dñi ita strenuè ambulauit, vt dicat Scriptura: nullũ fuisse, nec futurum similem) omnis prosapia regia vsqueadeò degenerauit, vt Manasses peccata sequendo, crudelitate etiã ipsum vincerent. Hierusalem autem captiuorũ mater, inter leones cubauit, quia princeps gentium & nationum quæ ex rapto viuunt tyrannicè dominando; & qui homines deuorant eorum substantias diripiendo, gladio perdendo, ciuitates desolando, pro sua libidine mulieres viduas faciendo, leones iusta ratione appellantur. Hos igitur imitando, eorumq; luxuria torpendo, similium morum prolem regiam vti catulos enutriuit: qui leones facti, atque regno & imperio potiti, leoninam furiam sunt exsecuti. Nã Ioachaz Oziç filius crudelitate maxime viguit, cui Dominus pro lictore Pharaonem Nachareo Regem Ægypti dedit, qui in Ægyptum eum vulneribus afflictum cepit, & catenis vinctum duxit. Quo mortuo Eleacim constituit Pharao Regem filium eius, quem Ioacim appellauit: qui iuxta patrem suum malum operatus est coram Domino: ea propter morte mulctatus est: & occasione oblata vtens Hierusalem, Ioachim siue Iechonias (nam vtramq; habuit appellationem) in regem creatus est; ægrè enim ferebat Hierusalem, quòd eius liberationis expectatio à Pharaonis iugo, morte & ignauia præcedentium sic infirmaretur. Quare istum, vt stomachosum & animositate excellentem in leonem suffecit, qui ita eius mores atroces sequutus est, vt commemoratas crudelitates exercendo, prædecessores suos longè superauerit. Ob quæ alio macello designatus, ingruentibus in eum Assyriis, sponte suasu

re suasu Hieremiæ in potestatem Regis Babylonis se tradidit, in suamque ciuitatem captiuus cum suis, & magna parte populi ductus est. Quibus per Prophetam hæreditaria hæc peccata lugere iubet Dominus, & nobis simul: Vt cùm peccata principum & maiorum vitauerimus, nostra & illorum ploremus, quæ si imitatione, beneficio numinis non admisimus, pro aliis forsan maioribus, diuina prudentia sic dispensante, plectimur.

Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus eius & frondes eius creuerunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium: & exaltata est statura eius inter frondes, & vidit altitudinem suam in altitudine palmitum suorum.

ELATI fluctus maris quantò sublimiùs ascendunt, tantò maiorē faciunt casum: Ita mundi status quantò eminentiùs surgunt, tantò deorsum abiectiùs deprimuntur: imò cum pomposo, & mirabili ascensu fastigiatur, tunc instantiùs ruinam & deiectionem minatur. Quod exemplo nobis sanctissimus de synagoga proponit. fuit enim sanguine regio, vti vitis seu vinea iuxta aquam plantata, quæ cū humor abundè suppetat, & fructu fœcunda, & foliorum atque palmitum ornatu decora aspectu & elegans apparet. In synagoga equidem fructus, hoc est, soboles regia, & frondes, id est, ministri & principes, fastu & apparatu supellectilium & diuitiarum, creuerūt Apoc. 17. ex aquis multis: id est, ex populis multis eorum ditionibus subiectis, aut ex diuersis domibus & familiis, vt interpretatur Dionysius Carthusianus, Vsqueadeò, inquit, quòd in sceptra dominantium, atque in varias & excellētes dignitates & potestates è prole regia, plures virgæ solidæ in dependentes, & sibi omnino sufficientes absoluto dominio factæ sunt: Vnde synagoga in magna fœlicitate fuit cōstituta Sed ô magna dementia, cùm homo in sublimem statum euectus, sibi blandiendo, in sua altitudine oculos suos defigit: nam ruinam suam operatur. Vidit Synagoga altitudinem suam, & gloriata est, in excellentia palmitum domus regiæ eam condecorātium, & superbiuit. Exaltata, inquit, est eius statura in frondes: quasi dicat, stabilitatem & firmitatem suam in florenti statu principum & potentium ex domo regia posuit, & sic furens in superbiam omnem est elata. Tunc enim luxuria arboris maximè cognoscitur, quando frondes & poplites, qui circumquaque diffunduntur, florent & crescunt. Quod Synagogę contigit: vnde supra modum exaltata & eleuata est.

Euulsa est in ira, in terramque proiecta, & ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt & arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam. Et nunc plantata est in desertum in terra inuia & sitienti. & egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: & non fuit in ea virga fortis. sceptrum Dominantium planctus est, & erit in planctum.

DEFECTIONEM Regum in populo Iuda sacer Propheta hîc prænunciat, & casum Synagogæ è florenti illo principum statu. Nā post sacerdotes, subsequutæ sunt vsque ad Christum (qui fuit iudex, Rex, & sacerdos) gubernationes omnes, quibus populus ille ductus fuit, nec dirigere eum suffecerunt, in se vno eas complectens: vt Chrys. sup. Matth. cap. 1. eleganter diuus Chrysostomus notauit. Ob cumulum ergo peccatorum à dignitate Regum deturbata & deiecta est Synagoga: quia malum, vt dixit quidā, seipsum perdit: & si integrum sit, intolerabile fit. Euulsa est ergo vitis seu vinea, & solo æquata: Arist. 4. E. Ethic. c. 5. quia Sedechias captiuus ductus est, & ventus vrens, exercitus nempe Regis Babylonis, siccauit fructum eius, id est, sobolem eius, & sic filij eius emarcuerunt, quia consumpti sunt igne, id est afflictione, & regiam dignitatem non ascenderunt: sed Salathiel, & Zorobabel ex Iechonia, successerunt in regimine populi, vt habetur apud Matth. Transplantata autē est vinea, in terra deserta & sitiēti, quia in Babylone inter Matth. 1. nationes cultu Dei, & virtutis omnino desertas, & aquam salutarem doctrinæ sacræ sitientes. huius autem vastationis ipse Rex Sedechias causa fuit: nam ab eo egressus est ignis, id est afflictio & captiuitas, quæ absumpsit fructum eius, hoc est filios, ita vt

nullus

nullus restaret, qui in regno succedere posset. Et hoc est, quod nunc per Prophetam lamentatur & lamentabitur semper à Iudæis, quia initium malorum suæ Synagogę hoc: eius enim destructio sic vaticinabatur per paulatinos defectus, quæ tempore Christi Iesu tandem antiquata est.

CAPVT XX.

ET factũ est in anno septimo in mense quinto in decima mensis venerũt viri de senioribus Israël, vt interrogarent Dominum, & sederunt coram me: & factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis loquere filiis Israël, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Nunquid ad interrogandum me vos venistis? viuo ego, quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus.

QVI in afflictione positi sunt, gratum maximè opus auctori faciunt, cùm iustum eum prædicant, nec iuxta mensuram delictorum plagas infligere. Quocirca calamitosis Israëlitis in Babylone, ingratitudines ob beneficia tot amplissima recepta, & certices rebelles iugo Domini exprobrat, vt seipsos cognoscentes propria miseria, diuinam misericordiam lucrentur, & eam cælo infinito bono, commutent. & deinceps Ecclesiæ florentem statum prænunciat, quæ non vt Israël repugnabit, sed studiosè in omnibus ipsi gratificari curabit. Primum ergo ab interrogatione, quam seniores Prophetæ fecerunt, exorditur, quam non exprimit, sed tantum insinuat cum magno consilio & deliberatione accessisse: siquidem ad Dominum eam attulerũt, & sedentes de ea consiliati sunt. Verum si coniectare licet, proposuisse videntur: qua ratione in omnibus sibi optimè consulerent in calamitate quam patiebantur, idola gentium semper colentes, & post patrum fornicationes abeuntes? vt ex eo, quod infrà ipsis respondere Propheta iubetur, colligitur. Ait enim: Propterea dic ad domum Israël, Hæc dicit Deus. Certè in via patrum vestrorũ vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini, &c. Vnde cum obiurgatione, & indignatione ipsos expulit, dicens: Num ad interrogandum me vos venistis? quasi diceret: gens quæ me contemnitis? & exteros deos colitis? & sub iuramento, se responsurum negat, qui filiis & corde mollibus, nedum loquentibus, respondere solet: qui loquebar, ecce adsum.

Si iudicas eos, si iudicas fili hominis? abominationes patrum eorum ostende eis. Quia consulturi Dominum ad Prophetam tanquam ad videntem accurrerant, vt iudicia Domini ipsis aperiret, eorum flagitia, per quæ indigni erant diuina responsione iubet detegere, Idque obnixè præcipit, quod repetitione significat: si iudicas, si iudicas. Vbi particula si, affirmantis est, nec accipitur vt in eo loco: Si introibunt in requiem meam negatiuè: perinde ac particula illa, fortè, aut forsan. non dubitatiuè plerunque ponitur in scriptura, vt eo loco: Forsitan verebuntur filium meum. Et ali-
Math. 11. bi Dei filius: Si enim me sciretis, & forsitá patrem meum sciretis. & denique beatus
Ioan 8. Petrus Symoni gratiam Dei venalem existimanti dixit. Pœnitentiam itaque age ab
Actuum 8. hac nequitia tua, & precare Dominum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. vt tractatu de Pœnitẽtia adnotat diuus Ambrosius. sensus ergo est: Dic illis illorum scelera, quibus tenentur. Condemna eos, peccata ipsorum exprimendo, ob quę vltione eos vltus fuero, & proculdubio vindictam de eis sumam, vt transtulerũt 70. sic videtur interpretari Hieronymus. Verùm aliter etiam poteris dicere: vt propensionem Domini ad miserendum, potius quàm ad puniendum peccatores explicet: ita vt repetitio illa ad mouendum Prophetam seruiat, qui scilicet iniquitates eorum iudicare volebat. quin potius, ait Dominus: Iniquitates proprias & patrum suorum ostende illis, vt eas considerantes ad cor reuertantur, & pœnitentiam agant, vt eis propitier. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: in die qua elegi Israël, eleuaui manum meam pro stirpe domus Iacob: & apparui eis in terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis dicens: Ego Dominus Deus vester: in die illa leuaui manum pro eis vt educerem eos de terra Ægypti, in terram quam prouideram eis, fluentem*

lacte

lacte & melle, quæ est egregia inter omnes terras. & dixi ad eos: Vnusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester. & irritauerunt me, noluerúntque me audire. vnusquisq; abominationes oculorum suorum non proiecit, nec idola Ægypti reliquerunt: & dixi vt effunderem indignationem meam super eos, & implerem irã meam in eis in medio terræ Ægypti: & feci propter nomen meũ, vt non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, vt educerem eos de terra Ægypti.

COLLATA beneficia suo populo commemorat Dominus, vt ex repugnantia maior eorum ingratitudo appareat, & confusio. Et diligenter attẽde Domini curam circa suorum salutem, simul & fauores ac iuuamina, quibus eos ad suã iustificationem appetendam inuitat. Elegit primùm populum in Ægypto: ab æterno quidẽ elegit, sed tunc cùm maximis esset obrutus calamitatibus, suam electionem ostẽdit. Elegit item temporaliter, quia actu eos à gentibus separauit: vt ad sui culturam lege & diuinis præceptis prępararet. hoc autem, quia Iacob promiserat iuramẽto interposito, secundum illud Zachariæ: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem Luc. 1. nostrum daturum se nobis. Et hoc est quod dicit: Et leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, id est, adimpleui quod iuraui. leuare enim manũ, signum iurãtis est, eo tempore maximè obseruatum. Apparuit deinde: quia Moysi & Aaron suam exhibuit præsentiam eos, ductando & roborando ad populi eductionẽ: & leuauit tertiò manum suam: quia potentiam suam exercuit, quia verum Deum deuictis dæmonibus, & gentium incantatoribus, se Deum esse demonstrauit, vt vel inuitas gẽtes ad se reduceret. quartò desiderabilem terram proponit lacte & melle fluentem, ad quã mentis oculos intendant: qua fœlicitatem & æternam illam vitam in cœlo, omnium bonorum affluentia redundãtem obumbrauit: qua electi, Ægypti, & totius mundi oblectamentis spretis, ad ipsam toto conatu & desiderio contenderent. Vnũ tamen intimè exposcit, non quo iter conficitur, sed quod initium & principium itineris est, nempe fuga mali: sic enim ait. Vt proficiscamini, vnusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, & in idolis Ægypti nolite pollui. Idola enim Ægypti relinquere pręcipit, & omnia caduca & terrena etiam nobis posthabere, quibus oculi offensi, nos in via Domini retardant, sicut illos materialia illa idola. Est enim virtutis initium, vitium fugere, & principium sapientiæ stultitia caruisse, vt dicit quidã. Hor lib. 1. Epist. Quæ in conuersione beati Matthæi Dominus plenè obseruauit. Pertransiit enim per Teloniũ, Matth. 9. & electionem suam ostẽdit, oculos in eum dimittendo, manifestauit potentiã suam, & allectauit ad vitam, & finem postremũ, dicendo, Sequere me: & ita compunctus idôla Ægypti ipse reliquit, & offensiones oculorũ, siue mundi oblectamenta, quibus oculi hominum inescantur, Dominum sequendo. At ipsi quid fecerunt? irritauerũt Dominum, quia aures suas obturantes audire noluerunt: offensiones oculorum suorum non proiecerunt, hoc est, quæ ipsis charissima fuerũt, & quibus immodico amore capti, Deum offendebant, noluerunt proiicere. Quem locum explicans Dominus Iesus in Euangelio ait. Si oculus tuus scãdalizat te, erue eũ & proiice abs te. Symmachus verò, teste Hieronymo, non offensiones oculorum, sed nauseas vertit, quia quæ Matth. 18. hominibus placent, nauseam & vomitum Dño prouocant. Vide quantũ ipse exhorrescat peccata? Neq; prætera idola, quæ more Ægyptiorum colebãt, relinquere voluerunt. Eorũ enim amorem vsqueadeò intimè captiui in Ægypto conceperũt, quòd Exod. 5. contra liberatorem Moysem iussu Dñi murmurarunt, quòd ad eius legationem & sermonẽ laterum pensa illis duplicata fuissent: quare eã deperire, eruditi postea lege non cessarunt. quod Dominus hic anxiè queritur. Iratus itaq; hic Dominus statuit, indignationem suã effundere, atq; iram suam implere. hoc est, suam querelã flagello ostendere, dignamq; vindictam secundum exigentiã conceptæ iræ, assumere. Continuit tamen manum misericordia sua vsus, ne nomen suum minueretur apud gẽtes, in quarum conspectu, salus & liberatio illius populi futura per Dominũ, annunciata fuerat. Nã dicerent id efficere non potuisse, & in errorem suorũ idolorum sic magis obfirmati manerent: quòd cum gentibus bene illis esset, vt ipsi dixerunt: Eamus & disponamus testamentũ cum gẽtibus, quę circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab Mach. li. 1. cap. 1. eis, inuenerunt nos multa mala. Hinc tu disce Christiane lector, cũ nobis vt pœnitẽ-

tiam

tiã agamus,vitamq; in frugaliorẽ cõmutemus inſpirationes,illuminationes,& monita ſancta internè, aut externè immittet:& cõtemnimus,quanta indignatione ipſum prouocemus? Etenim, quãdo in fimo & cœno peccati iacet homo,& clauiculas ſanctarũ admonitionũ,quibus ſe erigat,& ſuſtentet, ſpirat Dominus,acerbè irã eius ſua ingratitudine prouocat. Quòd ſi e veſtigio non punit, aut ſaltẽ non deſerit,miſericordiæ eius eſt,ne oppugnãti dæmoni anſam iactãdi præbeat,ac dicat: Vbi eſt Deus tuus?

Eieci ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in deſertum, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo viuet in eis: inſuper & Sabbata mea dedi eis, vt eſſet ſignum inter me & eos, & ſcirent, quia ego Dominus ſanctificans eos. & irritauerunt me domus Iſraël in deſerto; in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt; quæ faciens homo viuet in eis; & Sabbata mea violauerunt vehementer. Dixi ego, vt effunderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerent eos. et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in conſpectu earum. Ego igitur leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte & melle præcipuã terram omnium, quia iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & Sabbata mea violarunt. poſt idola enim cor eorum gradiebatur, & pepercit oculus meus ſuper eos, vt non interficerem eos, nec conſumpſi eos in deſerto.

QVI enim vitam nouã inchoare deſiderat,oportet eum occaſiones & conſortia eorũ quæ ſibi ad peccandum incitamento erant,relinquere. Liberius enim tũc & ſecurius præcepta Domini obſeruantur. Atq; adeo Dominus ſuum populum,citiſſimè compellentibus etiã Ægyptiis in deſertũ & ſolitudinẽ traduxit. ibique vt animoſiùs ad promiſſiones Domini graderentur,nouis beneficiis,legis,doctrinæ cœleſtis cumulauit. dedit enim præcepta: nã decalogi renouauit,quibus ambularet. dedit iudicia,

Exod.20. & 21.

hoc eſt,cuncta alia ceremonialia,& iudicialia legis quæ ad cultũ Dei & maiorẽ mandatorum cuſtodiam pertinerent. aut dicas,præcepta,id eſt,vniuerſam legem,iudicia

Leuit.23.

appellaſſe. quia diuino ſuo iudicio,& conſilio fuerunt approbata. Dedit itẽ Sabbata & feſtiuitates in ſignũ,vt ſcirent,quòd eſſet Deus eos ſanctificans. Sabbatũ enim re-

Gen.2.

quies eſt,eumq; diem 7. Deus inſtituit quieſcens ab opere, & fabricæ creationis finẽ imponens. Iubens ergo Sabbatum cuſtodire,ſignũ amicitię,& recõciliationis eis exhibuit: ſiquidem poſt ſpinoſa huius vitæ opera,& aſperum deſerti tranſitũ,legitimè tranſeuntibus,quietem poſt mortem repromittit: & ſi laborioſa fuiſſent præcepta, ſcirent ad eorum ſanctificationẽ perpetuam,eſſe præparata: & ſimul huiuſmodi inſtitutione ſe verum Deum denunciat,opus creationis,in memoriã reuocando. Nam & ſi lege tunc nõ fuiſſet præſcriptũ, fama tamen,& hominum etiã gentilium traditione ſex diebus fabricam mundi Dominum operatum fuiſſe,ſeptima autẽ quieuiſſe,acceperant: ſignificat item,Sabbatum illud ſempiternæ & immortalis vitæ,quod poſt vniuerſalem reſurrectionem bonis omnibus ſuccedet,vt in tractatu de Reſurre-

Ambroſ. in tractatu de reſurrect.

ctione latè diſſerit diuus Ambr. Cæterùm pro ingenio hominũ,quod ex peccato extenſo (bonũ faſtidire eſt) tanta Domini beneficia contempſit; & à ſe proiiciendo in regreſſu exploratorum à terra promiſſionis eorum relatione perterriti,qua ſtimulari

Numer.4.

debuiſſent, regreſſum in Ægyptum præoptarunt. At Dominus iuſtitiã miſericordia continuit, ne eos ilico abſumeret,& perderet. hac vtiq; ratione: ne nomen,maieſtas & potẽtia eius minueretur,& blaſphemaretur inter gẽtes: quòd ſuũ populũ liberare neutiquam valuiſſet. Verũ leuauit manũ ſuã ſuper eos: hoc eſt,puniuit eos tot annis per deſertũ circunducendo. hoc enim ſignant præſenti loco leuare manũ. & quoniã gens querula ſuper omnes erat, ſtatim repetit punitionis cauſam,quia proiecerãt ſcilicet eius præcepta,iudicia & ſabbata. & ingentia beneuolentiæ pignora ſanè dedit, qui non ſtatim eos interfecit,ac perdidit. Quod enim vno tempore contemnitur,& altera occaſione negligitur,alia aut alia forſan conſiderabitur,& quid oporteat fieri, intelligetur. Quapropter continuè Dñs peccatorẽ expectat,& veluti cunctãdo, huc atq; illuc circũducendo,& circũuertendo (vt cũ populo ille geſſit) peccata diſſimulat

propter

propter pœnitentiã, vt ait Sapiens. & beatus Paulus expressit sic dicendo: An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? aut diuitias bonitatis eius contẽnis? Sapi. 11. Roma. 2. Vnde, qui post multam vitam peccatis & sceleribus actam, ad Dominum se conuersum pœnitentia videat, ingentes animos beneuolentiæ numinis concipiat: spei robustissimis alis ad Deum remiget. Nam qui tanto tempore eum sustinuit, & tandem vinculis absolutum sua gratia erexit, ad magnifica quæque spiritus, illum destinauit.

Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, neque in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, iudicia mea custodite, & facite ea: & sabbatha mea sanctificate, & sit signum inter me & vos, & sciatis quia ego Dominus Deus vester: Exacerbauerunt me filii, & in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea non custodierunt, vt facerent ea. quæ cùm fecerit homo, viuet in eis: & sabbatha mea violauerunt; & comminatus sum, vt effunderem sermonem meum super eos, vt implerem iram meam in eis in deserto. Auerti autem manum meam, & feci propter nomen meum, vt non violaretur coram gentibus, à quibus eieci eos in oculis eorum.

NEC semel & iterum, sed infinities hominem repugnantem non deserit Dominus. fregit populus legem datam; dissimulauit interim leuiter puniendo, & quá iustè exitium mererentur proponendo, vt ad pœnitentiam adduceret. Nunc autem commonitione & exhortatione, suasione, blandoq; sermone, eos ad officium reducere nititur. Et quoniam vulgariter filij praui parentes suos in excusationem adducere solent, quàm leuis sit excusatio, ad filios sermonem dirigens, à parentum præceptis & iudiciis omnino abstinere petit. Ego enim, ait, sum Deus vester. in meis ergo præceptis ambulare, & iudicia siue statuta, quibus iustitiam ad proximos ordinaui, custodire; non illorum qui me Deum non approbauerunt, sed idola. & sensu proprio abundantes, suis commodis ducti, præcepta instituerunt de honorandis parentibus, in oblationibus sacerdotum, etsi fame perirent: de odio inimicum prosequendo, vt vindictæ furias sequerentur: de concupiscentia honestanda, quando adulterio non exercebant. Marci 7. Quę omnia etiam legis naturalis corruptiones existunt. & sanctificate, inquit, sabbatha mea, id est, operibus pijs & sanctis eos dies implere, Matth. 5. & sanctos reddire. Quam sanctificationem in signum ponit honoris sui, vt ea reprobaretur Deus eorum. Ait enim: vt sciatis, quia ego sum Dominus Deus vester. Ex quo apertè colligitur præcepta cęremonialia, quibus colendus esset, nondum posuisse: in testimonium siquidem, quòd non idola, sed ipsum verũ Deum sequerentur, sanctificationem sabbathi requisierat. nam præceptis aliis Decalogi naturæ legibus cognitis, quæ (vt dictum est) etiam corruperant, cum gentibus communicabant. sed nec filij audierunt: nam præcepta secundę tabulę, quibus politicè, & ciuiliter, absq; mulcta, & punitione (legum etiam gentiũ) viuerent, transgressi sunt, simul cum his, quæ ad Dei cultum & honorem, necnon ad parentum pietatẽ spectabant: fidem suam in omnibus Deo frangentes. ob quę cùm morte quæstio finienda esset, non eam intulit, sed manum suam subtraxit. propter nomen suum, ne à gentibus ipsis exprobraretur, quòd Deum imbecillum sequerentur, eos liberare non valentem: qua ratione, & ipsi suorum errorum defensionem susciperent. Quocirca nec se vindicauit, implens iram suam, nec commeritas pœnas illis admouit, effundens super eos furorem suum: sed minis, & perditionis suæ concusso timore, illos superducere decreuit.

Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine, vt dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras, eò quòd iudicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbatha mea violassent; & post idola patrum suorum fuissent oculi eorum.

VIDE pertinaciam & duritiam humani cordis: quantò magis Dominus longanimitatem

mitatem suam ostendit, alias atq; alias inducias, vt se conuertant, cōcedit, tantò magis homines obsurdescunt, tenacioresq; sui propositi redduntur. Probè enim id nouerat Propheta quando dixit: Esaie 16. Miserere impio, & non discet facere misericordiā Indulgentia ergo abusus populus in irritatione eius semper perseuerauit, quem & misericordia sua vincere semper contendit. Quapropter non perdit, verùm leuauit manū, id est, minitatus est, se grauius scilicet disperdere eos inter gentes. Quę enim maior punitio quàm curam peculiarem, quam circa eum populum gerebat, remittere, suis eos tradere & permittere, sensibus, absq; lege & cœlesti doctrina inter gentes errare, & sub earum iugo dimittere. tunc non effecit Dominus. prædixit tamē suis posteris, temporibus definitis futurum, vt qui eorum proteruiam præsentem haberet: & ita ex captiuitate Babylonis dispersio populi inter gentes cœpit: & deinceps maior semper facta est, donec aduentum Domini nostri Iesu Christi non adorantes, nec recipientes, omnino reiecti fuerunt, quia tunc completa est eorum malitia, sicut Amorrhęorum, quando è terra sancta eiecti sunt. Attende quanto desiderio conuersionē peccatoris procuret Dominus: quem nec longi temporis expectatio fatigat, nec noua & noua irritatio fastidit, nec obdurata voluntas à miserendi loco permouet! imò tantus in lucrando isto suo homine est, vt nullam occasionem suus salutis prætermittat. Et quò tantę moræ? vt cùm se miser homo iudicio constitutum viderit, se tantum habeat quem accusare possit, nullo excusationis prætextu suffragante. Eorum igitur salutem sitiens, coactus fuit nonnihil condescendere, eorumq; ingenio se parumper accommodare. Vnde subdit:

Ergo ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent; & pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vuluam, propter delicta sua; & scient, quia ego Dominus.

QVASI dicat, contristatus sum pręcepta cęremonialia instituere, & sacrificia illis præscribere, vt qui vsq; adeò ad ea proni erant, non idòlis more gentium, sed mihi ea offerrent. Quod fecit, vt ab idololatria populū illum reuocaret; & lineamenta quædam ineffabilis illius sacrificij vnigeniti filij sui Iesu Christi Domini nostri duceret, in illiusq; expectationem, in remissionem peccatorum, assuefaceret, atq; sic eidem confidere discerent. Antè enim præcepta cęremonialia non dederat, quæ in lib. Leuit. continentur, sed tantū moralia Decalogi & iudicialia, quę ad societatem ciuilem pertinent: quę faciens homo, viueret. Quæ præcepta & iudicia bona appellantur, illa non bona: quia iratus Dominus, post adorationem vituli ea tradidit. Hierem. 7. Vnde Hieremię 7. De verbo holocaustomatum non loquutus sum patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti. cuius sententię est etiam Rupertus super Rupert. super Matth. fol. 59. Matth. & super caput primum Malachiæ, quia in idololatriam post egressionem ab Ægypto non inciderant: Nam hæc exasperatio in fabricatione & adoratione vituli initium habuit. Cui sententiæ suffragatur aperte quod Propheta his verbis innulgauit: Hęc dicit Dominus exercituū, Deus Israel: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non sum loquutus cum patribus vestris, & non pręcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatū & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis, dicens: &c. Vbi præfatam sententiam planam vides. sed in hoc ipso adhuc præuaricatores inuenti sunt: Nam Domini præceptis non contenti, filios suos primogenitos sacrificauerunt, & per ignem more gentiū traduxerunt in expiationem suorum delictorū. Vnde pollui eos ait: id est, ostendi grauiter sic esse pollutos: vt scirent, quia ego Dominus Deus: nec patior tā horrenda & abominabilia sacrificia, quæ idòla tam obnoxiè petebant. & aduerte quòd id quod habet editio nostra, propter delicta eorum, alij vertunt, vt desolarem eos: quia verbum Hebręum (lemaan assimem, hoc significat:) Vt bene notat Galatinus ex glossa Rabi Salomonis, Item manifestat quod sequitur, & scient quia ego Dominus sum: quod inductionem malorum solet sequi. Dicit autem ea præcepta non bona, non quòd ex se bona non essent, sed tantùm quòd in boni auctorem, Deumqu: ipsum non referrentur, ait Hieronymus, sed in idòla. itaque ob vsum prauum, & non ob institutionem, ea non bona dicit. qua ratione & nos Christiani, Dei præcepta & instituta, abusu non bona facimus, quę in nostra commoda, & humanas

manas vtilitates ea conuertimus: & præterea alia ratione communi doctorum, quia ea à peccato liberare ex se, & iustificare hominem non valebant, vt docet B. Paulus dicens: Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, [Hebr. 10.] per singulos annos iisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere. Non enim illi iusti & boni apud Deum efficiebantur, vt testatur etiam alibi Dominus: Et Libanus non est sufficiens ad [Esaie 40.] succendendum, & animal eius non sufficit ad holocaustum, id est, ad satisfaciendū pro peccatis gentium, inquit Rabi Salomon: neque pro peccatis Iudæorum, quia ad infernos quantumuis sancti descendebant: id est, non sufficiebant ad iustificandum, neque ad gratiam conferendam quæcunque in templo sacrificia offerebantur. Libanus enim pro templo accipitur, vt ab sponso: Nasus tuus sicut turris [Cant. 7.] Libani, hoc est, sicut domus sanctuarij. sicut enim nasus datus est in altitudine hominis, sic domus Dei data est in altitudine mundi. De templo etiam dicit Moyses: [Deut. 3.] Transibo igitur & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum, id est, templum quod in spiritu videbat. Hebræi autem nō appositum faciunt dicentes: Mons iste bonus, scilicet est, & Libanus. Quia ergo sa- [Osee 6.] crificia illa ex se iustificare hominem non valebant, non bona sunt dicta. Vnde opera pietatis, illis sacrificiis semper præposuit Dominus, dicens: Misericordiam volui, & non sacrificium. & amabiles magis fuerunt Domino tribulationes patienter susceptæ, quàm sacrificia perfunctoriè oblata: & meritò, quoniam hęc de diuinis & externis rebus, illę verò de corpore hominis & eius attritu fiebant: quod magis æstimat homo, iuxta illud, Pellem pro pelle, & quicquid habet vir, dabit pro anima sua, [Iob. 2.] id est, pro incolumitate sui corporis, animam pro vita corporali accipiendo. Diuus autem Hieronymus magis inclinatur, vt per præcepta non bona intelligantur præcepta gentium, inter quas spargendi erant, & earum futuri tributarij: nam legibus earum gentium tunc subijcerentur: quæ præcepta erant non bona, id est, mala. Atque ita versio Symmachi magis illi placet, futurum & non præteritum reddendo, dicens: Dabo præcepta non bona. Diuus Gregorius, præcepta non bona respectu [lib. 8 Moral. cap. 1.] meliorū, euangelicorum nempè, hæc vult appellari. Verùm sententia superior mihi omnino probatur.

Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Adhuc blasphemauerunt me patres vestri, cùm spreuissent me cōtemnentes, & induxissem eos in terram, super quam leuaui manum meā, vt darem eis; viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas; & dederunt ibi irritationem oblationis suæ; & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ, & libauerunt libationes suas: & dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingrediamini! & vocatum est nomen eius Excelsum vsq; ad hanc diem.

Quàm ingratum se populus ostenderit in itinere deserti, narrauit Dominus. Veruntamen nonnihil indulgentiæ errata forsan commerebantur, quæ angustiis & laboribus viæ, viatores compulsi admiserunt, & qui dulcedinem & quietudinem patriæ non gustauerant, quam appellabant? sed iam audi quæ in termino & sui itineris fine, promissam terrę illius abundantiam adepti, legis & iudiciorum Domini doctrina eruditi, ad pectus Domini tanto tēpore ablactati, & tanta illius indulgentia generati, nutriti, & aucti fecerunt. Adimpleta enim Domini promissione, eiusque iuramento, (hoc enim sonat hoc loco, cùm induxissem in terram, super quam leuaui manum meam) contemnentes spreuerunt Dominum: id est, malignè & deliberato animo iniuriis, ac opprobriis ipsum affecerunt. atq; præter alias abominationes, exquisitis modis semper ipsum blasphemauerunt. & quæ sunt abominationes? attende: nimirum gentium ritus finitimarū ilicò enim ad primum obtutum, atq; intuitum excelsi collis, arborisq; frondosę, victimas suas obtulerunt. & dederūt, inquit, irritationes oblationis suæ, id est, de more suo, suis oblationibus me irritauerunt & prouocauerunt. & posuerunt odorē suauitatis suæ: quia sibiipsis, & suis beneplacitis thurificabant, sibi & non Domino gratificari intendentes. Et libauerunt

libamina sua, quia non quę Dominus instituerat. Vbi Christiano homini tria exprobrantur: principiò, quòd post susceptum baptismum multis peccatis iniuria affecit Dominum, innocentiam quam fuerat adeptus, contemnendo. Deinde non ratione ductus, ad primum delectabilis rei obtutum, in ea tanquam in Deo cor defixerit, Dei sui penitus oblitus, vt suam superbiam nutritet. (hoc enim excelsus collis significat) & suç etiam blandiatur concupiscentię; quouis obuio suam explendo libidinem, quod est, sub frondosa arbore sacrificare. Tertiò, quod in sacrificiis & oblationibus nulla synceritas & puritas continentiæ inueniatur, sed indignis accessionibus ad diuina sacramenta, & præsertim sacrosanctum Eucharistię, Dominum irritent, sibi placere, & non Domino curando, aut suam dulcedinem, id est, proprium spiritus gustum attendendo, & sua commoda & terrenas fæces solùm anhelando. quæ summa diligentia vitanda sunt, ne instar populi illius, diuinam in nos irā prouocemus, quos Dominus ira redarguit, dicendo: Quid est excelsum ad quod ingredimini? quasi dicat, acerbè obiurgando: Nunquid ego non constitui vobis locum, tabernaculum, &. templum vbi sacrificare debuistis? quid excelsum istum locum elegistis vestris libaminibus? nisi quòd mores gentiū sequimini, & eadem vos colitis quæ illi. Nec semel aut iterum hoc fecerunt, sed vsq; adeò frequenter, vt ex consuetudine collis ille prę cunctis electus montibus, excelsum Israël appellaretur. hoc illis de sublimi loco obiiciebatur. at quanta cum ratione nobis, qui superbiæ montem quotidianis nostris actionibus quærimus: piis operationibus & oblationibus propriū factum & excellentiam, dignitates quasq; maiores obtendendo, obiicitur: Quid est excelsum, ad quod tanquam fornicatores, cultum verum maiestatis diuinæ polluendo, impudenter ingredimini? qui enim propter affectum humanum præceptum Domini faciunt, non solùm mercede destituuntur, sed supplicio digni sunt: Qui faciunt præceptum non secundum cultum Dei, sed iuxta hominum complacentiā, aut alicuius alterius voluptatis gratia, aut auaritię, aut negociationis, inquit Basilius.

Propterea dic ad domum Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Certè in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini, & in oblatione donorum vestrorum, cùm traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idôlis vestris vsq; hodie, & ego respondebo vobis domus Israël.

IN peregrinatione deserti, & terrę promissę commoratione, parentum enarratis sceleribus & impietatibus cum omni ingratitudine, iam ad consulentes senes conuertit sermonē, & ad totum populum: eadem peccata, similes fornicationes, adorando idôla, & consimilia sacrificia, quibus polluuntur, exprobrans. vnde nec responsionem meremini, ait, neq; fiet cogitatio quæ in animū vestrum ascendit, vt more gentium colatis ligna & lapides, quod in votis vobis semper est. Consulturus enim Dominū, aut aliquid oratione petiturus, pura & munda conscientia curet accedere: alioqui cum reprehensione graui eiicietur; tantum abest, vt cordis postulata assequatur: Lucæ 18. scimus enim, dixit cæcus ille ad Pharisæos, quòd Deus peccatores non exaudit. vt non exaudiuit Pharisæū illum, qui ad orationem accedens, suarum laudum prę co extitit. & meritò quidem, cùm oratione indignū; laudatione verò, se potentem fateretur. Nam quę maior impudentia quàm re ipsa contraria promere, & propitiū quærere, quem ipsa accessione offendis, non solùm sceleribus plenus, sed tenax propositi ad id consulis, vt quem sollicitas, incuriosius lacessas? Sap. 14. odio enim sunt Deo impius & impietas eius, inquit Sapiens.

Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis, neq; cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides: viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. & educam vos de populis, & congregabo vos de terris in quibus dispersi estis. in manu valida, & brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos, & adducam vos in desertum populorum, & iudicabor ibi vobiscum facie ad faciē, sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Ægypti,

pti, sic iudicabo vos, dicit Dominus. & subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis, & eligam de vobis transgressores & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & terram Israël non ingredientur; & scietis quia ego Dominus & vos domus Israël.

VIDE stupendam contentione inter Deum & peccatorem: hic Deum fugere, dedignari & spernere certat. Deus autem ipsum quærere, allicere & magnificare pergebat. Adeò obstupuerat populus, quod [illegible] esse, nec [illegible] populum Dei placebat, sed suo arbitrio viuere, ligna & lapides colendo, vt vna gẽs e pluribus magis faciebat. Attamen sub iuramento affirmat Dominus, quod non patietur eos a se sic deficere, sed nolentes ad officiu reducet, & in eo continebit, in hoc saltem, vt agnoscant eum regem, sub iugoque regni eius viuant. Nam fortitudine manus, robore sui brachij, concitato furore veniens, misera seruitute captiuos pressit, & in eandem Hierosolymis agentes exercitu Babyloniorum expugnatos adduxit: vt qui indulgentia ceruices erexerant, flagellis & miseris calamitatibus, potentia & iustitia Domini admonitis, super ipsos tanquã super seruos regnaret. Neq; ita vos inter gentes relinquam, ait Dominus, ne in hoc gratum vobis faciam, & libere gentium placita sequamini: sed item forti mea manu, & robusto brachio euellam vos de gentibus atq; de earum populis & terris congregabo vos, vt populu & regnum meũ. Verum nec sic quiescetis, dicit illis Dominus: in desertũ populorum, medium nempe inter Chaldęam & Iudęã, vos adducam, ibi iudicabor vobiscum facie ad faciem. Duo mala cõminatur Dominus: vnum quòd, in desertũ & solitudinem, vt quando eorum patres egressi fuerunt ab Ægypto, sint agendi. alterum, quod ibi probabuntur, & sic disceptabit cum eis Dominus facie ad faciẽ, id est, sine testibus, & media gente, quę eos a Domino retraheret. & iudicabor tunc, inquit Dominus: id est, iudicio dignoscar verus Deus, sicut cum patribus vestris hoc ipsum totum facere cõtendi. pro iudicabor & vlciscar, vertit paraphrastes Chaldaicus: quia in vindicta suorum peccatorum flagella hęc admota fuerunt. Examinatione autem hac facta, subiiciam vos sceptro meo, & inducã vos, ait, in vinculis fœderis. tunc quippe rebelles aliquos suo sceptro subiicit, quando sua potentia vsus, subiectos eos facit: & tunc vinculis suę legis eos religare & continere dicit, sub quibus viuere facit: polita autem lege, aut antiqua renouata, & nouo fœdere inito, quos contumaces adhuc & rebelles probauerit, tanquã impios & transgressores eligit; non vt in terram Israel cum cęteris regrediantur, sed vt dispergantur inter gentes, & earũ religionibus pereant. atq; iterũ sic, discretione bonorũ & malorum cognoscatis, quia ego sum Dominus, qui cuncta iudicio dispono: etenim enim cõmoratione, in eodem q; facta examinatione vtriusq; partis, & fœderis pactione, ineffabile Dei iudiciũ & immutabilis discretio aperte cognita fuit. Cursim tamẽ in his Domin⁹, Euangelij vincula noua, apostolorũ prędicãtionem inter gentes, & sui integra cognitionẽ per assumptę humanitatis manifestationẽ designat. Manu etenim forti & brachio extento, & effuso in diabolũ furore, nos redemit, & iugo Euãgelij, quod vincula hic nuncupatur, per prædicationẽ apostolorum qui ad id electi fuerunt, & inter gentes dispersi, subdidit. Ibi. Exod.

Hæc dicit Dominus Deus. Singuli post idóla vestra ambulate & seruite eis. Quòd si & in hoc non audieritis me & nomen meum sanctum pollueritis vltra in muneribus vestris & in idolis vestris.

ABOMINATVR Deus duplices homines, qui corde & corde loquuntur: & qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus [illegible] ab [illegible] bean, secundum illud, Vę duplici corde, & labiis [illegible] & manibus [illegible], & peccatori [illegible] duabus [illegible]. V[illegible] per Ioan [illegible] Dominus, [illegible] poc[illegible]tas [illegible]: Vtinam calidus aut frigidus esses: sed quoniam tepidus es [illegible] piam [illegible] cu[illegible] de ore meo. Christianu [illegible] qui vt [illegible] placeat cuncta opera virtutis & [illegible] suscipit, abominabilis est Domino. Vnde Apostolus ad Rom. scribens, ait: Debemus [illegible] nos firmiores imbecillitates [illegible] sustinere, & nõ nobis placere. Quod autẽ populus [illegible] C[illegible] idolis sua sacrificia offerret [illegible] us tota mente deuotus erat, in Dei honorem ea se offerre iactabat [illegible] iuxta suum beneplacitũ illum colere. quod detestando Dominus dixit: singuli post Psalm. 11. Eccles. 2. Apocal. 3. Rom. 15.

idóla vestr[illegible], & [illegible], &c. [illegible] d. ag[illegible], & [illegible] m abi[illegible]te. C[illegible] aperte [illegible] quandoqui[illegible]em n[illegible]n ob[illegible]temper[illegible]tis mihi [illegible]is nomen m[illegible] sub eo id[illegible] off[illegible]end[illegible] ita [illegible] parti[illegible] quod [illegible]a-tiua sit,& non conditi[illegible]is.& [illegible]is [illegible]abete. siquidem audi[illegible] non vultis, [illegible]itis quo[illegible] c m[illegible]at. Cap[illegible] e[illegible] c[illegible]torem,quem n[illegible] fla-gella mouent sui arbitri[illegible] finit Dominu[illegible],finem suum expectando iuxta illud [illegible]ro-

Psalm. 36. phet[illegible] [illegible] de[illegible],quoni[illegible],quod ve[illegible]et dies e[illegible]

In mo[illegible]te, [illegible] Deu[illegible] seruiet mihi omnis domus [illegible] ter[illegible] qui [illegible] sunt m[illegible] qu[illegible]ram prim[illegible] [illegible]rum [illegible]

V[illegible] os [illegible] e capt[illegible] [illegible] t[illegible]dine p[illegible]ati[illegible] ec fi-cti [illegible] detectio m[illegible],b[illegible] om[illegible] [illegible]at,& [illegible] Deum c[illegible]tiertant, liberum [illegible] d Hi[illegible] & [illegible] ant[illegible]ú in flo[illegible] ip-sorum [illegible] na[illegible]ati[illegible]e, & gent[illegible] [illegible]natione p[illegible]nunciat: in qu[illegible] e[illegible]am [illegible]am [illegible]brat. [illegible] D. Hi[illegible]on. [illegible] & n[illegible] sub vn[illegible] de e[illegible] le-sia v[illegible] a cor[illegible] d[illegible] ali supra memorata suspense le[illegible] a[illegible]t as-[illegible]rat [illegible] q[illegible] o[illegible] re semper [illegible]ue [illegible]t, spretis ip[illegible]s, eri[illegible]et e[illegible] tem sa[illegible] ta[illegible]ter suscipiet,& ab ea cultum legitimum requiret quem læta[illegible] etiam & [illegible]det. L[illegible] superior tamen mihi magis p[illegible]bat[illegible] a-perte cultus & [illegible] le[illegible] meminit qu[illegible] in ecclesia ab[illegible]lend[illegible] erat: & ad[illegible]at[illegible] as it[illegible] gentium [illegible] p[illegible] ecclesia n[illegible] spect. [illegible] ed ex ipsis [illegible]on[illegible]nd. [illegible] cit c[illegible] tot[illegible]ú esse v[illegible]m su[illegible] en p[illegible] uo[illegible] in celitudine mon[illegible]rat, [illegible] Ita [illegible] ser[illegible]ret, que[illegible] [illegible]ber[illegible]er ample[illegible]e-tur, vt eorum vota & obsequia læto animo susciperet omnin[illegible] [illegible] sibi [illegible] placeret. Add[illegible] præterea: [illegible]lationes siue primitias & decimaru[illegible] n[illegible]ta præcep-ta legis requisiturum,quibus ipsum sanctificare, Deum verum, auctoremque om-n[illegible] declarando in[illegible]t, tempore patrum suorum

In odorem, ait [illegible] suauitatis sus[illegible] ipsam vos cùm eduxero vos de populis, & congre[illegible] auero vos de [illegible], in q[illegible] d[illegible]per[illegible], & [illegible] anct[illegible] abor in [illegible] obis in ocul[illegible] n[illegible]tionum [illegible] quia ego Dominus, cum eduxero [illegible]s ad terr[illegible]m [illegible], in terra pro qua leuaui [illegible], [illegible] d[illegible] im p[illegible]bus [illegible] estr[illegible], & r[illegible] mini[illegible] m[illegible] estrarũ, & [illegible]um ve[illegible]rorum, quibus poll[illegible] di[illegible] [illegible] obis in cōspectu [illegible] ro[illegible] n[illegible] malitiæ[illegible] es[illegible] quas [illegible] ecis[illegible] & [illegible] quia ego Dominu[illegible] cum [illegible] propter nomen meum, & non secundum vias vestras malas, nec secundum [illegible] elera vest[illegible]a pessi-ma, domus Israel, ait Dominus Deus.

S P E C I A L I V S exprimit Dñs beneuolentiam sui populi in suo reditu: Nã gratos sibi futuros dicit, cùm rędificau[illegible] templum, & p[illegible] red[illegible] fue[illegible]t de ter-ris & populis in terram supra quam leuauerat manum suam, idest, quam [illegible]e datu-rum iurauerat patr[illegible]bus [illegible] p[illegible]s [illegible]bus q[illegible] ea c[illegible] m[illegible]oratę sunt. Deinde pœnitentia[illegible] quam a[illegible]t, p[illegible]unciat [illegible] n[illegible]m [illegible] scel[illegible]um & [illegible]itiorum suorũ recorda[illegible] q[illegible] x[illegible] e v[illegible]is di[illegible]plicebit[illegible]s in conspectu vestr[illegible] in-quit, quia rubore facies vestras. [illegible] d talia feceritis, cō[illegible]uta[illegible]tis. Tertiò di[illegible]d co[illegible]ce[illegible] esse Don[illegible] & De[illegible] p[illegible]pter nom[illegible] suum, i[illegible] c[illegible]-co[illegible]m sua[illegible] tia mot[illegible]s tantis bonis eos affecit, [illegible] v[illegible] s priuauit, [illegible] di[illegible],& vastau[illegible] ad q[illegible]od malitiæ [illegible] ta[illegible] rata, ta[illegible] p[illegible]e rant. Cogno[illegible]e enim hoc loc[illegible] est [illegible]d tanquam D[illegible] cro au[illegible] [illegible]em

Sapient. 13 perare: iuxta illud Scr[illegible]ptu[illegible]re No[illegible] te, co[illegible] mat[illegible] & fere [illegible]á & v[illegible]te[illegible], [illegible] x[illegible] immortal[illegible]. Apt[illegible] Hi[illegible]on[illegible] a-drat, vt de ecclesia p[illegible] u[illegible] [illegible] a[illegible] oc[illegible]. In monte [illegible] & [illegible] d il[illegible]m, In od[illegible] c[illegible] & c. Cu[illegible] a[illegible] oc au[illegible] in Hierusalem, con[illegible]re[illegible]tionẽ c[illegible] [illegible]et, & magnifica [illegible] t, delicet in qua non [illegible] Chri-stum scilicet le[illegible]um Domi[illegible] [illegible] a[illegible], a[illegible] q[illegible]um pœ[illegible] a c[illegible]t, nec non nomen sanctum su[illegible]m [illegible] e[illegible] t.

Et fa[illegible] us e[illegible] primo Dom[illegible] m[illegible] d[illegible] [illegible] u-stri, & s[illegible]lla ad Africum, & [illegible] ad [illegible] m[illegible], & [illegible] me-ridiano:

ridiano: Audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus [illegible] *ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride,* [illegible] *flamma* [illegible] *comburetur* [illegible] *ad aquilonem* [illegible] *Domine* [illegible]

M[illegible] post [illegible] habenas [illegible] & enarrationi [illegible] destru[illegible] & [illegible] (quod lex & [illegible] n Chald[illegible] & [illegible] Deut. 32.
[illegible] d [illegible] Assyrium & A[illegible] eam [illegible] exaggerat a[illegible] me[illegible] Q[illegible] Lucæ 13.
d[illegible] & [illegible] A[illegible] pe[illegible] qui [illegible] & [illegible] minus [illegible] audito h[illegible] & [illegible], at[illegible] uersionem, vt fic [illegible] Dominus placaretur [illegible] excusit[illegible] quam [illegible] derent, prætendere dicunt, at Num [illegible] parabol[illegible] id est, obscure loquitur, non intelligimus quid dicat.

CAPVT XXI.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem, & [illegible] ad sanctuaria, et propheta contra [illegible] Israël, & dices terræ Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & [illegible] gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum & impium. Pro eo [illegible] occidi in te iustum et impium: idcirco egredietur gladius meus de vagina sua [illegible] carnem ab Austro vsque ad Aquilonem vt sciat omnis caro, quia ego [illegible] gladium meum de vagina sua irreuocabilem.

NVLLVM [illegible] al-ce [illegible] capiti [illegible] At [illegible] t pœ[illegible] per [illegible] & [illegible] a prætendere [illegible] & in parabolis [illegible] etur. [illegible] valli [illegible] H[illegible] & [illegible] buit plenum est H[illegible] inde p[illegible] magnitudine auget & [illegible] Moab[illegible] ex[illegible] bet er[illegible] D[illegible] I[illegible] esse & iam iam [illegible] gladium, [illegible] simus cum [illegible] & [illegible] ab Aust[illegible], vniuersam terra Iud[illegible] quæ [illegible], qua [illegible] ego Dominus Deus [illegible] O[illegible] rem ex com[illegible] & [illegible] item virtutis [illegible] va[illegible] exercitus Chaldæorum [illegible] vagina inclusus [illegible] qua [illegible] cum [illegible] hostes [illegible]. V[illegible] docet nos Dominus,

[illegible]um & instrumen[illegible] be[illegible]m esse quo suos p[illegible],vt ad [illegible] suorum pœnitentiá agant,& in officio continea[n]tur, non [illegible] pr[illegible] a[illegible],& fl[illegible] a[illegible]uet, sed et[illegible]m qui c[illegible] V[illegible] pr[illegible] Dominus c[illegible] non lætari, nec [illegible]am ia[illegible],sed [illegible] a[illegible], & [illegible] [illegible] in eos tantundem gladius fuit, in omnem regionem vs[illegible] vt in [illegible] starent [illegible]se incolumes,videndo, cum [illegible] pun[illegible]tur. hoc enim [illegible]cat illud: Pro eo autem quòd oc[illegible] impi[illegible], [illegible], lætati fuit.

[illegible] in contritione lumborum, [illegible] in amaritudinibus in[illegible] coram eis. Cumq́; dix[er]int ad te, [Q]uare tu gemis? d[ice]s: pro auditu: q[uia] [illegible],e ta[illegible] cor, [illegible] tur vniuers[illegible] manus,et in[illegible]r[illegible]ur omn[illegible] [illegible]us, et per cu[illegible] g[enu]a [f]luent aquæ. [Ecc]e venit,et [fi]et, ai[t] Dominus Deus. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis pr[ophe]ta,et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere,gladius exacutus est, [et li]matus,vt [c]ædat vi[cti]mas, exacutus est: vt spl[en]deat limatus est. qui m[ouet] [s]ceptru[m] [fili]j mei, [illegible] omne lignum.et d[e]di eum ad leui[gan]dum, vt teneatur manu. [H]ic exacutus est gladius, & [hi]c limatus est, vt sit in manu [illegible]

C[ON]cionator [illegible] a[f]fectum induat oportet,ad quem permouere populum in[ten]dit [illegible] ue[illegible]t animo Dominus,timore flagelli concussum populú pœnitentiam ag[illegible],vt [illegible] d[o]le[illegible] qua ratione euaderet. & vt vrgentius prouocaret, iubet prop[he]t[illegible]ntem [illegible] sensum demonstrare: neq; vtcunq;, sed ex intimo pectore [illegible] [illegible]tio verbi ingemisce. & omni cum dolore,ita vt totus [illegible] propter a[illegible] ation[e]m roboris sui populi quod lumbis significari so[illegible] & [illegible] es [illegible] pe uc[illegible] .& quo spect[a]t [illegible]s dolo[illegible]s? vt inau[di]ta mala [si]c futura [illegible] ac timeant. & quę sint il[l]a interrogantes, sibi con[illegible] t. Q[illegible]nde[illegible] pr[illegible],sic dol[o]re occu[pa]ri quód audient sonú & mur mu[illegible]duentantis. Cuius tanta erit vis & efficacia,vt opus suum peragat, ac si [illegible] Na[illegible] ore c[illegible], v[illegible] pę angu[illegible], non sit, qui a[d] arma m[an]us leuet. Qua[illegible]atorum ma[illegible] us [illegible] luentur & nullius ani mo[illegible] a[illegible]t, q[illegible] & conc[i]dat. Q[illegible] ita pauidus v[illegible]q. eri[t], vt trem[a]t per[in]de atq; aqua vento permota,aut [illegible] dore pę macilitate c[illegible] a c[illegible],siue sol[u]ta ve[illegible]a,vt vult Hierony. iniustus per g[en]ua vrinam mi[ttat]. Et vnde tanta & vniuersalis omnium consternatio? [Q]uia gladius,dicit Domi[illegible] exacutus,& [li]mat[us] [illegible].Ex acuitate hoc habet, vt obuios cunctos [illegible] v[i]ct[im]as & p[illegible]des mac[t]et. Ex splendiditate verò, vt omnes videntes perter[ri]t[illegible] & [e]x[illegible] et [illegible] ge[illegible] ca[illegible]. Quare,[illegible]t propheta, qui moues sceptrú fi[li]j [illegible] omne lignum. ali[j] vertunt: aut gaudebimus? virga est filij mei re[illegible] I[illegible] te[illegible]t, & per apo[illegible] dolore incitatus gl[a]d[iu]m al[illegible] [r]egni I[u]dæorum ipsum facere annunciat: cùm omne li[gnum] [illegible] vi[r]ide, q[illegible], id est,potentes omnes cum populo. aut se[c]undum alia versio[ne]m, ad popul[um] [s]ermonem co[nu]e[rt]et,dicendo: & gaudere de[bere] [illegible] & no[illegible] [illegible] lacrymas [illegible]oluere, cum videam v[ir]gam populi mei, ([illegible]) omne lignu[m] [illegible] [illegible]tem, & reg[nu]m abs[illegible] at di[illegible]tan, c[illegible] id euen[illegible]um & indu[s]tria hominum fieri; quamobrem & [i]n[illegible] her[illegible] & [illegible] a mun[it]ione procedat. Respondet [D]ominus, minime [illegible] g[illegible]eg[illegible] c[x]ercitum moueo,& meo consilio & prouidentia inst[illegible]etur & [illegible]t, vt [illegible] & [illegible] ad le[illegible]ndu[m], ait,&c. Quasi [d]icat, Ego gladium h[un]c [illegible] perp[o]l[ie]ndum dedi Nabuc[h]odono[s]or, id est, hanc potestatem, vt teneat [illegible] man[u], id [illegible] & [illegible] ag[illegible], & exac[utus] & limatus ac [illegible]u[illegible] positus est vt [illegible] manu inter[fi]cientis. Ac [si] di[c]at & nu[nc] prou[idi], vt c[illegible]eret [illegible] [illegible] t,q[illegible] [nu]nq[u]am c[illegible] mani a[illegible]piens te interficeret, q[u]od tam iu[st]e commeritus es.

Clama,

Clama, & vlula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israël. qui fugerant, gladio traditi sunt cum populo meo: idcirco plaude super femur, quia probatus est, & hoc cùm sceptrum subuerterit, & non erit, dicit Dominus Deus.

SECVNDÒ, stragis magnitudinem describit à populi totius vastatione: quoniam in ea populus cadet, qui ad templum confugerant: hos enim & hospites, qui confugij gratia ad eam ciuitatem peregrinantes migrauerant, & omnes item, qui ad se tuendos in templum, grassante hoste, se reciperent, per eos qui fugerant intelligit. Nisi Sedechiam cum suis forsan & aptiùs intelligat, qui etiam è ciuitate egressus in deserto Reblatha captus fuit: ob quam rem non iam gemitibus solum agere, sed clamoribus & vlulatibus aërem implere iubetur: vt illis effuso corde suppetias à Domino petat: his verò, doloris vehementiam cunctis aperiat; & tam grauiter, vt præ stupore, inquit, femur percutiat; atque ita nullum signum stupefacti & perterriti hominis ostendere prætermittat. & cuius rei gratia tanta acerbitas? quia probatus, inquit, est, id est, quia gladius in persecutione non est obtusus, nec flexus: sed efficax omnino & fidelis inuentus est. Quod opere comprobatum, ait, euader, quando eo sceptrum subuersum erit, finemque regnum accipiet: in Sedechia namque finitum est. Quod si referre velis ad populi; probationem, vt pœnitentiam agat, vt aliqui volunt, flagelli finem explicabis; non tamen ita aptè literam contexes. Rabini autem per gladium hoc loco linguam effrænem intelligunt, atque odia intestina per linguam sic limatam prodeuntia, suę captiuitatis & destructionis causam hic vnam explicare volentes. super id enim quod noster textus habet, gladio traditi sunt, cum populo meo, (quod ad verbum ipsi reddunt: prostrati gladio fuerunt populus meus) Rabi Eleazar sic ait: Hi fuerunt filij Adæ, qui inuicem comedebant & bibebant, & alter alterum gladiis linguarum suarum transfigebat. & fortasse dices: Nunquid hoc erat in principibus Israël? Etiam. Scriptum est enim (vbi suprà) scilicet clama & vlula fili hominis, quia ipsa quæ fuit in populo meo, ipsa est in omnibus principibus Israël. vbi Rabi Salomoni, ipsa scilicet romphæa, vel spatha quę fuit in populo, modò est in principibus eius. Hęc isti: vt vel exteris testibus, quantum odia in fratres, & venenatę linguę ea generantes & nutrientes, execrabiles sint Domino, intelligas.

Tu ergo fili hominis propheta, & percute manum ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum. hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem: exacuere; vade ad dexteram siue ad sinistrã, quocunq; faciei tuæ est appetitus; quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam. ego Dominus loquutus sum.

TERTIÒ, à crudelitate gladij supplicium auget, ob quod palmis etiam complaudere in signum magnę eiulationis iubet. gladius autem hic, vt dicit Diuus Hieronymus, tres reges inuasit, Iechoniam, Ioachim, & Sedechiam, vnde & triplicari dicitur. Placet tamen vt summã in hoc significet miseriam, quam ciuitas illa passura erat: ob quod magnę occisionis gladius dicitur: Nam omnium corda dissoluet & obstupescere faciet, dum subitò in portis omnium multiplicabit interfectorum ruinas: & omnibus, inquit Dominus, dedi conturbationem, id est, terrorem conturbantem, ex acuitate, & limatione gladij amicti, ait, ad cędem: (quia capulo inuolutus est, vt teneri possit manu, ad exercendam cædem) vsqueadeò omnibus ad stuporem splendescentis, & ad dexteram atque sinistram quoscunque obuios iussu Domini percutientis. Nisi malis dicere cum aliquibus: Prophetę sermonem, esse gladium precantis, vt non ita crudeliter versus omnem partem pro voluntate agat, sed temperet se, & ad sinistram & dexteram aciem dirigat, & saltem aliquibus pateat. Cui aperte suffragatur alia translatio, quæ habet: Decerne vnum consilium, aut dexteram tene, aut sinistram. tandem calamitatis magnitudinem, per hoc demonstrare contendit, ostenditque dolorem eius ad cœlum ascendere, ipsumq;

ipſumque Dominum pertingere: Quocirca ait, quin ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam. hoc eſt, ſenſus etiam doloris oſtendam, manum ad manum percutiẽdo, cùm vindictam exercuero, & ſic ad extremum vſque gladio meo feriam. quod proculdubio eueniet: Nam ego, ait Dominus, loquutus ſum. Quaſi dicat: poſſum omnia, & deficere in verbis meis non poſſum. Tanta enim erga nos Dominus charitate ardet, quòd inuitus flagellum aſſumit noſtris iniquitatibus prouocatus. nam pro ingenio ſuo ſolùm miſereri habet. quapropter finem ſuæ indignationis imponit, & flagellum ceſſare facit: quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Attende tu ergo Chriſtiane lector qui peccata proximorum dolere debeas, quæ Prophetam iuſſu Domini gemere faciunt, vlulare, fœmur & manus præ anguſtia percutere: quin & ipſum Dominum ad hoc compellunt. hoc autem gladij ſæuitiam, & interfectorum ſtragem, quam facit contemplando: quæ inferni tormenta, & mortes illic commorantium, ſignificat. qui locus peccatoribus finaliter præparatus eſt: in cuius procemium, & iudicium, ſtrages hæc tam magna & dira Iudæorum, populum poſt tot immania & pertinacia peccata, manſit.

Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Et tu fili hominis, pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis. de terra vna egredientur ambo: & manu capiet coniecturam. in capite viæ ciuitatis conijciet. viam pones, vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Amon, & ad Iudam in Hieruſalẽ munitiſſimam. Extitit enim rex Babylonis in biuio capite duarum viarum diuinationem quærens, commiſcens ſagittas. interrogauit idôla, exta conſuluit. ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Hieruſalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones. eritq́; quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis eorum, & ſabbathorum otium imitans: ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendum.

INDVSTRIAM & modum, quo aduerſarius vſurus erat ad ſuam complendam voluntatem, iam aperit: non enim incautos, ſed præmonitos ſuos eſſe vult, vt ſibi conſulant, & futuris malis prouideant: tanta charitate in eos ardet: torporem item & irriſiones, quas Iudæi facerent, hoſtium præparamenta videndo, tanquam qui eos, & omnia ſua nihili ducerent, ſimul enarrat. Prædicit ergo conſultationem, quam Nabuchodonoſor habuit in deſerto Arabiæ, vbi iter quod à Chaldęa duxerat, ſindebatur: verſus Reblath metropolim Amonitarum, (quæ nunc, teſte Hieronymo, Philadelphia appellatur) & verſus Hieruſalem principem ciuitatum Iudæę. Ibi enim in biuio conſtitutus, more humano manu ad frontem admota, in quam prius partem impetum faceret, coniecturam habuit cum ſuis, & fortunam pro vanitate ſua, conſultricem voluit, dum immiſſis in pharetram ſagittis inſcriptis regionum nominibus, quę primò exiret, inuadendam ante ſignaret: vel ſurſum iaculatis, verſus quam declinarent partem, prius expugnaretur. Hoc & illo modo ſortilegi illi, præſenſionem ſui conſilij captabant. tertiò voluntatem ſuorum deorũ procurauit: nam idôla interrogauit, reſponſa quęrendo, exta etiam & animaliũ iecora, quam verſus partem diſpoſita eſſent, diligenter inſpexit, vt nullum auguriũ, aut omen, quod ad rem facere poſſe videretur, prętermitteret. Requiſitis autẽ omnibus, definitum fuit, viam Hieruſalem capiendam, diſponendoſq́; arietes ſiue duces, qui robur ſunt belli, & vt ad cędem præpararentur exhortarenturq́; milites, vlulatu & clamore valido ac ſi cõgrederentur, vociferari iubentur, & vt vmbratile bellum ibi referrent, arietes, aggeres & cætera machinamenta bellica præmuniri. Quæ omnia irriſerunt Iudæi, & oracula idolorum mendacia, & cæteras induſtrias bellicas, quas aduentantes exercebant, ſubſannando læti ſunt, ac ſi diem ſabbathorum celebrarent, in ipſoque otiarentur: fœdere inſuper inito iurauerant cum Chaldęis: Quapropter nunquam eos ad manus venturos arbitrabantur. Quod Sedechias rex ſiegerat, vt ſuprà memoratum eſt. Et quid agit Nabuchodonoſor? ipſe autem recordabitur, inquit, iniquitatis ad capiendum, hoc eſt, vt eos capiat, expugnet,

in

in ſuamque ditionem redigat, memoria recolet iniquitates eorum, quibus Deum ſuum offenſum habent, & in hoc totam ſuam ſpem, & fiduciam locabit. Hoc enim fama acceperant, quòd Deus eos perdidiſſet, ſemper quòd iniquè contra ipſum egiſſent: & ſaluaſſet, cùm ad cultum debitum & virtutis officium oculos ſub- Iudith. 6. leuaſſent, vt dux ille ſtrenuus Achior, principibus eiuſdem regis Chaldęorum dixerat. Et nulla pręterea natio tam barbara extitit, quæ Deum inſenſum, & abnegatum, ſuos fouere & protegere aliquando ſuſpicara fuerit. Quæ omnia exemplo nobis ſunt induſtriæ ſagacitatis diaboli, qui eccleſiæ inſidiatur, & quoſuis Chriſtianos debellare contendit. Nabuchdonoſor illius imaginem refert, iuxta illud pro- Eſaiæ 14. phetę: Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? qui cùm cogitationum humani cordis ignarus ſit, ſemper in biuio eſt, qua aggrediatur via, vt ſuam rem agat, dubitans. Quapropter omni ſua ſagacitate vtitur, cum ſuis deliberat, & vndequaq; diuinationem quærit, qua parte commodiùs in hominem impetum faciat; & in eum affectum & locum lubricum quem ſuſpicatur, omnia machinamenta apponit, aggeres & arietes ſurgit, & omnem ſuam vim in eam partem conatur. Deſides autem & vecordes, qui appoſitis beſtiis tentationem agentibus, belli præſenſionem non capiunt, facillimè expugnantur, & in manus hoſtium deducuntur: vt hoc loco Iudæis contigit. Nulla etenim re Chriſtianus homo magis ſuum inimicum ſuperiorem facit, quàm ipſum negligendo, fruſtrà ſemper conari: cumque vrgentiùs iaculetur, fidelem otiari diemq; feſtum agere: & ira eſt quòd diem feſtũ ipſi diabolo parat. totam inſuper ſuam fiduciá in pignore iniquitatis ſemel admiſſæ collocat. Etenim in quo ſemel quempiam debellauit, ſemper expugnare pręſumit.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd recordati eſtis iniquitatis veſtræ, & reuelaſtis præuaricationes veſtras, & apparuerunt peccata veſtra in omnibus cogitationibus veſtris: pro eo inquam, quòd recordati eſtis, manu capiemini. Tu autem prophane impie dux Iſraël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronã. nonne hæc eſt, quæ humilem ſublimauit, & ſublimem humiliauit? iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. & hoc non factum eſt, donec veniret, cuius eſt iudicium, & tradam ei.

IN memoriam Domini peccata reuocant homines, cùm à malo incepto nõ deſiſtunt, ſed peccatũ continuant: quod populus Hieruſalem fecerat, cunctis operibus reuelando legis præuaricationes ſuaq; vita, ſtudiis & cogitationibus non aliud, quam peccata colere, oſtendendo. Quapropter inquit Dominus: Quia veſtra flagitia in memoriam reuocaſtis, iuſtum eſt etiam veſtri memoriam fieri, & quod iuſta merita patiamini. Hoc autem aduertit, ne exiſtimarent citra ſuam voluntatem hoſtes ſic armatos aduenire, quia idolorum oraculis, & cæteris ſuperſtitionibus vſi eſſent; ſed iuxta ſuam prouidentiam illa omnia facta fuiſſe, ſicque idôla permiſiſſe reſpondere, vt miniſter iuſtitię diuinę exercitus Chaldęorum exhiberetur. Peculiariter tamen cum Sedechia ſermonem confert, & ſacerdorium & regnum in eo finem accepturа dicit, ob ſua extra omnes terminos graſſantia peccata. Vnde ait: aufer cidarim, & tolle coronam, id eſt, mitram pontificis, & diadema tuũ. Quoniam Ioſedech ſummus tunc ſacerdos, ſimul cum ipſo Sedechia in captiuitatem ductus eſt. Illud autem ſubiicitur. Nonne hæc eſt, quæ humilem ſublimauit & ſublimem humiliauit? tripliciter exponitur. Diuus Hieronymus vult ad peccata, quæ contra dignitatem commiſit, temere, & abſque iudicio, & meritorum reſpectu, gentes imitando referri: Carthuſianus ad id reiicit, quòd corona illa in bonis regibus, vt Dauid, Ezechia & ſimilibus. quę pro meritis humilem ſubleuabat, ſuperbum verò deprimebat; quoniam etſi in ſuis prædeceſſoribus defeciſſet, verùm inſigniter hoc malignitatis genere, cæteros iſte ſuperabat. Quidam alii pro Ioachim, & Sedechia dictum volunt. nam illum eleuauit apud Nabuchodonoſor: iſtum aũt depreſſit, & calamitoſum ſuſtulit. Sed vtcumq; exponas, Sedechię malignitas ingens ſupponitur. Quapropter ſubdit Iniquitatem, iniquitatẽ, iniquitatem ponam eam. Quidã dicunt ter, iniquitatem, repeti, quoniam prędicitur proiectum, & obſcurum manſurũ regnum Iuda, tẽpore trium Aſſir, Sealthiel, & Phaiadię, donec ſurgeret Zorobabel,

ſub

sub quo florere cœpit sacerdotium. Hieronymus verò, sic: summam iniquitatem tuam in perpetuum puniendo, coronam è capite tuo, & regnum Iudæorum deponam. Vnde inquit: qui post ante Christi aduentum reges & sacerdotes pariter fuerunt, frustra hoc & illud sibi vendicasse. quorum vnus fuit Hircanus pontifex, qui diadema capiti suo imposuit. quoniam post Sedechiam tantum Christo Iesu regnū debebatur, qui fuit expectatio gentium, rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech: atq; ideo ipsi repositum erat. quod nō dicit antea factum, quia expectabatur Nabuchodonosor, cui datum. & commissum erat Sedechiam iudicare, & memorata supplicij acerbitate, ipsum punire, & accipere coronam regni Iudæę. & tradam ei, inquit, id est, regem Sedechiam lictori suo, & carnifici, nempe Nabuchodonosor. ita exponunt plures. Est tamen literæ cortex, sub qua latebat veritas regni Christi, quam expressit Hieronymus. & exhortatur nos Dominus, vt vnusquisque in sua vocatione pro dignitate officium suum exerceat: sin minus, sciat in locū

Apoc. 3. illius, inopinatò aliū subrogandum: iuxta illud Ioannis, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. & ita res se habuit quod lictoris nomine, regiam Iudæ dignitatem abstulit & prostrata remansit, vsque ad Christum, qui eam erexit & sublimauit, vt rex cœlestis & diuinus.

Et tu fili hominis propheta & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Amon, & ad opprobrium eorū: Mucro mucro euagina te ad occidendum, lima te vt interficias & fulgeas, cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia, vt dares is super colla vulneratorum impiorum, quorum veniet dies in tēpore iniquitatis præfinita, reuertere ad vaginam tuā, in loco, in quo creatus es. in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundā super te indignationem meam, in igne furoris mei sufflabo in te, daboq; te in manus hominū insipientium & fabricantium interitum: igni eris cibus. sanguis tuus erit in medio terræ. Obliuioni traderis, quia ego Dominus loquutus sum.

VNI cuiq; malefactori suus dies definitus est. & tempus vindictæ. nec quisquā absque lictore & vindice relinquitur. vnde exorbitanter delinquens regnum Israël & Iudæorum, Chaldęorum imperium vindex sensit. Chaldæorum verò peccans, Medos & Persas lictores & carnifices habuit: qui & offendentes, ad manus Græcorum & Macedoniorum prostrati sunt: atque hi similiter deficientes, per vim Romani imperij vastari fuerunt. qui tandem per imperium ecclesiæ Catholicæ in finem vsque seculi dominaturæ, iuxta vaticinia Prophetarum, & potissimum Danie-

Dani. 2. lis. Deliquerant ergo Amonitæ grauiter contra Dominum, sæpe iniuria & opprobrio Israelem afficiendo: ob quod contra illatas iniurias & ignominias ad vim exacuendam, vt quamplurimis interficiendis sufficiat, & ad limationem, vt splendore suo cunctis terrori sit, mucronem prouocat. Offenderat item, cùm suos vates & idôla vana & mendacium loquentia audiendo. tum quando Israëlem iniuriosè con-

Num. 21. sectati sunt. tum etiam, quando consulente sua idôla Nabuchodonosore, idolorum responsis, & ipsi crediderunt Iudæos tantùm perdendos, ipsos verò incolumes remásuros, ob quod maximè gloriabantur. Dicebant enim illis idôla, quòd imminerent certò ceruicibus vulneratorum, & gladium non præsentirent. Ob hoc Dominus mucronem acutum & splendescentem in eos conuerti iubet, in tempore à Domino definito vt & falsa sua idôla respondisse sciant, & quæ acta sunt contra Hierusalē, voluntate Domini fuisse disposita, non idolorū, etsi permisit, ea, quod suum beneplacitum erat, respondere, vt diabolus etiam cum suis diuinæ iustitię exequutioni ministraret. Quibus peractis, ne gladius Babylonis gloriaretur, & suam iustitiā iactaret, quia nō in minoribus peccatis idololatriæ erat, & deprauata intentione, & excedente furia & crudelitate peruersè se gesserit, in Chaldęam terram natiuitatis suæ iubet reuerti. vbi suas pœnas & ipse luet. Nam à Medis & Persis tanquam ab igne sufflante vastabuntur: sicq; Dominus indignationem suam fundet super eos. Appellat autem Medos & Persas artifices stultos, fabricantes corruptionem, quoniam solum id intendent, eos temerariè perdere & destruere. Vel quòd nescirent artes, vt inquit Hieronymus, quibus exacuuntur & limantur arma, id est, ad legitimum vsum

vsum præpatentur, quorum ministerio sperant aliquando gladios Chaldæorum & acui & limari iterum ad occidendum. Itaque nunquam surrecturum regnum illud cadet: & hoc est, quod prædictis verbis voluit vaticinari. Idemque affirmat Dominus cùm dicit, Eris ignis cibus, & sanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis. Quod enim igni in escam datur, omnino absumitur: nihil relinquit, nisi purum cinerem excrementum penitùs inutile. & præterea, sanguis super terram manens clamare videtur, & vindictam poscere: vt dictum est Cain, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. (Genes. 4.) & iterum, terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. Quando autem absumitur, & absorbetur à terra, (Iob 16.) hoc significatur, vt nemo eam cędem vlciscatur, secundum obseruationem Hebręorum. Vnde hoc loco dicitur: Sãguis tuus erit in medio terrę, id est, à terra imbibitus, & ita obliuioni traderis. Quod complebit Dominus vt loquutus est, quãdo in æternum perdita fuit, in cuius testimonium Babylonis nomen solum mansit. Quibus Christiane lector planè docetis: peccatorem quemlibet, cùm viderit Domini gladiũ proximum ferire, timere sibi debere; tantum aberit vt iactantiæ & vindictæ gloriatione exultet, in Amonitarum capite periculum faciẽdo. Qui enim de peccato proximi non tristatur, de diaboli victoria gaudet, inquit Ambrosius: (Amb. li. de pœnitentia cap. 8.) & tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet, dixit etiam quidam. (Hor lib. Epistol.) Deinde neminem gratiam sibi numinis polliceri, quòd iussa Domini fecerit, tẽ eius bello tractauerit, victoriamque nomine eius reportauerit. Quod beatus Paulus docens, ait: (1. Corint. 4.) Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque ego me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. qui autem me iudicat Dominus est: quod est dicere: non dico me esse in gratia aut iustum esse, quòd vos me lauderis, aut huius rei aliqua dignitate aut testimonio publico, eius rei mundus testimonium ferat, quod humanus dies celebratur. neque ego me ipsum talem reputo: non quòd peccatum conscientiam meam vrgeat: sed quoniam Domini hoc iudicio relinquendum est, cuius hoc officium est. sed præsertim ab huiusmodi iudicio abstinere debet, qui deprauata intentione sui commodi, aut voluptatis gratia id fecerit. Nam Babylonicus gladius erit, qui cùm solùm ad vindictam faciendam vtilis esset, ea facta, omnino absumptus & destructus extiterit.

CAPVT XXII.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: Et tu fili hominis, nónne iudicas ciuitatem sanguinum? & ostendis ei omnes abominationes suas? et dicis: Hæc dicit Dominus Deus: Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius, & quæ fecit idola contra semetipsam, vt pollueretur in sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti? & in idolis tuis quæ fecisti polluta es: & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum. propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem vniuersis terris, quæ iuxta sunt, & procul à te, triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu.

CVM mala quæ Hierusalem manebant, descripsisset, eorum causam nunc explicat, peccata nempe illius populi, vt perseuerantes, iustum Deum vltorem agnoscant: aut se agnoscentes eorum effugium mereantur. Repetita enim toties peccatorum exprobratio, charitatis eximiæ manifestum argumentum est: quippe vt indulgeat sic corda emollire desiderat, vt qui semper inuitus punit. Primùm igitur iugo peccati populum alligatum narrat, deinde eius expurgationem tãquam aurum & argentum, per ardentem fornacem futuram prædicit, & tandem à quibus fontibus ea manarint exponit, & quanto desiderio orationem efflagitet, qua flectatur, denunciat. Principiò ergo officium Prophetæ, (vti obiurgando, dum interrogatione loquitur, & verba officij repetit, nónne iudicas, nónne iudicas, & cęt.) memorat. Erat enim speculator & custos vti Episcopus. Vnde absque hoc, quòd à Domino specialiter admoneretur, quæ prædicare illi præcipit, & curare incumbebat, fecisse

bat,fecisse debuerat. Ex quo tu Episcope disce vigilantiam officij tui,ad quam pastores omnes Scriptura exhortans,iudicium sibi impēdere eos semper cogitare vult. ita quippè ait : horridè & citò apparebit vobis , quoniam iudicium durissimum his Sapient. 6. qui præsunt fiet. Dicit itaque. Quandoquidem inciuitate sanguinū habitas,& propriis oculis hoc cernis,dic illis hoc : Ciuitas sanguinum tu es,vt veniat tempus tuū. Cùm enim cuiusque malitia completa fuerit, tempus tunc iudicij & flagelli adest. Vnde aduentante hora,qua pro peccatis mundi,quæ in se receperat Dominus,iudi- Ioan. 13. candus & castigandus erat,& morte plectendus,dixit Euangelista: Sciens Iesus,quia venit hora eius,vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Tantus ergo peccatorum cumulus illius ciuitatis aggregatus fuerat,quòd finem & completionem attigerat. atque hinc dedisse operam dicit,vt tempus eius veniret , dies appropinquarent, tempusque annorum adduxisse ei,quia multos annos patienter nos Dominus sustinet, vt ad pœnitentiam adducat . quod importunos peccatores arguens Apostolus, in- Roman. 2. quit : An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? proponit autem in genere peccata simul & eorum punitiones.peccata dicit esse, fecisse idola contra se,in sanguine suo,quem effudit, deliquisse,& in fabricatione suorum idolorum pollutam, atque contaminatam esse. suscitauit idola , in quibus spem suam & defensionem collocauit: & tamen contra se erecta vident. Etenim mutos serpentes & bestias superuacuas,tanquam deos colentes Ægyptij , multitudinem murorum animalium immissam à Domino,in vindictam,senserunt: vt sciant homines , quia per quæ pec- Sapient. 11. cat quis, per hæc & torquetur . Adorauerant siquidem serpentes viliaque animalia, & inutilia animalia,ranas nempe,muscas,ciniphes in tormentum dedit. Deliquerāt in occisione suorum filiorum, vt sacrificarent idolis (vide quanti idola æstimarent, quando non solùm sanguine humano,sed ipsorum filiorū placare curarūt) & morte primogenitorum eos percussit.& compositione præterea , in ipsa idolorum fabricatione grauiter Deum offenderunt.quos simul cum operibus suis Scriptura damnās, Sapient. 14. ait:Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius. Flagellum autem signat: opprobrio & iniuria afficiendos esse à gentibus , summisque sic ignominiis irridendos fore,& irem à finitimis. Etenim ciuitas omnibus celebris ,& quæ præ opum ,& diuitiarum copia,religionisque apparatu superbiens,cæteras contempserat: & à terræ incolis,quibus cum imperio dominabatur,& à gentibus,quibus inuisa erat,iniurias audiet,& ab omnibus quodam triumphi,seu vindictæ genere acriter illuderur. Per quæ gentium sublevationem & Iudæorum casum redemptione facta per Christum à peccatis,ob quæ hic flagellantur,obumbratum fuisse,explicans Paulus,dicit: Ephes. 2. Nunc autem in Christo Iesu vos qui longè eratis,facti estis propè. sed & dictum, quod obiicerent, prænunciat,sordida,nobilis,grandis interitu,id est,quæ celebris & nobilis fuisti,ecce sordida & polluta es, semperque iam malè audiens : & quæ grandis fuisti,iam es in interitu & casu . vel aliter: non solùm verbis lacesseris ,sed opere multa mala patieris, ita vt prædictio sit Prophetæ,& non obridentium subsannatio. Nos verò hoc loco docet Dominus:aliquando peccatorem detractionibus,murmurationibus dando locum,famamque auferendo,ad se vocare. Quare quibus nomen maximo in pretio est,perseuerantiam in malo caueant, ne inhonorantibus nomen suum eos Dominus permittat, quorum conuersionem expectando, maximè curæ fuerunt.

Ecce principes Israël singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem: patrem & matrem contumeliis affecerunt in te: aduenam calumniati sunt in medio tui: pupillum, & viduam contristauerunt apud te. sanctuaria mea spreuistis, et Sabbatha mea polluistis: viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, & super montes comederunt in te, et vnusquisq; in vxorem proximi sui operatus est abominationem , & socer nurum suam polluit nephariè, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.

EXPONIT peccata quæ in genere proposuerat,eaq; sic partitur,vt principiò quæ iusti-

iustitiam & charitatem violant. deinde, quæ religionem. tertiò quæ proprias personas per libidinem & concupiscentiam maculant. quartò, quæ easdem per auaritiam inhumanas reddunt. Dicit ergo, proceres, reges & principes à Manasse potissimùm temporibus, omni virtute & fortitudine sua crudelitatem exercuisse, tum in idolorum cultum, tum in propriæ voluntatis luxuriam, & completionem. Quapropter hos & similes qui tota furia absque fræno peccata consectati sunt, vt simili animi propensione, & studij optimi inflammatione, virtutis campum, ipsi gratificando, procurrant, Dominus petit, dicendo: Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pœnas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Esaiæ 40. Et beatus Paulus: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immundiciæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, id est, simili conatu, & animi determinatione. Paulus ad Roman. 6. liberos item parentibus contumaces narrat: in peregrinos etiam, pupillos & viduas nullam charitatem in Hierusalem ciuibus commoraſſe. Recenset præterea peccata & sacrilegia quæ in religionem vagabantur, spernendo sanctuaria: cùm oblationes indignissimè peccatis pleni sacerdotes obtulissent: & ex rapto & cum violentia proximi omnes eas præparassent: Sabbatha & dies festos contaminationibus peccatorum pro sanctificatione effrænes polluissent: religionis detractores, ac idololatras homines, qui humanũ sanguinem ad immolandum idolis funderent, & in montibus ea colendo victimis, vt in medio gentium, vescerentur. Et scelus operati sunt in medio tui: id est, palam, vt vno verbo concludam, peccare, in communem consuetudinem absque magistratuum timore, venit in te. Quod significantius quidam vertit: scelus meditatum in te designarunt: hoc est, quæ sancta esse debueras, scelus omne, quod in mentem venit, hisce diebus opere perpetrasti: nisi legas, vt vult Hieronymus; incæstum operati sunt in te: & caput eris peccatorum carnis, quæ sequens litera narrat. Tertio ergo loco ea peccata memorat, quæ Chanaan patris verenda nudata videns, fratribus nuntians significauit. Ea autem fuerunt, quæ genus omne lasciuiæ fert, quę non naturæ parcendo tempore menstrui, vt inquit Hieronymus, propriis vxoribus abutendo fœdata fuit: sed in alienas exardens proximos prouocauit. & nec hoc contenta libido, ad violationem propriæ nurus sororis ex patre, & vsque ad contaminationem paterni tori, naturæ leges rumpendo, processit.

Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem, vsuram et superabundantiam accepisti, et auarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, dicit Dominus Deus. Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti, et super sanguinem qui effusus est in medio tui. Nunquid sustinebit cor tuum? aut præualebunt manus tuæ in diebus, quos ego faciam tibi? Ego Dominus loquutus sum, et faciam, et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam à te, et possidebo te in conspectu gentium, et scies quia ego Dominus.

TANDEM auaritiæ plenam nunciat ciuitatem, eiusque miseros partus. inprimis quòd ea homines deprauati, ad homicidia perpetranda in alicuius vindictæ gratiam, munera acciperent. deinde alij vsuras exercendo (quod apertè aut fucatè facias, parum refert) pauperum substantias ad se traherent, ex mutuo sortis superexcrescentiam semper accipientes. Et denique in vniuersum omnes vt suas res amplificarent, calumnia, fraude & dolo; quomodocunq; & vndecunque pecuniam congererent, proximos suos expilando. Quæ mala incurrerunt, ait Dominus: quia ipsius ciuitas oblita est. Vide quanti sit ad vitanda peccata oculis mentis Deum semper præsentem habere, in sapientia eius morari, iustitiam eius meditari, & sensu Dei circunspectionem cogitare! beatus ille. sic autem ad cumulum suum & iustam mensuram, atque completionem & consumationem suam peccatis attingentibus, cõplebo & ego punitionem malitiæ, ad iustam mensuram lachrymas extorquendo, inquit. Ecclesi. 14.

Psalm. 79. Quapropter ait Dominus: Ego complosi manus meas, id est, non amplius expectare decreui: mori enim humano se accommodans manuum complosionem in eius signum fecisse dicit. Atqui ne existimarent leue supplicium patari, subdit: Nunquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ in diebus quos ego faciam tibi? quasi dicat: minimè gentium. tale quidem erit, quod sustinens cor non restabit, nec quod industria humana aut fortitudo declinare poterit. Nam ego Dominus loquutus sum, & faciam. quasi dicat: quæ vires, meæ omnipotentiæ se opponere valebunt? Sed quæ erit contritio? dispersio, ait, inter gentes, & ventilatio in modum palearum, quæ quouis vento aguntur in vniuersas terras. Hoc autem, vt ad
Apocal. 3. munditiam, & cordis puritatem præpareris: flagellat enim Dominus vt corripiat, & ad meliorem mentem, vt piissimus pater reducat. Et possidebo te, ait, in conspectu gentium, seu cōtaminabo te, seu vulnerabo te, vt Theodosio, & Symmachus verterunt. Quoniá enim rebellis possessio, eiusdem contritionibus & vulneribus paratur: significanter cùm omnia Hebræum verbum importet, possidebo, versum est. ad
Luc. 21. quem modum dixit Dominus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Corpus etenim & caro hæc nostra animata, itaque & appetentia distracta, non nisi cæsa & percussa possidetur à ratione & spiritu. Minatur ergo duplex flagellum, dispersionem nempe, & post eam vulnerationem, & afflictionem omnium ingentem. idque in conspectu gentium, vt ab eis illudantur, & rideantur, super quibus gloriabantur antè & exultabant: quod non mediocre supplicium illi erat. Vnde & se Dominum cognoscent & reuerebuntur, ad quod non nisi flagellis peruenitur.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, versa est mihi domus Israël in scoriam. omnes isti æs, & stannum, & ferrum & plumbum in medio fornacis. scoria argenti facti sunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hierusalem congregatione argenti & æris, & stanni, & ferri & plumbi in medio fornacis, & succendam in ea ignem ad conflandum. sic congregabo in furore meo & in ira mea, & requiescam, & conflabo vos & congregabo vos, & succendam vos igne furoris mei; & conflabimini in medio eius, vt conflatur argentum in medio fornacis, & scietis quia ego Dominus cùm effuderim indignationem meam super vos.

QVOMODO autem in dispensionem, & calamitates memoratas venturi erant, explicat: dum ciuitatem Hierusalem fornacem constituit, exercitum verò Chaldæorum eam obsidentem & expugnantem; ignem furoris sui appellat, qui perinde ac ignis ciuitatem incendet, ait, vastabit & absumet: residui autem qui fuerint, in dispersionem ituros, manus vindices sentientes. Hæc autem indicendo, degenerationem ciuitatis illius, causam esse proponit: quòd in æs, stannum, plumbum, & ferrum, & in omnem scoriam, quæ puro metallo adhærere solet, versa sit. Iusti enim homines vita Deo placentes auro in Scriptura comparantur, quòd ignem charitatis in corde habeant: verba verò eorum, motus & gestus, quibus debitum reddunt seruitutis obsequium, argento: argentum enim puritatem vitæ, & candorem castitatis repræsentat. hoc enim docuit
Psalm. 67. Psaltes cùm dixit: Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri: Vbi dorsum, quod corpus & interiora significat speciem auri referre, & pennas quæ extrinsecus motus significant argenti colorem habere, in eo, quod Domino placet, monstrauit. & rursus Sa-
Prouer. 11. piens: Non inueniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis auri pretium. Et iterum Dauid rex: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examina-
Psalm. 11. tum, probatum terræ, purgatum septuplum. Et rursus Sapiens: Tanquàm aurum
Sapient. 3. in fornace probauit illos, & quasi holocaustomata accepit illos. Est ergo aurum vir Deo charus, & sibi electus. Quocirca cùm vsqueadeo degenerassent in ciuitate illa, vt non solùm rubiginem contrauissent, sed postremis metallis permixti

essent

essent,vt in æs versi iudicarētur,fundi in ardenti fornace opus fuisse dicit:vt liquidò aurum & argentum cōstaret,& cætera inferiora metalla liquefacta seorsum abirent. Et quod maneret,aurum & argentum esse, ignis probaret combustis lignis etiam & stipulis,vt inquit Paulus. 1.Corin.3. ferrum verò ibi inuentum, quod igne non liquefit, sed mollescit,tunsionibus malleorum, famis scilicet & pestis vbique candet. atque ita ignis virtute cōcepta,in quam imaginem Dominus voluerit,figurabitur.hoc autem, ait Dominus: faciam,vt cognoscant, id est,probent me Dominum esse, cui & serui famulari debeant.Scire enim probare esse,in Scriptura frequēs est: vt illud, Cognosco oues meas,& cognoscunt me meę. Ioan. 10. & rursus fatuis virginibus dixit Dominus: Nescio vos,hoc non approbo. Math. 25.

Et factum est verbum Domini ad me,dicens: Fili hominis dic ei: Tu es terra immunda,& non pluta in die furoris,coniuratio prophetarum in medio eius: sicut leo rugiens,capiensque prædam, animos deuorarunt,opes & pretium acceperunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius, sacerdotes eius contempserunt legem meam,& polluerunt sanctuaria mea.inter sanctum et prophanum non habuere distantiam: inter pollutum & mundum non intellexerunt,et à Sabbathis meis auerterunt oculos suos,& coinquinabar in medio eorum.principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auare sectāda lucra.Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento videntes vana,& diuinantes eis mendacium,dicentes: Hæc dicit Dominus Deus; cùm Dominus non sit locutus. Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter,egenum & pauperem affligebant,et aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. & quæsiui de eis virum qui interponeret sepem;& staret oppositus coram me pro terra, ne dissiparem eam;& non inueni,& effudi super eos indignationem meam, et in igne iræ meæ consumpsi eos.viam eorum in caput eorum reddidi,ait Dominus Deus.

POSTQVAM peccata & eorum pœnas enarrauit, omnes Reipubl. partes eisdem teneri affirmat: quod publicè inuulgare Prophetæ præcepit. Officium prædicatorum est,peccata populo obiicere,& pœnitentiā prædicare,vt fugiant flagella in die,quo decreuit Dominus furorem suum effundere. Vnde prædicare iubet: ciuitatem terram esse immundam, id est, peccatis plenam,nec plutam esse, lachrymis scilicet pœnitentiæ,nec pluuia diuinæ disciplinæ. Ab hoc autem scopo deficienter in præcipitia magna ilico dilabuntur,in propriam nempe voluntatem,& in inuidentiam,nempe qua se mutuo corrodunt,suas res extollunt, populum contra alios prouocant,& ipsis arridendo,contra præcepta Domini prospera quæq; annunciant. Vnde coniuratos in vnum pseudoprophetas cōuenisse dicit contra veros, Hieremiam nempe & alios,qui populo vera denunciabant,ad eorum cædes populum irritando, & quæ illis arridebant læta prædicando. Quapropter deuorasse animas plurium per inde ac leones dicuntur: cumulasse opes & diuitias, pretio ad sic prædicandum adductos, & pecunia corruptos. qua item ratione plures etiam mulieres viduas fecerunt, mortes virorum sua prædicatione operando. Deinde sacerdotum officium docet esse,docere legem Dei;iustè suum ministerium in ecclesia adimplere,diebusque festis,populum in sanctificatione,& operibus virtutis continere: atque cùm hęc prætermittant,grauiter Dominum offendi. Quapropter abiiciūtur hic sacerdotes, quòd legem spreuissent,aut eam decerpsissent,aut furtum ei fecissent, cùm docere prætermisissent,quæ ipsa mandabat, aut pro sua voluntate & libidine perperam interpretando eam polluerent,contra Domini præceptum de non polluendo nomine Leuit 19. sancto eius.quod per falsos Prophetas factum est, ipsis consentientibus: & præcepta Domini obseruari non curarent,vt illa erant.quòd claudum & debile tanquam

prophanum dimitterent, nec offerri Deo in templo finerent, & mundum solum adducerent, & abiicerent, quod immundum, vt lex præcipiebat; quorum opposita ipsi auaritiæ causa consenserunt. Sabbatha item & dies festos custodire districtè præceptum erat. Ipsi autem dissimulando, ne videre viderentur, oculos suos à facinoribus & peccatis, quæ publicè in medio populi hisce diebus committebantur, auerterunt. Ad hæc tertio loco sæcularium peccata describit tam maiorum, quàm plebis. Nam principes & magistratus auaritia ducti, & lucri auidi, perinde ac lupi ad effundendum sanguinem sua crudelitate rabidi omnino extiterunt: Simul & ad tollendas hominum animas, quia inferiorum animas sic comederunt, vt sua translatione Hebræi indicant, quod Rabbi Salomon exponit: quoniam clandestinum munus confortantes manus malignorum, ad occidendum, spoliandum & diripiēdum; illud autem & thesaurizaretur auaritię. Ad quem etiam modum Rabbi Ionathas Chaldaicè vertit, vt acciperent auidè atque fraudulenter diuitias, pro animabus diuitias transferendo. Cuius ergo rei causa fuerunt Prophetæ vana, & mendacium, pacem scilicet prædicantes, cùm Dominus non nisi gladium & captiuitatem

Hier.19. prophetare iussisset, vt latiùs in Hieremia constat. Quam causam, prophetarum nempe, iterum hic interserit. At quomodò hæc fecerunt? Respondet, quoniam liniebant eos absque temperamento, hoc est, morem gerebant populo, & plausibilia illi tantùm prædicabant, & pruriebant illorum auribus, vt de pseudoprædicatoribus dicit

2.Tim.4. Paulus: veritatem prætermittendo. Figura autem dicendi sumpta est à complanatoribus, aut incrustatoribus, quando parietem complanant, absque temperamento tamen palearum, quæ vim & tenacitatem luto præbent. Tandem communis plebis auaritiam vsqueadeò effrenem narrat, vt calumniis, dolis & fraudibus omnino intēti essent; ita vt res proximorum furto hi acciperent, alij vi raperent, & egenos ac pauperes reliqui opprimerent, & postremè affligerent; aduenas item & peregrinos iniustè bonis omnibus spoliarent. Vide quantum contaminetur populus, capitum maculis atque peccatis. Vbi contra Iudæos satis eleganter Galatinus notat, vel acerbitatem pœnarum, quas ob Christi interfectionem nunc patiuntur, ad ipsum & ecclesiam matrem, pœnitentia conuerti debuissent. Nam propter tot hîc enarrata scelera, septuaginta annorum captiuitatem, tempore illius primi templi sustinuerunt. Nunc autem temporibus vastationis secundi templi, quando nec inter eos idololatriæ, nec prophetarum occisiones, nec luxuriæ, aut auaritiæ sic exorbitātes, innumeris & infinitis pœnis affliguntur. ob quod si sanæ mentis homines essent, suum Messiam & Christum interfecisse perspicuè cognoscerent. Verùm ad rem redeundo inter tot ac tanta peccata, quæ recensuimus, attende tenerrima misericordiæ Dei viscera, & quanti orationem iusti alicuius faciat. Offensus est & contemptus, & omnipotens ad vlciscendum, & tamen virum quærit iustum, qui interponeret sepem inter rigorem iustitiæ suæ & peccatores, & interponeret se pro populo, vt iram flecteret, & misereri cogeret, & tamen non est inuentus. quapropter indignationem suam effudit, & in proprium caput eorum mala recidere fecit.

VERVM dices: Cùm visendo Sodomorum peccata plures iustos quęsiuerit, nec vno Loth fuerit contentus: & item aliquando tribus interpositis, vt Daniele, Iob, &

Num.12. Noë, non dixerit continendam adhuc iram suam: & Moysen mitissimū omnium,

1.Samuelis 16. vt dicit Scriptura, noluit exaudire orantem pro populo, nec Samuelem pro Saule: &

Hier.7. Hieremiam ab oratione pro populo depulit, dicendo: quòd non parceret. & apud

Mich.7. Micheam, cùm vastationem vineæ deplorando vindemiæ tempore, vnum tantum botrum non inuenisse ad comedendum, quo forsan famem temperasset? quomodo hic vno oratore contentus est? fortassis vnius nomine plures intelligit, vt vult Carthusianus: neque quocunque numero valuissent, nisi tales, qui & præfinito consilio, & ineuitabili calamitati non se opponerent: nam memorati tres viri, & insignes alij non sufficerent filios & filias liberare vorationis Hierusalem tempore, vt suprà dictum est. Aut poteris dicere, quòd vno viro sic orante inuento, & si non amoueret omnino flagellum (ad id siquidem non sufficeret Daniel, Iob, & Noë, vt hoc libro relatum est, nec Hieremias, nec cum ipso Moyses & Samuel iuncti, vt Hieremiæ libro proditum est, temperasset) tamen prohibuisset totam Domini indignationem effundi. Vel dicas, positis contestationibus non absolutam vastationem, & ineuitabilem

bilem omnino, si illi adessent intercessores: sed vt medij necessarij admoneret, ad ipsumque arripiendum non segniter, sed diligenter & ardenter ocyùs procurreret. nec suspicarentur, quòd vno aut altero intercessore, perseuerantibus populi flagitiis, mitigandus foret, quod illi pro ingenio & more Domini cogitabant. atque hoc intẽdebat, non vnius, aut alterius reiicere orationem. Vel dic: vaticinium vnius summi oratoris & prædicatoris Christi Iesu prædici, cuius tempus nondum aduenerat. quare nec inuentus est, qui iram Domini frangeret, mitigaret furorem; & ab infernis tormentis (quæ hæc mala portendebant) homines liberaret. Quod autem mihi probatur, hoc est: malos omnes, tam obdurarè in malitia perseuerasse, vt nullus eorum retrocesserit, nullusque pœnituerit: nec esse quem vitæ actæ tæduerit, nec qui ad Dominum oratione confugeret pro se & cæteris, vt ex parte saltem sanitas appareret, & reuiuiscere populus inciperet, perspicientia Domini inuentus est. & nec vnum reperit, quod summoperè exoptabat, qui flagellum tolleret, aut temperaret. atque hoc est, quod dixerat Dominus suprà etiam per Hieremiã & alios prophetas: quod interim scilicet quod ex populo adeò morboso indicium aliquod sanitatis non appareret, totum in interitum ire, quapropter tempus non perderent iusti & sancti pro ipso exorando. Quod custodibus ecclesiæ & principibus, summa cura obseruandum est, & cum orationibus & pœnitentia propria, cum Domino negotientur, & ad eandem populum promouentes instantia pericula euadant.

CAPVT XXIII.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, duæ mulieres filiæ vnius matris fuerunt, & fornicatæ sunt in Ægypto: in adolescentia sua fornicatæ sunt, vbi subacta sunt vbera earum. nomina autem illarum, Ohola maior, & Oholiba soror eius minor: & habui eas, & pepererunt filios & filias. porrò earum nomina, Samaria Ohola, & Hierusalem Oholiba. fornicata est igitur super me Ohola, & insaniuit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, vestitos hyacintho principes & magistratus, iuuenes cupidinis vniuersos equites, ascensores equorum: & dedit fornicationes suas super eos, electos filios Assyriorum vniuersos, & omnibus in quos insaniuit, in immunditiis eorum polluta est insuper: & fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit: Nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia sua, & illi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationes suas super eam. propterea, tradidi eam in manus amatorum suorum, & in manus filiorum Assur, super quorum insaniuit libidine. ipsi discooperuerunt ignominiam suam, filios & filias tulerunt. et ipsam occiderunt gladio: & factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrarunt in ea.

SVB typo duarum sororum meretricum, grauiora peccata & impudentiam decem tribuum Ephraim & duarum in Hierusalem, Beniamin & Iuda exaggerat. quæ cùm Dei habitaculum se præbere debuissent, dæmonum factæ sunt. Quipropter illa maior, quòd multitudine vinceret, siue, quod Iosue de tribu Ephraim, priùs post Moysem populum duxerit, vt inquit Hieronymus, Ohola dicitur, quasi tabernaculum; & Hierusalem soror minor Oholiba, id est, tabernaculum meum in ea, quòd in ea cultus Domini, in diuisione decem tribuum per tempus mansisset. Item Ohola splendor eius, quia sibi solum splendebat, suis votis tantùm applaudens vertitur. Oholiba verò splendor meus, quia in Iudæa Dominus splendebat cultu secundum legem exhibito. Et vide quantum referat, quibus parentibus quis ortus fuit, quibus moribus primam transegerit ætatem, quibus item amicitiam & familiaritatem inierit. nam initiis, prouecta & cana ætas nisi speciali numinis auxilio exempta fuerit, respondet. Etenim suapte natura circulo ducitur vita hominis, & suo gubernata arbitrio (quocirca maledictus puer centum annorum Dominus per Prophetam dixit) ibi finit, vnde egressa est, Esaie 65.

& vbi

& vbi inter initia ambulauit. Sibi ergo quisque consulat, & in melius ilico vitam cõmutare studeat, nec inducias ad senectam vsque petat, nam funes ingrossat peccatis, & in fine sibi illusisse inueniet. Etenim Samaria, quæ vnam cum Hierusalem habuit stirpem, Iacob nempe aut Israël, in adolescentia sua deflorata apud Ægyptios idolorum cultura (vnde omnis spurcitia & contaminatio manat) à Domino educta, & per desertum, atque in terra promissionis procreatione filiorum & filiarum aucta, quia sibi fidit, & à Domino auulsa, cum Assyriis societatẽ iniit, vt ipsi auxilio forent, in tantum malorum fundum prolapsa est, vt non solùm illorũ idololatrias amplexa fuerit, verùm memorata quæ adolescens in Ægypto habuerat simul cum aliorum ritu venerata est. Cæterùm nunquid ex abrupto in tantam insaniam venerunt, vt Deum pro idolis negarent? non crediderim: sed quòd vitio carnis subiugata, quo rationis liberæ & mentis oculos perdidit, amore salacium hominum persuasa, in tantùm excæcata est Samaria, vt Dei oblita, qui tot, ac tantis eam bonis cumulauerat, Deos propriis manibus fecerit, & idola cum gentibus coluerit. Quod significans Spiritus sanctus dicit: amatores Assyrios appropinquasse hyacinthinis & pretiosis vestibus ornatos, duces ac satrapas siue principes, ac magistratus & iuuenes expetibiles ad libidinem. dicit insuper effudisse fornicationem super eam: insinuans planè, quòd ad se reuersa (vt prouectior ætas requirebat) suam libidinem spiritalem cum idolis, corporalem cũ idololatris, non temperauit, sed vsque ad eorum satietatem, prostitutionem passam fuisse. At, quid Dominus impudentissimæ, ac perditissimæ fœminæ facit? propterea, ait, tradidi eam in manus amatorum suorum, & in manus

4.Reg. 17. filiorum Assur. Capi eos ab Assyriis, & è sua patria euelli prouidit Dominus, vt cum quibus carnaliter & spiritualiter concubuerant, habitatione iungerentur; & qui deliciis fuerunt, tormentis essent; & ab amatoribus, quos elegantia & pulchritudine demulserant, violentia & misera seruitute torquerentur. Vt hinc effrænes peccatores, qui pœnitentiam negligant, ab eis in inferno torquendos, quos deliciis seruiendo, hîc amatores habuerunt, discant.

August. de Spiritu & anima cap. 56. Vnde Augustinus de damnatis ait: Videbunt in tormentis sequaces suos, quos inordinato more contra Dei præcepta amauerunt, quatenus illorum interitus eos in augmento damnationis suæ affligant. Assyrij enim Samarias sic tractauerant, quòd ignominiam suam, quam in Ægypto incurrerant, idololatrando discooperuerunt, quæ lege & cultura Dei tecta fuerant peccata, quippe & eorum ignominiæ bonis operibus pœnitentiam sequentibus teguntur, inquit Ambrosius, iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt

Psalm. 31. Psalm. 84. peccata. & illud rursus: Remisisti iniquitatẽ plebis tuę, operuisti omnia peccata eorum. Insuper eorum filios & filias occiderunt, & idolis item mactarunt; atque vt vindices à Domino constituti vltiones in eam fecerant, scelestos occidendo, & sic iudicia perpetrarunt in ea, vt inquit textus. atque ita incœstu nefando contra sponsum & Dominum suum, fornicationem suam exercuerunt, vt famosę meretrices inter omnes factæ sint. Eleganter item docemur hîc flagellare Dominum repugnãtes pœnitentiæ aliquando, in hoc, quòd permittat eos desideriis suis. nam nullus durior carnifex & immanior lictor quàm homo ipse sibi & propriis affectibus traditus,

Roman. 1. seu permissus, vt apprimè beatus Paulus exposuit, dicens: Propterea tradidit eos in reprobum sensum, &c.

Quod cùm audisset soror eius Oholiba plusquam illa insaniuit libidine, & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter ducibus & magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia. Et vidi quòd polluta esset via vna ambarum, & auxit fornicationes suas. cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos baltheis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt: insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum, & misit nuncios ad eos in Chaldæam: Cumque venißent ad eam

filij

filij Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam in stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius ab illis. denudauit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam, & recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea à sorore eius. Multiplicauit enim fornicationes suas recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti, & insaniuit libidine super cubitum eorum, quorum carnes sunt sicut carnes asinorum, & sicut fluxus equorum fluxus eorum, & visitasti scelus adolescentiæ suæ, quando subacta sunt in Ægypto vbera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ.

QVANTO quis in altiori vitæ gradu constitutus est, ruēs maiorem facit casum, non solùm, quòd è fastigio ceciderit, sed quòd adeò deiicitur, vt postremas fundi iniquitatis fæces, impudenti ore lambere non vereatur. vt hinc ecclesiasticus & vir religiosus qui tantis bonis à Domino euectus est, attentus viuat, timens ne cadat, quem lambentem profundum malorum inhians statim excipit. Oholiba enim, hoc est, Hierusalem soror minor Samariæ Domino chara, lege & cultu Dei suffulta, & pluribus cæli affecta donis, quæ exemplo sororis, similem casum sibi prospiciendo cauere debuerat, tunc magnam fecit ruinam incauta, & libidine & fornicationibus idolorum, vt sororem non solùm æquarit, verùm longo interuallo Assyriorum idola colendo, superauerit. At quî in eam incidit dementiam? duobus aditibus, inquit sacer textus, conuersatione, & commercio. Cōuersatione quidem, quòd tanquam ad affinem, qui Samariam frequentabant Assyrij, eam hospites viserent, propriaq; ingenia, potentiam, elegantiam, ac pulchritudinem ostentarent. Vnde ducibus pretiosis & exquisitis vestibus indutis, cum equitibus generosis equis inuectis, cum iuuenibus egregia forma inuicem contendentibus se præbuisse, dicit. Cōmercio item, nā cùm inter alias merces tapeta quoque ex opulentia Assyriorum, Hierosolymam importassent, pictósq; in eis viderent habitus exercitus, omni pulchritudine pellucentes: oculorum concupiscentia insanientes Hierosolymitani eos deperierunt: nam omni apposita cultura eos ad sui amorem pellexerunt, cum vestium apparatu, mira varietate, & distinctione colorum fulgentium, tum nobilitatis insignis tiaris, more illarum gentium capitibus cohonestati: tum etiam valore omnium ducum, qui corporis robore, animi fortitudine, atque prudentia omni in rebus agendis pręstantes, spectantium oculis se mirabiles præsentabant. poteris etiam dicere, sic compositos reipsa apparuisse, cùm primùm temporibus Ioachim alienigenis tributarij facti fuerunt: quos imagines pictas appellat, quòd momentum omne valoris & personarum in accidenti & compositione externa constituissent. Quod vtinam nostris temporibus in magnis, & alioqui præstantibus viris media etiam pace cum eadem reprahēsione non contigisset, qui supra modum habitu luxuriantur hos imitantes, qui cùm legati ex Chaldęa ad Iudæos venirent pro tributis, & aliis rebus cum regibus agendis, sic comparebant. Vide quanta vanitate oculorum, mala animam ingrediebātur. Quapropter meritò singulis diebus exoriente sole orat ecclesia Dominum, Visum fouendo contegat, ne vanitates hauriat. Venerunt igitur Assyrij quorum gratia vsqueadeo capta erat, & polluerunt, siue contaminauerunt eam stupris, quia concubinarij erant sororis, atque sic ipsa contaminata est ab illis fornicatione suorum idolorum, & consuetudine etiam carnali indebita, & permixtione item matrimoniorum. quod ex Nehemia colligitur, nam inuento libro legis, in maximum scelus hoc Iudæis obiectum est. Quapropter Esdras cauit, ne Iudæi cum gētibus matrimonio coniungerentur, dicens: Nunc ergo filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, nec quæratis pacem eorum & prosperitatem eorum vsque in æternum, vt confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros vsque in sæculum: secundum quod præceptum erat in lege. In omnem igitur eorum consuetudinem se dedit contra legem Domini. atque hoc non cursim & delibando, sed vsque ad satietatem: donec, inquit, saturata est: quando tempore Ioachim tributa negauit, & iusiurandum fregit. Nam tunc recessit ab amicitia, etsi non ab spurcitia, quàm hæreditauerat. Atqui si vis videre

Lib. 1 c. 9.

Deut. 7.

luxu-

luxuriam,& libidinem inauditā, audi quid dicat Dominus: Nudauit cùm primùm aduenerunt fornicationes suas,& discooperuit ignominiam suam. Quod enim parturierat longo tempore adolescentia sua in Ægypto,animo conceperat,nempe cum idolis fornicari,facili occasione peperit,& antiquam turpitudinem detexit,quam a-
2.Pet. 2. liquando exercuisse summa ignominia erat illi ; quando scilicet educta est à Domino ab Ægypto,& pallio suæ protectionis eius pudorem diu ob nomen suum celauerat.sed reuersa ad eundem vomitum,Quare recessit anima mea,ait,ab illa? Vide cū humana conditio ex adolescentia sua, (quando peccati primi parentis tota infecta fuit,& originali quisque ante baptismum contaminatus) libidinem,ac cupiditatem omnem, peccatique ignominiam cælatam habeat: quanta diligentia occasiones fugiendæ sunt, quibus obuiis ilicò se prodit. Nam statim quòd in sui custodia negligens est,& prauas cogitationes non excutiēdo in se admittit,negotiis secularibus absque modo se implicat,nuncios ad Assyrios,id est,dæmones mittit,quorum respōsa,& conuersationem non refugiens, facilè capitur, & in imum cænum deiicitur. Nec Assyriorum libidine contenta fuit,sed multiplicauit eam,inquit, addens spurcitias omnes,quas apud Ægyptios complexa est, easdem tunc memorans & mente reuoluens. Insuper Hierusalem infinitam concupiscentiam aperit, libidinem exaggerat, dum tanta furia Assyrios deperit, vt eorum concubitu penitus insaniret. Et amplius,quod ad eos tanquam ad homines,qui re libidinosa selecti essent, perinde atque asini,& equi inter omnia animantia salacissimi, ob quod vsqueadeo carnosos ad id opus natura edidit.& tandem exuberantem lasciuiam eius deturpat,dum scelus adolescentiæ suæ in Ægypto visitasse docet: quòd consilio nempe,& deliberatè id scelus iterum repetiuit, veluti in subactione vberum & fractione suarum mámarum in grauiori ætate,priorem memorando gaudens, vt quæ prima ætas tulit, sibi voluptati essent: In quo maximè commendat Dominus,vt adolescentiæ errata,cùm maiori ætate in memoriam venerint,detestanda, & abominanda esse : atque ne in eis detineatur tempus & operam perdendo, cursumq; virtutis bonarumq; cogitationum impediendo,tanquam inanes quasdam & pueriles res,in inferiôrem hominem reiiciat: & quod puero sic oblatetanti dicet,sibi exprobret.

Propterea Oholiba hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te,de quibus satiata est anima tua, & congregabo eos aduersum te in circuitu: filios Babylonis & vniuersos Chaldæos nobiles, tyrannosque, & principes omnes filios Assyriorum, iuuenes forma egregia, duces, & magistratus,vniuersos principes principum,& nominatos ascēsores equorum: & venient super te instructi curru,& tota multitudo populorum lorica & clypeo, & gladio armabuntur contra te vndique, & dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudiciis suis: & ponam zelum meum in te quem tecum exercebunt in furore: nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint gladio concident. Ipsi filios tuos & filias tuas capient, et nouissimum tuum deuorabit ignis, & denudabunt te vestimentis tuis,& tollent vasa gloriæ tuæ, et requiescere faciam scelus tuum de te,et fornicationem tuam de terra Ægypti,nec leuabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius.

VIDEAT Christianus ac vir spiritualis, quæ illum tormenta adhuc viuentem maneant,quando Domino ingratus in via Domini defecit,& sibi fidés Domini Dei sui obliuiscitur.Nam qui sibi oblectamento fuerunt, & obsonia pararunt,in tormētum cedent, quem vsqueadeo constipati vallabunt, vt exitum nulla parte inueniat. His autem tanquam seruis Domini, dæmones præsidebunt diuinæ sententiæ executores,qui non pietate,nec benignitate paterna castigabunt,sed suis iudiciis,id est, suis tyrannicis legibus cruciabūt.atque in primis prauis & immundis cogitationibus tam continuis,vt se mutuò excipiant, mentem constringent, & animam dilacerabunt

bunt, iudicium nempe Domini exercentes, atque eius zelotypiam vindicantes, in eum, qui cum legibus Domini educatus esset. & quod amplius est, ipsas professus, impudenter fregit, & desideriis carnis indulgens; & pro commodis ac voluptatibus suis venalem hypocrisim huiusmodi habētes, (vt de opere monachorum dicit Augustinus) relicto vero sponso, cum dæmonibus eorum lenocinijs consentiendo, concubuerunt. Hæc autem exemplo nobis sint, vult Dominus, quæ cum Oholiba, id est Iuda, vbi tabernaculum suum constituerat, fecit. Nam cùm sceleribus, & fornicationibus dictis ipsum verum sponsum, vt suis amoribus indulgeret, reliquisset, suosmet amatores Babylonios, Chaldęos, Assyrios in se suscitauit, qui & exercitu per circuitū, ipsam de Domino gloriantem, & externis gentibus confluentibus, obsederunt. Neque ex infima plebe, inquit, illi, (quos forsan neglexerat Hierusalem) sed ipsos proceres & magnates, principes, duces, magistratus, elegantes iuuenes, qui cupiditatibus satiandis auctores extiterunt. hi eam iudicauerunt, qua quidem sententia Dominus, propria sua immanitate & tyrannica consuetudine, Dominum vlciscentes, pœnas debitas de ea sumpserunt. Cùm autem subdit; Nasum tuum, & aures tuas pręcidēt, &c. stragem exponit, quā exercitus Chaldæorum curribus & multitudine populi instructus, fecit. Etenim nasum & aures præciderunt, quod ad deturpandam fornicariam & adulterā, vt vel saltem amasij eam horrerent, prospector illius solet facere. filios & filias captiuas duxerunt, & nouissimum, atque reliquū vulgi populum igni commiserunt. Vestimenta itē, & omnia ornatus, & decoris supellectilia in suū vsum & commodū rapuerunt: & tandem templū, quod tota gloria illis erat, vasis & omnibus diuitiis suis expoliauerunt. Quæ instructioni nostræ hic prodita sunt, vt quæ corporaliter facta in illis conspicimus, spiritualiter in anima, quæ à Deo recedit, nec sui memor redit, certum habeamus. Primùm enim excluso Deo, qui eius vita est, tam squallida, horrida, turpis, & defigurata manet, vt nullus à se non fugeret, qui horribilem laruam oculis corporis videret. præscinduntur illi statim nasus & aures, quibus Deo gratificari antea solebat, ad Deū quandoquidē fragrantia cælestium virtutum properabat, dicente sponsa: Post odorē vnguentorum tuorū currimus, ideo adolescētulæ dilexerunt te nimis. Auditu deinde ius & præcepta accipimus, fideq; eadē retinemus. Auditus siquidē per verbum Dei. & ita est, quòd deuotio post Dñm ambulandi, admissis lapsibus, in viro spiritali extinguitur, & auiditas verbi Dei omninò obtunditur. filij & filiæ captiuantur, quando optimæ quæq; cogitationes excluduntur, & successuræ impediuntur: & vsq; ad nouissimū, quòd cura & sollicitudo officij, quæ basis virtutis est, igne cupiditatis absumitur. Vestimentis pręterea spoliatur; quia bonis operibus, quibuscum agebat, Deo item & populo pœnitens sua peccata tegebat. & tandem fidem ipsam è templo cordis, in quo & diuitiæ religionis, charitas, & spes, omniaq; desideria, quæ Deo gratificanda vasa existunt, in deploratis & perditis hominibus, tandē diripiunt, & in hęreticis, apostatis, & se è medio suspendio, aut alia re tollentibus planè conspicitur. At ne in tantū malū veniant peccatores, diu variis modis exhortatur, & pluribus laboribus exercet Dominus, vt scelus tandē requiescere faciat, & vt ab amatoribus & diaboli fautoribus, oculos auertat. neq; adolescētiæ dum in Ægypto agebat, scelera recordetur, vt iterum reperat; aut in eis impeditus homo, à recto itinere deuiet, sed cursim sibi dolendo, quòd talia commisisset, negligendo & contemnendo in bestialem & inferiorem hominem demittat. Nam huc spectauit Dominus: Hierusalem & Iudam tot flagellis percussit, vt eius nempe scelera cessarent, oculos mentis ad Dominum conuerteret, & Ægypti idololatrias pœnitentia ab se ablegaret.

August. de opere monachorum.

Roman. 10.

Quia hæc dicit Dominus, Ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti: in manus de quibus satiata est anima tua, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & mittent te nudam, & ignominia plenam; & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum. scelus tuum, & fornicatio tua fecerunt tibi hæc, quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum, in via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicē eius in manu tua. hæc dicit Dñs Deus: Calicē sororis tuæ bibes profundum et latū. Eris in derisum

& in

& in subsannationem, quæ est capacissima. ebrietate et dolore repleberis, calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vsque ad fæces, & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis, quia ego Dominus loquutus sum, ait Dominus Deus. Propterea hæc dicet Dominus Deus, Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoq; porta scelus tuum, & fornicationes tuas: & ait Dñs ad me, dicens.

QVIA dixerat conuersionem Hierusalem tantùm memoratis pœnis expectare: ea nunc exponit, quæ necessaria sunt, vt homo miser ad pœnitentiam assurgat. Vnde & in huius commendationem particula, ecce, vtitur Propheta. Principio igitur vsq; ad satietatem & fastidium peccati, (patienter sustinendo peccatorem) aliquãdo permittere dicit, vt profundum suum casum aduertens, erigi curet. atque tunc Dominus laboribus & afflictionibus exercet, inimicorum manibus per persecutiones & alias calamitates, quarum sunt ministri, tradendo: vt cum Hierusalem fecit, odiis suorum inimicorum dimittendo. deinde, persecutiones, flagella, pœnæ, angustiæ in peccatorum odium, quibus Deus offensus est, patienter sustinenda veniunt: Quamobrem, ait Dominus, scelus & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi. Quasi dicat: si affligeris, si laceraris ira, in tua te flagitia conuerte, quæ hæc tibi attulerunt. nõ quidem ego qui condolens, hæc admoueo. Explicat præterea pœnitentiam, quæ laboribus, afflictionibus, mœrore, atque tristitia suscipitur, pharmacum & purgationem peccatorum esse, dum sociam Samariæ Hierusalem profert, cuius etiam peccati complicem se exhibuerat. purgam autem exaggerat, latum & profundum calicem esse prędicendo: quia captiuitas lata futura erat, & temporis longitudine, & pœnarum magnitudine; vt magno & diutino mœrore componat, quod pluries & longo tempore peccando, deordinatum fuerat. & fragmenta siue vas ipsum vorabis, ait, nedum fæces, & postremas quasque potiones ebibes: atque hoc ideò, vt pœnitentia ducta, laceres vbera, quæ peccando Ægyptiis voluptatibus dedita, malè subacta & confracta fuerunt. pectusque tuum cõtundes, cordis lachrymas extorquebis, & pœnitebis denique: quia ego Dominus loquutus sum. Ipse etenim peccatis offenditur, & absque eius gratia pœnitere non datur. Quare calamitates & pœnæ id aduocantes, eius diuino beneplacito admouentur, vt qui tale commisit, tale etiam sustineat, (perinde ac vulgo dicitur.) & qui corporis voluptatibus indulgendo Dominum proiecit, scelera sua patienter sustinendo, portet.

Fili hominis, nunquid iudicas Oholam, & Oholibam, & annuncias eis scelera earum? quia adulteratæ sunt, et sanguis in manibus earum, et cum idolis suis fornicatæ sunt, insuper et filios suos quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum; sed et hoc fecerunt mihi. Polluerunt sanctuarium meum in die illa, et Sabbatha mea prophanauerunt. Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa vt pollverent, illud etiam et fecerunt, in medio domus meæ miserunt ad viros venientes de longè, ad quos nuncium miserant. Itaque ecce venerunt quibus te lauisti, et circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es, ante te thymiama meum, et vnguentum meum posuisti super eam, et vox multitudinis exultantis erat in ea, et in vtris, qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto. posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum. et dixi ei, quæ attrita est in adulteriis, nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem. sic ingrediebantur ad Oholam, et ad Oholibam mulieres nepharias. Viri ergo iusti sunt, hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, et iudicio effundentium sanguinem, quia adulteræ sunt, et sanguis in manibus eorum, et cum idolis suis fornicatæ sunt. Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multi-

multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam, & lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum, filios & filias earum interficient, & domos earum igne succendent, & auferam scelus de terra, & dicent omnes mulieres, ne faciant secundum scelus earum, & dabunt scelus vestrum super vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis, & scietis quia ego Dominus Deus.

Tres sunt inferorum portæ, infidelitas, hęresis, peccatum mortale: nihil refert, hac aut illac ingrediaris. Quapropter qui Christianismum gloriatur, videat ne iugo peccati constrictus, impœnitens vitam finiat. Nam aditus suus, non minus quàm hæreticis, & obduratis infidelibus patebit, imò maiora patietur tormenta, vt qui plurium debitum, maiori ingratitudine non persoluerit: fortioribus equidem fortior instat cruciatio. Hinc etenim Samariam & Hierusalē, quorum scelera seorsum enarrauerat, vt qui eandem legis pœnam subirent (lapidationem nempe) coniunctim repetit, eadem nouo quodam modo exaggerando. Christianus quippe voluptatibus seruiens, nónne corpus suum idolum habet? ita sanè: nam sic ait, Dominus: quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoque portabis scelus tuū. initium enim idolulatrandi proprius corporis affectus fuit: ita enim. inquit Dominus & hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam affectui, aut regibus deseruientes homines incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. Vnde quasi negligentiam sui officij Propheta exprobrando, interrogat: num simul cū Samaria Hierusalem iudicet, & condemnet, cùm eisdem sceleribus teneatur, & sic grauius peccet Christianus, quandoquidem qui sanctas inspirationes, iusta desideria, igne cupiditatis à dæmone succendi sinit, nónne filios quos Domino genuerat, imò & quos ipse dederat, Assyriis, hoc est, dæmonibus per ignem traducendos permittit? ita sanè. sceptrum quippe quò diabolus hominibus regnat, cupiditas est, inquit diuus Augustinus. Et nónne in templo & domo Dei, Baal idolum statuerunt, animā suam dæmonum habitationem fecerunt, & templum Dei prophanarunt, qui cupiditate cor suum occuparunt? proculdubio. Elegit enim Deus in habitationem sibi eos, qui sermonem suum seruarent, dicens ad horum singulum: Ad eùm veniemus & mansionem apud eum faciemus. Et eius Apostolus Paulus hoc explicans, de eisdem inquit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. & qui voluptates longè veniētes ad delectabilia quæq; obsonant, nónne nuncios ad Chaldęos & filios Babylonis mittunt? & qui carnis, & mundi lenociniis, & blandimentis expositi sunt, nónne miseris dæmoniorum hospitiis, perinde ac impudicæ mulieres, amasiis suis corpus suū & faciem lauant, oculos stibio liniunt, in lecto sedent, expectantes turpitudinē, mensam omnium vnguentorum fragrantia, ad solatium animalium libidinosas vires reparandas præparant, musica multitudinis cantorum, aures incantant, & vt ambitiosiores meretrices armillas & coronas suas in manibus, & capitibus diaboli fautorū, ad lasciuiam prouocantes imponunt? proculdubio. Quapropter pœnas non euadēt, & supplicia grauiora à suis amatoribus dæmonibus, apud inferos acerbissimè sentient. Illud autem quod dicit: & in viris quidem multitudines hominum adducebantur, referunt quidam ad Sabęos, non vrbanos, sed rusticos, & latronum habitum præferentes, inquit Hieronymus. Quare de deserto aduenisse dicit textus sacer. Hi ergo qui cum Assyriis & multitudine sui exercitus læti venerunt, sunt cum quibus etiam fornicata est Hierusalem, suorum idolorum culturam suscipiendo. Quapropter quasi admirans, ait Dominus: hæc quæ attrita est in adulterio, nūc fornicabitur in fornicatione sua, etiam hęc. sed ingressi sunt ad eam quasi ad mulierē meretricem omnibus prostitutam, nulli adulterio nec fornicationi parcentem. Quamobrem vt iustos, Assyrios vocat, qui iudicia Domini, in adulteras & sanguine plenas manus habentes, exerceant, aduocata multitudine eas lapidando, iuxta legis pręscriptum gladiis confodiendo, filios interficiendo, earum domos incēdendo. Iustos etiam significat dæmones, quòd Domini executores impios & sceleratos peccatores lapidibus, gladiis, igne apud inferos obruant, dilacerent, & sine fine absumant, pœnas scelerum illi admouentes, atque ipsi in æternum portantes.

Sapient. 6.

Sap. 14.

August. de agone Christiano c. 1.

Ioan. 14.

Corin. 3.

Capvt XXIIII.



T factum est verbum Domini ad me, in anno nono in mense decimo decima die mensis, dicens: Fili hominis, scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersum Hierusalem hodie, & dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam, pone inquam, & mitte in eam aquam, congere frusta eius in eam, omnem partem bonam & femur, & armum electa & ossibus plena. pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea. efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius. propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinum: Ollæ cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea. per partes, & partes suas eiice eam. non cecidit super eam sors. sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum. non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere, vt superinducerem indignationem meam, et vindicta vlciscerer. dedit sanguinem eius super petram limpidissimam, ne operiretur. propterea hæc dicit Dominus Deus.

Tandem quis finis maneat paganos fidem Christi Iesu contemnentes, & hæreticos eam commutatione suarum voluptatum amittentes, & prauos Christianos impœnitentes, præsenti capite indicitur. Nam illos, Israëlitæ siue Samaritæ in fornace Babylonis patientes significant: & reliquos Hierosolomitæ sua ciuitate accensi: & vtrorumq; item miserrimus exitus, postremas inferni calamitates, & tormenta repræsentant, vt B. Ioannes sua Apocalypsi explicuit, & nos etiá super ipsam adnotauimus. Oportet enim diem illum tantæ miseriæ, quemq; peccatorum ita certum habere, ac si præsentem intueretur. Quapropter annum, mensem, diem, atq; diei articulum, quo Nabuchodonosor suo exercitu venturus erat, Prophetæ absenti & in Chaldæa agenti reuelauit, eumq; scribere, vt in posterorum memoriam conseruaretur, iubet. Vnde vt prauitatem illius diei, peccata illius populi significarent, anno 9. (defectum ab obseruatione mandatorum Dei notante) & 10. mense, dieq; 10. prauorum malitiam completam significando, per menses, & mensium dies defectum lunæ insequentes, Dominum loquutum esse dicit: quòd vt peccatores terreat, huius diei mentionem commendauit. Præterea hoc idem familiari similitudine, vt è memoria nunquam excidat, patefacit. Nam quid obsecro vsu familiarius, vitæque hominum necessarius, quàm olla quotidianum alimentum præbens? hanc igitur, inferni tormenta præsentate omnibus vult, vt suam Hierosolymitis, quòd pœnitentiá non egissent, vastationem. Vnde struere ollam Prophetæ iubet, mittereque in eam aquam & carnem. Aqua enim, quia morosè, & tarde ab igne euaporatur, obsidioné exercitus Chaldæorum diuturnam significat. qui velut ignis carnem, frequentiá omnium Iudæorum, quam ciuitas, vt olla carnes continet, decoquet, & tandem absumet. Tanto enim vigore aget, vt omnem partem bonam femur, & armum, id est, nobiles & excellentes quosque, & ossa, id est, viros omnes fortes, qui impetum hostium sustinere solent, & pecus pinguissimum, id est, opulentos & diuites quosque ex ipsa plebe pingues, atque oues, omnes inquam friget, & efferuescendo deuorabit: à maiori ad minorem vsque pertinaces cruciabit. Causam autem tantæ miseriæ cum dolore exprimit Dominus, dicens. Væ ciuitati sanguinú cuius rubigo, &c. inuitus Dominus & iustitia prouocatus, postreme punit. Causa, inquit, est, quòd non pœnituit, quòd rubigo (quæ cordis puritatem & vitæ mundiciam obtexerat) expulsa, & lota lachrymis non fuit. Quare simul cum ea consumetur, neq; vt spuma, quæ ab olla feruente extrahi solet, exiet. significanter enim quidam loco rubiginis spumam verterunt. nec mittetur, inquit, sors super eam, quoniam omnes absque delectu impœnitentes peccatores descendent in infernum, cuiusuis conditionis sint, aut in vrbis Hierusalem fossas, vnus post alium deiicietur. At, quæ scelera sunt, quorú pœnitentiá contempsit? homicidia potissimú, & humani sanguinis crudelis effusiones. obiiciuntur in capite prophetarum occisiones, iussa Dñi loquentiú: quos nó amplectebá tur, qui ex suo prædicabant. atq; eorum sæuitiá & crudelitaté significans in petra eas

effecisse narrat. Et interfectionem Zachariæ specialiter Rabbini hoc loco memorari volunt, ob eius atrocitatem. Verùm ne te hoc molestet, cùm hác & alias intelligat. & item in petra sanguinum occisiones factas dicit, quòd in manifesto, vt ad posteros extenderentur, vt qui delectárentur in rebus pessimis, & exultarent cùm malefacerent. Sapient. Terra enim quòd effusum sanguinem bibat, & suo gremio operiat, non ita eius denunciatrix existit, vt scriptum est. Homo quicunque de filiis Israël & de aduenis, Leuit. 17. qui peregrinantur apud vos, si venatione, aut aucupio ceperit feram vel auẽ, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat eum terra. Hinc igitur ait, Petra limpidissima, id est, in loco eminentiori publico & aperto, tuam impudentiam plectar, meam indignationem effundendo, quam diu te expectando pectore continui: & contra vaticinia de Christo Iesu, qui petra est, occidendo Prophetas, peccarunt. Ideò supra petrã eos suas effusiones facere Dominus prouidit: ob quod in limpidissima petra, hoc est, iudice Christo eos condemnauit.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. congere ossa, quæ igne succendam, consumentur carnes, et concoquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. pone quoque eã super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius: & multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. Ego Dominus loquutus sum: veniet, & faciã, non transeam, neq; parcã, neq; placabor, iuxta vias tuas et iuxta adinuẽtiones tuas iudicabo te, dicit Dñs.

ACERBITATEM pœnarum, quas dabunt omnes, qui suprà memorati sunt, & earum auctorem & promissorem, Dñm esse iam explicat. Quanta enim misericordia peccatores Dominus ad se aduocat, tanta iustitia eos repugnãtes, affligit & cruciat. Præparauit quidem illis pyram inferni, incendio quippe torquendi sunt; rãtumque flammarum esse cupit, quòd ministros suæ iustitiæ dæmones instigat: & ossa perinde ac ligna ad ignem augendum congerere iubet. sic indeficientes consumentur prauorum carnes, quòd conditura, siue compositio omnium, quæ olla continentur, mensæ Domini pro iustitiæ debito coquentur, & omnium ossa, siue fortitudines contabescent, & deficient: quia nullæ suppetent vires, vt vel tantillum refrigerij, quod diues ille purpuratus desiderabat, accipiat. perinde quidem vt in archetypo: vastatione nempe Hierusalem, id obumbrabat Dominus. Vbi vt in pyra à Domino accensa per Chaldæos increscit ignis, ossibus mortuorum velut lignis appositis absumuntur ciues, & vsque ad defectionem virium deficiunt, etiam fortissimi quique. neq; finem accipiet tormẽtum. post vltimum namq; & vniuersale iudiciũ, reassumpta corpora, sine fine cũ animabus simul cremabũtur. Quapropter ollam ipsam vacuam, vrbẽ nempe prunis (quæ vehementiùs adurunt) superponere iubet, vt caleat, atq; totum inquinamentũ eius confletur, & omnis absumatur rubigo. Etenim iustitia exigit, vt animæ consortiũ, quod inquinamentũ animæ, & rubiginẽ peccatorum præparauerat, simul cũ ea, quæ cõsensum adhibuit, pœnas legitimas subeat. & in tali discrimine positus miser homo conqueri de Dño iustè poterit? minimè. nam multo labore, inquit, sudatum est, &c. summopere tuam desideraui salutem, in tantum, vt homo factus multis pro tua vita assumptis laboribus, sudorem ex sanctissimis meis membris excusserim: cùm fatigatus ex itinere in puteo Samariæ Dominus Iesus Ioan 4. Christus sedit: & cùm proximus morti sanguinis sudorem effudit. Lucæ. 22. & tua immunditia & rubigo peccatorum à te nõ exiuit, quia pœnitere renuisti: neq; mea mors tuæ reparatrix vitæ, te molliit, vt cor tuum, detestando peccata, ad me conuerteres. quare subdit: eius animam rubiginẽ neque per ignem exiuisse. Præterea etiam Hierusalem, Dñm perinde ac quẽlibet hominem; per opera continuæ prouidentiæ non solùm ad vitam necessaria, sed quæ admirabilem indulgentiam spectant, aduocasse, ait. Atqui cùm sic minimè proficere vidisset, vt pius pater flagella per plura calamitatum genera admouit: vt rubiginem peccati excuteret, at nec sic profuit: atque

adeò dicit: neque per ignem. Est quippe toto lachrymarum fonte plorandus homo, qui cupiditatis ardore luto peccatorum obduruit: nam vti stupidus nihil sentit. Vnde execrabilem Hierusalem immunditiam dicit Dominus, qui cùm tot vius e suis sordibus eam mundare laborauerit, non sit mundata. & quod peius est, tale ingenium & propensionem videat, vt interitum eius prædicet, nec ante fore mundam. Quamobrem ait Dominus, absque dubio pœnas daturam, id exigente iustitia. Ego, ait, dixi: Ego adimplebo, & cósumptiuum tormentum venire faciam, imò iam venit, nec flectar, nec parcam, nec indignationem meam quiescere faciam, antequá absorbearis. Hoc autem aduerte, quod illud multo labore sudatú est, &c. referri potest ad peccatorem, siue ad Hierusalem, quæ eius personam gerit, vt aliqui volunt. & tunc sensus est, quòd mendaciis & iniuriis proximorum adeò fatigauit se, vt sudoré excuteret, ac proinde omnino stultè: nec pœnitere voluit, vt exiret rubigo, quocirca memoratas pœnas non euadet.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ: Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata est tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. loquutus sum ergo ad populum manè, & mortua est vxor mea vesperi, feciq; mane sicut præceperat mihi. & dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid ista significant quæ tu facis? & dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens: Loquere filiis Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuariú meum, superbiam imperij vestri, & desiderabilia oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra: & filij vestri & filiæ vestræ quas reliquistis, gladio cadent, & facietis sicut feci: ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis, coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus vestris: non plangetis neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & vnusquisque gemet ad fratrem suum, eritque Ezechiel vobis in portentum, iuxta omnia, quæ fecit, facietis, cùm venerit istud, & scietis quia ego Dominus Deus. & tu fili hominis, ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorú eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios & filias eorum, in die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi: in die inquam illa aperietur os tuum cum eo qui fugit, & loqueris, & non silebis vltra, erisque ei in portentum, & scietis quia ego Dominus.

PATIENTIBVS etsi grauiora ferant, solatium est videre vicem eorú dolentes, qui affligantur, qui mœrorem & tristitiá super eos assumant. Verùm impios & pertinaces peccatores tam acerba manet apud inferos cruciatio, quòd neq; refrigerium sentient, vt habeant, qui ipsis condoleát. Omnes enim, qui iuxta ollam ibi sunt, summis cruciatibus torquentur, & eorum quisque compatientem desiderat; qui extra sunt beati: imo & viatores iusti, quòd iustitiá Dei vindicari videant gaudio perfun- Psalm. 57. dentur, iuxta illud: Lætabitur iustus cú viderit vindictá, & in sanguine peccatorum manus suas lauabit. Hoc igitur nos docet Dñs, cú totam frequentiam Hierusalé sic vastandá dicit, vt non remaneant qui comá tondeant, qui mortuos ploréɾt, sua quisq; occupatus miseria; qui vestes lugubres pro eis induát; qui pedes nudét, qui cibos, mœrore victi propinquorú, more lugentiú, præparent: sed neq; qui à vicinis expectét. quia oés, inquit, in iniquitatibus vestris tabescetis, id est, deficietis, vt vnusquisq; ad fratré suú propriá gemat miseriá, in quá incidét, dicit Dñs; quia exercitu Chaldæorú polluá, siue prophanabo templú meum, in quo superbitis. hoc enim elatio, siue superbia eorú erat. Vnde Rabi Salomon super Amos cap. 6. exponens illud, Detestor ego superbiam Iacob, & palatia eius odi, inquit: Domus quoque sanctuarij vocata est superbia, iuxta

iuxta illud Ezechielis. Ecce ego prophanabo sanctuarium meum, &c. poteris etiam simul intelligere regnum auferendum, quod erat superbia imperij sui. Et desiderabile oculorum suorum irem auferam, id est, rem omnem, perinde ac oculos, preciosam: super quam pauet anima vestra, id est, super quam omnem curam habet, & cui ira indulget, vt nec vel minima res eam vel strictim tangat. & tandem filios, ait, vestros & filias gladio cadere faciam. Videte quod suffugium habere poteritis? atq; similiter, mundi fine accedente, vniuersali iudicio celebrato, omnes impij & capitosi peccatores in ollam inferni cadent, suis etiam corporibus absque solatio aliquo in ęternum cruciandi. At verò quoniã Hierosolymitanos miserrimũ casum suũ, pręsentem semper vt sibi consulerent, habere voluit; & nos Christianos postrema inferni tormenta, sub parabola & similitudine mortis vxoris Ezechielis portendi, & præsagiri voluit. Vnde plaga, inquit, auferam desiderabile oculorum tuorum, id est, morte subita & repentina, rem vt oculos charam, nempe vxorem tuam auferam. Deinde vt Iudæis indiceret ita vastandos, vt qui obsequias & lugubres plãctus facerent, non restarent: eam non plangere, neque lugentium mores super mortuos seruare, permittit. Erat enim in more comam & capillos radere, vultum luctus pallio operire, nudis pedibus incedere, quid præparatum non manducare, nisi quod à cõpatientibus oblatum esset. & sicut dixit Dominus, euenit: nam manè ipse ad populum prædicauit, vesperè vxor eius fuit mortua subitò, & sequenti mane, solito habitu, iuxta pręceptum Domini per omnium conspectus incessit. ex quibus mortem subitam in vehementem admonitionem, & exhortationem nostri à Domino ordinari: & in calamitatibus, quæ paterna eius pietate nobis admouentur, æquanimiter nos habere, nec non super mortuos sicut gentes quæ spem non habent, immodicè luctu & lugubri habitu non debere contristari. Et tandem iuxta Christi Iesu præceptum pœnitentiæ tempore non tuba canere, nec facies & personæ habitum exterminare, apertè demonstratur.

Capvt xxv.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Amon, & prophetabis de eis, & dices filiis Amon: Audite verbum Domini Dei, Hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quod dixisti, Euge, Euge super sanctuarium meum, quia pollutum est, et super terram Israël, quia desolata est, & super domum Iuda quoniam ducti sunt in captiuitatem, idcircò ecce ego tradam te filiis Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum. daboque Rabba in habitaculum camelorum, & filios Amon in cubile pecorum, & scietis quia ego Dominus: quia hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super terram Israël, idcirco ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram, & scietis, quia ego Dominus.

Tanta enim erga omnes homines beneuolentia Dominus astrictus est, vt non minus exteros, qui planè hostes sunt, quàm quos intra caulas sui populi habeat, dirigere, ad rectam viam deducere, omnium curam gerens, satagat. Calamitatibus quidem descriptis, non solùm restantes è populo Israël & Iudæorum, sed gẽtes ipsas tragœdiæ spectatrices, ad meliorem vitam & sui cognitionem mouere studuit. Atqui ad hoc exemplum positum non sufficiens, misericordia Domini neglecta, prius in Iudæos animaduertere volentis, quàm in Amonitas (cùm ex æquo in biuio Chaldæorum, exercitus in vtrosque calesceret, vt suprà memoratum est) in eos Dominus iram suam conuertit: & re Iudęorum peracta, in Amonitarum vastationem eundem Babylonicum exercitum dirigit. Huius autem rei admonens Prophetam, causam iustæ vltionis reddit, quòd non solùm cùm templum pollui & prophanari, terrã Israël

desolari, Iudæos duarum tribuum postremò in captiuitatem duci videret, se mutuò ad lætitiam & gaudium internum inuitarent, dicendo: Euge, euge: sed extrinsecus tripudiarent, applaudendo manibus, pede terram terendo, & toto affectu gestiẽdo, vti vindictam sumentes exhilarauerint. hoc enim est hominum ingenium, vt iustã punitionis causam in eos ponant, quos plecti vident, se ab ea immunes & liberos, quòd incolumes cernant, iactantes. sic enim beato Iob amici sui insultabant; & qui Luc.13. turrim super alios cecidisse aspicerent, se innocentes existimabant. Atqui cùm longè aliter se res haberet, & illorum exemplo, eos Dominus in seipsos intromittere cuperet, subdit, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Quapropter nũc Amonitas non in minori crimine existentes, & in alieno capite periculum facere renuẽtes, ita ad extremum vsque perdit, vt Chaldæi caulas suas, id est, arces & munitissima castella in eorum finibus ponant, tentoria sua figant, esculenta, & poculenta sua omnia comedant & bibant. & metropolim suam Rabbath (quam Philadelphiã nunc dici, vult Hieronymus,) habiraculum siue pascua camelorum facient: & filios Amõ cubile pecorum, quia perinde capientur. Arabiç enim incolæ, gregibus camelorum, ouium, & caprarum abundare, quibus victitabant, testis est Hieronymus; ob quod eorum captionem, ipsorum gregibus facet textus assimilauit.

Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir: Ecce sicut omnes gentes domus Iuda: idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus inquam eius, & de finibus eius inclytas terræ Beth Iesimoth, & Beelmeon, & Cariathaim filiis Orientis cum filiis Amon, & dabo eam in hæreditatem, vt non sit vltrà memoria filiorum Amon in gentibus: & in Moab faciam iudicia, & scient quia ego Dominus.

QVOD Moabitæ dies festos fecerant in Iudæorum depopulatione, punitionem suam audierunt. Nunc verò Moab & Seir, quòd exemplo proposito Hierusalẽ prouocati, non aduerterunt, vt ad Dominum se præpararent, quin illa in elationem ascendit superbiam, ista verò ad Iudæorum vindictam se composuit, quas mereantur pœnas audiunt. quæ Dominus mirabilia pro Iudæis in prælijs fecerat, Moabitç inter omnes gentes vt viciniores suspexerant; nunc verò cùm viderint solo æquarã Hierosolymam, superbientes dixerunt: Sicut cæteræ gentes Dei auxilio carent Iudæi, quandoquidem eorum regnum sic Babyloniis paruit. Quare iam securi & liberi in nostro imperio manemus. Vbi murmurationes & iudicia, quibus proximus lacessitur, non solùm reprehendi, sed acerbe puniri vides Christiane lector, iuxta illud Domini: Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. & insuper, prauorum ac malorum homi- Matth.7. num hoc munus & officium esse; qui simili dicterio, Ecce sicut omnes gentes domus Iuda, iustos insectantes, qui dum suam prauitatem sic regere student, iram Dei in se vehementer prouocant. Superbi erant item, quòd ciuitates inclytas & munitissimas haberent, quæ expugnationi patere vnquam hostium non possent, vt Beth iesimoth, quam solitudinem vertit Hieronymus, ob idque situationem inimicorũ non timere: Beelmeon item, quam fontem aquæ, quòd scientiam aut fontem sciẽtiæ sibi iactarent, ob quod arte bellica nulli comparandi: & Cariatharim, id est, maritimam ciuitatem, ob idque fortissimam & munitissimam, contra quoscunque hostium incursus. Vt ergo eorum superbiam castiget, & flegma demittat, aperturum humerum Moab, dicit Dominus, siue ad arces & antemuralia, quç vice humeri ciuitatibus sunt, siue munitionem, & constipatam insigni arte bellica exercitus multitudinem: Nam vtcunq; viam aperiet filiis Orientis, id est, Chaldæis ad Oriẽtis partẽ vergentibus, vt arces expugnent, & quascunq; bellatorum acies rumpãt, similiter ac fecit Amonitis, vt vtrorumq; memoria in gentibus pereat. atq; sic ait, In Moab faciã Sapient.15. iudicia, id est, vltiones, vt cognoscant quia ego Dominus. Est enim, vt dicit Sapiens, nosse Deum summa iustitia, & scire iustitiam & virtutem radix immortalitatis. Proptereà se gentibus manifestare vt idola relinquerent, maximè Dominus Deus curauit, in tantum quòd lex, & signa spiritalia mysteria notantia, in suo populo pædagogia essent, vt in officio & cultu veri Dei custodirentur, vt tertio lib. de doctrina Christiana prodidit Augustinus: Nã sic, inquit, diuina cognitione & cultu dispositi in procinctu erant, vt tempore reuelationis aduentante Euangelij mysteria perciperent,

Hinc

Hinc igitur toties repetit Dominus, vt cognoscant quia ego Dominus sum, & discát simul hîc homines insolentes prefati, qui iustos & studiosos opere & vita Dominum Iesum Christum confitentes, nihili pendunt, ludibrio & opprobrio habent, cú suas aduẽtantes afflictiones, & calamitates viderint, quando vt filios eos castigat Dominus, eorum rem agi, qui vastari & perdi omnino merentur. Nam si, vt inquit beatus 1.Petr.4. Petrus, iustus & sanctus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem, vt se vindicaret. de filiis Iuda, peccauitque delinquens, & vindictam expetiuit de eis, idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extẽdam manum meam super Idumæam et auferam de ea hominem & iumentum, & faciam eam desertam ab Austro. qui sunt in Dedam gladio cadent, & dabo vltionem meam super Idumæam per manum populi mei Israël; & facient in Edom iuxta iram meam & furorem meum, & scient vindictam meam, dicit Dominus Deus.

Popvlvs Idumæorum Edom siue Esau progenies, Iudæos, quòd diuinis fauoribus attolli semper videret, idq; ex benedictione, quam Iacob Esau patri suo surri- Gen.17. puerat, prouenisse, antiquo odio prosequutus est, & inuidiæ morsibus semper ipsos lacerauit. Quapropter in eorum desolatione, vindictam maximá sumpsit, & in sui vltionem, pœoas commeritas dedisse, efferebat. Quod peccatú Dñs puniẽs, eos perdidit, in solitudinem ipsorum regionẽ redigens, homini nec iumento parcẽs, nedum ciuitates Themam, & Dedá eorum suffugium destruens. quod duplici via Dominũ fecisse, & si subobscurè, colligitur (nec mirum, quia non alibi in scriptura hæc historia legitur) tunc per se ipsum propriam manum extendendo, peste aut fame, & alia vastatrice plaga, tum etiam & manu ipsorummet Israëlitarum, qui gladio eos cadere fecerunt; vt per eos quos cadentes vlciscebantur, ipsi deleantur. & sic non casus, aut hominum indignationem & furorem agnoscant, sed Domini, qui extra omnem expectationem, debiles & cassos eleuat, & fortificat, cognoscant, & punitricem eius manum sentiant. Vbi, Christiane lector, disce quàm grauiter ferat Dominus eorum iracundiam & insolentiam, qui cùm vicinorum & cognatorum scholam adire, vt Deum cognoscerent & honorarent, debuissent: aut ex rumore & fama conuiciniæ, aut propinquitatis cultum & legem Dei edocere conueniret, ab hac re tantú absuerint, vt eos qui legem & præcepta Domini haberent, nõ solùm plusquam ciuili odio prosequerentur, verùm de ipsis vindictam & vltionem tota vita procurarent. Quocirca beatus Paulus fideles omnes vehementer à vindicta reuocabat, dicens: Nõ vos Roman 12 metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ: & alibi: Ira viri iustitiam Dei Iacob 1. non operatur, bene autem Dei, qui Deus vltionum appellatur & est. Et diuinitus itẽ, vindictam, & morsus carnis in spiritum in vnoquolibet incessanter exerceri hîc diuinus Spiritus docet. Est quippe Iacob & Esau perinde ac in vtero, nobis in vita cõtinua lucta. Atque Esau primùm exiens eius placita nos sequi facit, quoniam priore ætate, vt dicit Hieronymus, secundum carnem viuimus, pòst verò maturiore accedẽte, secundum spiritum, quando collustatione Iacob vitia proruant, dominãtur virtutes. maior etenim & prouectior ætas, vitam adolescentiæ dánat, vt detestatus est Dauid, quando dicebat: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Dñe. Psalm.24. Verè item sic Iacob. Esau hirsutum pilosum & rufum peccatorum sanguine supplátat, qui in sui vindictam vti è benedictione & vitæ dominio deturbatus, semper ini- Genes. 25. micitias gerit, & vindictam appetit, & quocunq; lapsu maximè eá tripudiat. Sed verum ad se reuersus homo, spiritum pœnitentię, gratiæ & bonorum operum armatura erigens & protegens, Esau, id est, carnem destruit, per manus Iacob insignis colluctatoris, & Israël: hoc est, ipsius spiritus videntis per fidem Deum, & charitatis operibus confitentis, ac ita dominantis, quod vox sonat. sicq; tandẽ caro furiá perdit, & Esau esse desistit, atq; in animæ & vitę spiritalis famulatũ trãsit, secundũ illud Dauid: Psalm. 62. Sitiuit in te aoima mea, quá multipliciter tibi caro mea. & iterũ, Cor meum et caro Psalm.83. mea exultauerunt in Deum viuum: in qua rẽ scopus vitę Christianæ constitutus est.

Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt Palestini vindictam, & vlti se sunt toto animo interficientes, & implentes inimicitias veteres: propterea

propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego extendam manum meam super Palestinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. faciamque in eis vltiones magnas arguens in furore, & scient quia ego Dominus, cùm dedero vindictam meam super eos.

Ephes.4. QVI iram seruat, grauiter Deum offendit: Quamobrem beatus Paulus statim efferuescere obnixè à Corinthiis petebat, dicens: Videte ne occidat Sol super iracũdiam vestram. Etenim qui eam non deponit, non aliud cõtinuè animo versat, quàm inimicitias veteres, quibus & animum fastidit, cruciat, & nihil non machinatur, vt se vindicet, & vlciscatur, non Domini offensi, sed suam quærens gloriam: quod obiurgans Dominus dicit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Vnde qui præceptũ hoc
Roma.12. negligit, tanta iugiter exagitatur furia, vt potentiores quosque sibi societ, & amicos aduocet, & munitissima quæ habere potest ad eam rem in procinctu semper habere studeat. sed vide, quàm grauiter huiusmodi puniat Dominus. Nam Palęstinos, siue Philistęos, qui veteres inimicitias cum populo Israël gesserunt, se vindicare semper cupientes (vt patet ex historia Iudicum) exercitui Chaldæorum se iunxerunt, & vastationis & interfectionis virorum Hierusalem socij extiterunt (vt suprà meminit Propheta,) grauiter punit. Quippe extendens manum suam, Cerethęos gentem illam nobilem vsqueadeò re bellica valentem, vt interfectores appellarentur, interfecit, vt nec maritimæ regionis, quam in munitionem colebant, vel reliquis parceret. faciam, ait, vltiones magnas. Cæterùm hoc arguens in castigationibus & increpationibus furoris, id est, eorum confusionem correptionibus operans: nam misericordia finem imponere flagellis desiderat, ait Hieronymus. Quarè subdit, & scient quia ego Dominus, cùm sic de eis pœnas sumpsero. Est enim Domini ingenium misereri semper & parcere. nostrum autem iustitiam eius prouocare, & ad vindictam cogere. sed nec eo irritatus, misericordiæ obliuiscitur, quos castigat conuertere intẽdens, & vindictæ etiam spectatores. Vnde in hoc capite quatuor gentes punit, quæ ex co-
Apocal. 3. gnitione, aut vicinia in vastatione Hierusalem coargui debuerant, quando in pace legem & præcepta, ibi vt in schola publica omnibus gentibus, & præcipuè genere aliquo propinquitatis coniunctis, proposuerat, discere neglexerunt.

CAPVT XXVI.

ET factum est in vndecimo anno prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pro eo quòd dixit Tyrus de Hierusalem: Euge, cõfractæ sunt portæ populorum, conuersa est ad me, implebor, deserta est. propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, vt ascendit mare fluctuans, & dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram. siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus, & erit in direptionem gentibus. filiæ quoque eius quæ sunt in agro, gladio interficientur, & scient, quia ego Dominus.

GENERATIO vnius est corruptio alterius, & hac vicissitudine vniuersum cõseruatur, vt non intereat. Perinde igitur mundi fastus & superbia non solum sustentatur, sed indies crescit & augetur. quippe qui in gradu aliquo & dignitate agit, in continua cura est, quomodo excelsior corrumpetur, vt ille sufficiatur, & cæteros vincat, & supra eum cui subrogatur, ascendat: atque ita mundi superbia, ministra inuidia, miris ascensionibus sine fine & modo semper fastigiatur. Cui Spiritus sanctus obuians, postquam in vastatione Hierusalem, finitimas, & propinquas nationes, vt sibi cauerent, admonuerat, ad succedentes transit, & Phœnices, quorũ caput & metropolis Tyrus extiterat, adhortatur. Etenim Tyrus omni furia, Hierusalem opulentiam, & negotiatorum frequentiam inuiderat. Quapropter in eius casu immodicè exultantem præuidit eam Dominus, atque in eius loco successionem sibi congratulantem:

lantem: confractæ sunt, ait, portæ populorum, id est, ceciderunt portæ, quæ populis gentium ingredientibus, semper plenæ fuerant. Ad me omnis negotiatio conuersa est, eius loco ego sufficior. Quare implebor, negotiatione scilicet, & studia mea iam assequuta fuero: ipsa siquidem quæ me antecedebat & plena fuerat, deserta iam & prostrata manet. Ecce fastum & iactantiam, quam vt temperet, & à mundo oculos ad Dominum conuertat, suum casum prædicit. Nam non multo post gentes tanto impetu in eam incursuras dicit, vt mare in magna tempestate fluctibus vndique exagitatum, furiam suam ostendere solet. quæ ita muros & turres præaltas & munitas quibus gloriabatur, solo æquabunt, ita vt nec puluis permaneat, sed nudissima, aut limpidissima petra, id est, solæ rupes absque vlla terra, & siccario sagenarum erit in medio maris. Erat enim insula vndique mari cincta, & propterea dicit perire in medio mari, quòd vsus illarum, & piscium captura, qua maximè in prouisionem populorum victitabat, cessaret. Alij transferunt, expansio sagenarum, & cæt. Et erit sensus, quòd perinde ac sagena pisces, gentes superuenturæ omnes habitatores capient, & vastabunt: figuram dicendi ex maris elatione, quo circundabatur, ex situ vrbis, & modo viuēdi in maiorem rei præsentationem, sumendo. Neq; in hoc malum quiescet, vt ipsa ciuitas dissipatur prædaque sit gentibus. nam filiæ quoque eius, id est, villæ, quæ per agros & campos regionis sunt, gladio cadent, quia omnes habitatores interficientur. & sic Tyrus, quæ Sor, id est, angustia Hebraicè dicitur, suo nomini respondens, postremam angustiam & miseriam sentiet. Vt hinc inuidus & superbus, qui de proximi bonis semper pascitur, qui exitus ipsum maneat, quādo in maiorem locum suffectus, iuxta suum desiderium ascendit, apertè videat. nam punitionis finis conuersio hominum est. Vnde subdit, & scient, quia ego Dominus.

Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone regem regum cum equis, & curribus, et equitibus, & cœtu, populoque magno, filias tuas quæ sunt in agro gladio interficient. Et circundabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & eleuabit contra te clypeum, & vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua. inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à sonitu equitū & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui: cùm ingressus fuerit portas tuas, quasi per introitum vrbis dissipatæ.

EXPONIT, quem executorem iussorum suorum contra Tyrum elegerit, eumque esse asserit, quem nulla potentia humana æquare potest, nedum excedere: Ait itaque Nabuchodonosorem esse, cui non est par in regibus terræ. Is igitur cum tanta potentia aduenict, cum exercitu ex infinitis equis, equitibus, cœtu strenuorum virorum, populoque magno, quòd præ puluere equorum & sonitu curruum muri corruent, & ea facilitate per portas ciuitatis ingredietur, acsi dissipata esset, nulla munitione resistere valens. & ea item securitate, qua homo ex agro veniens laboribus diurnis pressus, ciuitatem intrat, propriæ domus quiete potiturus. tanto deinde vsu, ensium, lancearum, vinearum, siue tormentorum bellicorum, valebit, quòd filias tuas, id est, villas quas ad tui sustentationem circumhabitantes in agro habes, ilico perdet, quandoquidē earum habitatores gladio interficiet. Filiæ enim appellabantur 2. Paral. 14. huiusmodi habitationes quæ iurisdictioni ciuitatum subditæ erant: quas nunc vicos & oppida vocamus. Tāta præterea machinationum belli industria poterit, quòd munitionibus bellicis te circundabit, aggeres vndique comportando, quibus defendatur, & securiùs te per tormenta sua maiora iaculet, & armaturam feriat, quòd muros facile sternet, & turres destruet. Simplex hęc historiæ narratio est. sed non dubiū, quòd per eam Spiritus sanctus mundum ipsum, & superbos eius asseclas alloquatur: Deus enim non odit peccatores. Nihil enim, ait Scriptura, odisti eorum quæ fecisti, Sapient. 11. sed ipsa peccatā, quæ homines à recto declinantes, commiserunt. Quapropter, quæ ad abolenda Tyri peccata facit, proculdubio ad totum mundum, & omnes qui similibus peccatis subiecti sunt, & subiicientur, protendit. Atque cùm Nabuchodo-

nosor

Esaiæ 14. nosor, Luciferi personam in Scriptura gesserit, vt in Esaia de eo legitur: Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris &c. manifestum est, personam diaboli potētiam sui exercitus inuisibilis, industriamq́; quam ad homines perdendos & vastandos habeat, qui ad Deum, eiusque auxilia non confugerint, exprimere. Cùm enim è cœlo ceciderūt cōplures, imò ferme omnes in aëre hoc caliginoso exercitationis humanæ gratia, remanserunt. vt testis est diuus Aug. secundo libr. de doctrina Christiana: & post eum Sanctus Thom. qui in prima Summæ parte sic ait: Probabile est, quòd de quolibet ordine multi ceciderunt, sicut in quemlibet bonorum ordinem multi assumuntur in supplementum ruinæ angelicæ. Ex quo & in aëre caliginoso exercitationis humanæ causa fermè omnes, dempto eorum vno principe Lucifero, vsque ad diem iudicij manere colligitur. Tanta siquidem hominum multitudine implendarum illarum sedium gratia, & per tot sęcula mundus extenditur. super quam rem sic Sanctus Th. dicit: Procuratio autem salutis humanæ protenditur vsq; ad diē iudicij: quapropter & vsque tunc durat ministerium angelorum bonorum, & exercitatio dæmonum. Vnde & vsque tunc boni angeli ad nos mittuntur, & dæmones in hoc aëre caliginoso sunt ad nostrum exercitium: licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendos eos quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni angeli sunt cum animabus sanctis in cælo. Hinc igitur in tanta aduersariorum inuisibilium multitudine exquisita industria & sagacitate valentium, quàm cautè cum Deo sub obedientia sanctæ matris Ecclesiæ, quisque viuere debeat, diligenter discat. Et quæ sunt quæ diabolus rapere sic nos super terram ambiens, contendit? animas nimirum nostras. sed vt voti compos fiat, primum spiritus munitionem expoliare contendit. quæ autem sint hæc spolia, ex rerum vmbra, quibus temporalis vita abunde fulcitur, disce. ait enim:

Aug. 2. lib. de doctrina Christiana.
S. Thom. q. 67 art. 9. ad 3.

Vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas, populum tuum gladio cædet, & statuæ nobiles in terram corruent, vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas, & destruent muros tuos, et domos tuas præclaras subuertent, & lapides tuos, & ligna tua, puluerem tuum in medio aquarū ponent. & quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus citharарum tuarum non audietur amplius: & dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis vltrà, quia ego Dominus loquutus sum, dicit Dominus Deus.

CVM inimici ad plateas vsque obsessæ ciuitatis ingrediuntur, omninò superata est: & omnia illius bona hostium manibus exposita sunt. ea autem quibus celebris ciuitas fastum suum & opulentiam ostentat, hæc sunt: frequentia populi, nobilium statuæ plures, trophæa & imagines clarorum virorum in plateis, & locis publicis erectæ, ingentes opes, negotiatorum plura genera, præclaræ domus lignis & lapidibus exquisito modo elaboratis & amplissimæ: musicarum varia genera, quæ ad temperandos labores valeant, ciuesque delectent: & tandem murorum structura fortissima, eademque præclara. Quæ omnia exercitus inimicus vastabit, diripiet, destruet, & memoriam omnis oblectationis cessare faciet. & in tantum procedet, quòd redigет in limpidissimam petram, id est, in eam formam, vt nec vestigia tui appareant, nedum in cacumine seu vertice rupis solitario & sicco. Et siccatio sagenarum eris, quia in solo tuo, vti in agro solent piscatores, ad solem retia sua expandent. neque vltrà ædificaberis: quoniam, vt dicit Hieronymus, nunquam in eandem opulentiam & florentem imperij statum restituta fuit. hoc enim ædificare, sonat in scriptura: secundum quam rationem ædificauit domos obstetricibus Ægyptiorum. nunquam enim ad eam gloriam pòst peruenit, vt more reginæ coronatæ, maritimarum vrbium reginam se diceret: quod antè iactabat, vt prædixit Esaias, primò hanc Tyri ruinam vaticinans. hęc ergo visibilis exercitus & inimicus rapit. Verum inuisibilis dęmoniorum exercitus cum suo principe diabolo animæ bona diripere conatur, fidem, quæ nobilissima & præclarissima militis Christiani erecta statua existit, opes virtutum, quæ à charitate, vt propagines, pullulant, earumq́; negotiationes præclaras, domos & altissimos

Exod. 1.
Esaiæ 23.

altissimos spei muros, quibus in cælum erigitur. quorum raptu spoliata anima, absq; munitionibus & arcis animæ custodibus, inimicis dæmonibus capta, aut desperet, aut peccata libenter amplexa, ditioni eorum fiat, & tributa persoluat, oportet. Atqui ne exquisitus hic sensus, & nimium tropologicus appareat, memineris hunc locum & similes sic exposuisse beatum Ioannem Apocal. 6. quando infernum & mortem, hoc est, diabolum insidentem in equis nigro & rufo introduxit. per quos multitudinem impiorum & prauorum siue intra, aut extra ecclesiam, vt exercitum, cui præsidet, aperte significauit. Apocal. 6.

Hæc dicit Dominus Deus de Tyro: Nunquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum cùm occisi fuerint in medio tui, commouebuntur insulæ, & descendent de sedibus suis omnes principes maris, & auferent exuuias suas, & vestimenta sua varia abiicient, & induentur stupore, in terra sedebunt, & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur, & assumentes super te lamentum dicent tibi: Quomodo peristi quæ habitas in mari inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi? nunc stupebunt naues in die pauoris tui, & turbabuntur insulæ in mari, eo quòd nullus egrediatur ex te.

INITIVM pœnitentiæ, à timore est: Quare cùm magnopere in Tyri subuersione vicinarum gentium, quę spectaculo forent, conuersionem Dominus exoptaret: inter eas autem Ægyptios primum nominat qui Tyriis victum suppeditabant: erat enim Ægyptus velut horreum Tyri. Ad eos ergo orationem conuertens, quasi cum obiurgatione, dicit: Nunquid possibile erit, insulas, siue finitima regna & populos, ad quorum aures rumor & fama ruinę Tyri, & gemitus eorum qui interfecti sunt, & in captiuitatem ducti peruenit, ad pœnitentiam non commoueri? ac si dicat: minimè gentium. Vnde principum circum habitantium mare compunctionem, (nam eos populus statim sequitur) initium & progressum conuersionis vitæ omnium statuit. Primùm è thronis & sedibus altis, quibus superbia innititur, & si nō re, saltē affectu descendent: exuuias siue extraangulares vestes, & vestimenta ipsa pretiosa, & supra modum & cæterorum habitum exquisita & elaborata, abiicient, aut nihili pendent: quarum loco timorem, aut pauorem Dei induent. deinde consideratione mundi exitus, & arruinationis subitæ, sedentes in terra, id est, in propria sui cogitatione admirabuntur, nihil stabile in sæculo hoc inuenientes. statimq; sursum cordibus erectis, lamentum assument super eam, dicentes: Quomodo peristi Tyro vrbs fortissima? quandoquidem mari circumdata, vrbs celebratissima, & ab omnibus, laudibus nunquam satis euecta iam & viris fortissimis, qui nulli vnquam nationi non timori fuerunt, spoliata iaces? quia naues, id est, omnes, qui nauibus mare exarāt, negotiationes exercentes ex Tarso aut ex Silicia, vt inquit Iosephus, & insulę maritimę, & quæ circum mare iactæ sunt, stupore in tanto casu attonitæ manebunt. nullus egredietur à te. siue quòd captiui ducti sint, siue quòd desolati: fuerūt quidem ad Cethęos, id est, Italiam aut Græciam translati, qui antè non fuerant victi, vt constat ex Esa. Vbi virgo etiam appellatur, quia antea nunquam fuerat capta. Atque hinc similē casum timentes sibi prospicient, & peccata sua è medio tollere dolore & detestatione curabunt. quod si non fecerint, audi quid dicit Dominus.

Esaie 23.

Esaie 23.

Quia hæc dicit Dominus Deus: Cùm dedero te vrbem desolatam, sicut ciuitates quæ non habitantur, & adduxero super te Abyssum, & operuerint te aquæ multæ, & detraxero cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocauero te in terra nouissima sicut solitudines veteres cum his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris. porro cùm dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te, & non eris, & requisita non inueneris vltra in sempiternum, dicit Dominus Deus.

NEC pœnæ, inquit, in exitu huius mundi, & fine vitæ quiescent. Nam in inferno tormen-

Hester 14.

tormētorum colluuie,& loco tenebrosissimo,& putidissimo,qui hîc pœnitētiam neglexerint,in æternum pœnas dabunt. Quamobrem sibi consulant,quibus mors temporalis & mundi exitus solùm timori est. Quare de Tyro sic dicit Dominus: quòd si suis peccatis obdurata perseuerauerit, nunquam terram viuentium habitatura in nouissimo die iudicij resurget,nec amplius requisita inuenietur. Quia in perpetua inferni morte consepulta, cùm Deo non viuat, non esse dicitur, iuxta illud Hester: Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt. Infernum autem describit Dominus Tyro impœnitenti, per longam periphrasim. ait enim, quòd post vastationem factam,si ea non ad cor reuerterit, descendere faciet cum habitantibus lacum, ad populum per multa sæcula ibi commorantem, atque in foueam & terram nouissimam,siue inferiorem: quia in visceribus & medio terræ carcer iste constitutus est. perinde, inquit, ac solitudines veteres, id est, ciuitates illæ Sodomæ & Gomorrhæ, quæ in infernum demersæ sunt, habitationibus ferarum solis earum relictis. Verùm quæ mundi fastu tam altè superbierat,flagellis percussa & calamitatibus fracta,eum locum exhorrescens ad se reuersa, ad Dominum conuersa fuit, & ad ecclesiam inter alias confugit. quod primùm regius vates Dauid dixerat,eius amplitudinem referens his verbis: Audi filia & vide,inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum,& domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. quia ipse est Dominus Deus tuus:& adorabunt eum filiæ Tyri, &c. ecce Tyros intra Ecclesiá.

Psalm. 44.

Esa. 23.

Deinde Esaias idem vaticinatus est,quando post: 70. annos, id est, complementum malitiæ suæ, reuersuram ad Dominum Christum Iesum dicit sic: Post 70. annos visitabit Dominus Tyrum,& reducet eam ad mercedes suas; & rursum fornicabitur, id est,exercebit commercia sua cum vniuersis terræ,super faciem terræ. Et erunt negotiationes eius & mercedes sanctificatæ Domino,hoc est Christo Iesu: nec recondentur,nec reponentur,&c. scilicet in thesauris,sed pauperibus Christi eas elargientur. quod & hoc loco Dominus insinuat. nam post varias calamitates (quas secũdum expositionem præcedentem, infernum diximus significare) tandem se eam daturum in terram viuentium,dicit: & Dominus quidem Iesus id effecit, cùm fines Tyri, & Sydonis sua præsentia dignatus est, & in pignus & primitias suæ conuersionis, Cananæam inde egressam, filiam suam effecit, eiusque filiam ab oppressione dæmonis liberauit.

Matth. 15.

CAPVT XXVII.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum, et dices Tyro quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus, O Tyre dixisti, Perfecti decoris ego sum, circundedi mihi decorem in corde maris sita.

Aug. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6.

QVÆ figuratè, & similitudine dicuntur, suauiùs audiri, & tenaciùs adhærere, quàm quæ nudis verbis proferuntur, auctor est diuus Augustinus. Vnde vt omnibus modis Deus per scripturam hominibus mederetur, per apertiora Scripturæ loca fami occurrit, per obscuriora verò & similitudinibus obtecta, fastidia legētium leuat: Nihil enim ferè de illis obscuritatibus, inquit, eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. In hunc igitur morem, quæ de Tyro apertè Spiritus sanctus superius proposuit, nunc eadem, & in idem cohærentia, figurata loquutione, & sub similitudine nauis proponit. quia prædicatoris officiũ in hoc esse debet, vt dum eadē populo proponit, alio & alio dicendi genere, fami occurrat, & eiusdem auditionis, nempe dilectionis Dei & proximi, fastidium non generet. Primum igitur iubetur lamentum sumere super Tyrum negotiatricē populorum ad omnes insulas, quoniã ex ea merces ad omnes insulas negotiatione exportabãtur. Prædicatoris etenim plãctus & oratio super populi peccatis, magni est momēti, cùm occulto & suaui modo ea media, eius salutē Dominus operetur. sic enim Diuus Paulus Timotheo pro iis, qui in sublimitatibus constituti sunt, orare præcepit. Putare quippe poterat, ait Augustinus, fastu & superbia seculari à fidei Christianę humilitate abhorrere; proinde vt despe-

1. Tim. 3.
Augu∫t. in Enchir. ca. 103.

desperationem statim tolleret,cùm dixisset,id esse acceptum coram saluatore nostro Deo,addidit: qui vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire. Hoc quandoquidem Deus medium ordinauit, vt orationibus humilium, dignaretur salutem operari sublimium, & duritiam populi,lacrymis prædicatoris nonnunquam emolliri. sed quid Propheta facet plangere iubet? superbiam Tyri insolentem. gloriabunda etenim iactabat: Perfecti decoris ego sum, & in medio maris sita; quasi dicat: Quid mihi deest ad pulchritudinem? absoluta & perfecta sum;& quod amplius est,omni securitate ea in perpetuum potitura sum: in medio siquidem maris sita sum, & mare me vndique cingit pro inexpugnabilibus muris, quos nulla terrarum machinamenta mouebunt, me defendens. gloria enim cum securitate coniuncta, ea sunt,quæ regna, ciuitates, singulos etiam quosq; homines non bene sanę mentis,eleuant,& ad supremum elationis fastigium euehunt: quos Dominus intimè miseratur.& quoniam ad sanam mentem reducere optat, in figura Christi Iesu,quos effusis lacrymis fleuit, Prophetam lamétari iubet.poterat quidem Dominus,quos laxis habenis eum fugere videt,deserere. Verùm quia iustus & misericors est, suam indebitam misericordiam multò euidentiùs, inquit Augustinus, in indignorum liberatione demonstrat, vt eos qui creatoris sui præceptum, sua malè vtétes potestate,calcant,imaginem, ab eius lumine contumaciter se auertentes violant, & salubrem seruitutem, ab eius legibus malè libero arbitrio,abrumpunt,omni studio reuocare contendit,melius iudicans de malis benefacere, quàm mala nulla permittere. Augusti. lo co citato.

Finitimi tui qui ædificauerunt,impleuerunt decorem tuum. abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulis maris: cedrum de libano tulerunt vt facerent tibi malum. Quercus de Bassan dolauerunt in remos tuos; transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico, & prætoriola de insulis Italiæ. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum,vt poneretur in malo. Hyacinthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. Habitatores Sydoni & Aradij fuerunt remiges tui. sapientes tui Tyri facti sunt gubernatores tui. senes Biblij,& prudentes eius præbuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ. omnes naues maris,& nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.

INGENIVM potentum & superborum est, tunc cogitare vel maximè beneficio tenuiores & infimos afficere, cùm ab eis quicquam accipiunt,omne obsequiũ operis & manus sibi deberi existimantes. sic enim quidam dixit: Qui se locupletes, honoratos, & beatos putant,hi ne obligari quidem beneficio volunt. quin etiam beneficium dedisse arbitrãtur, cùm ipsi quantumuis aliquid magnum acceperint: atq; etiam quando a se, aut postulari, aut expectari aliquid suspicantur. Vnde memoratam Tyri superbiam exponens, ex finitimis populis ædificatam,adornatam, & negotiatione ditatam dicit, eius insolentiam augendo simul & ingratitudinem obiectando. Quæ cùm à Deo tanquam à primo fonte hæc omnia prouidente accesserint, eum non recognoscere Apostoli damnationem incurrit: Quòd si accepisti,quid gloriaris,quasi non acceperis? atqui quoniam res maximę,& diuitiæ quę negotiatione accedunt, maris commercio potissimùm comparantur, eam vt nauem opulentissimam facit Propheta parat & componit. Primùm igitur ex abietibus,lignis leuibus,vt quę ad natationem & cohærentiam sint aptiora,eius fabricã cum omni tabulamento constare dicit. temonem siue malum, ex cedro ligno imputribili facit,perpetuitatem, quam sibi promittebat, significans. remos verò, quorum fortitudine sæuissimi fluctus rũpendi sunt,ex quercu selectissima parat, Ægyptus donat: transtra verò siue tabulamenta,quibus remiges sedent, exquisito ebore à Cethim siue Italis partibus importato; ibi enim huius mercis copia ex Africa congregabatur,& in emporia Tyri deferebatur, ex quo remigum sedes & cellulæ, siue mercium officinæ, & prætoriola constabant: vide quanta maiestate maioribus vsibus constructa, prælucerent. Velum in flaminum ventrem mira varietate elaboratum dedit Ægyptus; & in operimentum & vmbraculum contra æstus solis

Cic. lib. 2. Offic. de liberalitate differens.

1. Cor. 4.

hyacintho & purpura ſplendens, Inſulæ Elyſa Ionici maris, vt vult Hieronymus, ſiue Italiæ, vt aliis placet, præſtiterunt. Quæ verò ad gubernationem ſpectant, ſelectiſſima etiam erant, è finitimis mutuata. Nam habitatores Sydonis (qui fortiſſimi habebantur) remos agebant: ſapientes (qui ad gubernacula ſemper exoptantur) primarij duces, & naucleri erant: giblij autem ſelectiſſimi opifices, qui in extruendo Salomonis templo, peritiſſimi fuerunt habiti, fiſſuris reparandis, & ſupellectilis miniſterio præfuerunt. nec opulentia ex magna populi negotiatione, qua frequentabaris defuit, ita bonis omnibus terræ affluens, vt nihil tibi ad mundi gloriam defuiſſe videatur.

Perſæ & Lydij, & Libyes erant in exercitu tuo. viri bellatores tui clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo. ſed & Pygmæi qui erant in turribus tuis pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum. ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam.

Auguſti. de ſalubribus cap. 14. tomo 4.
Geneſ. 3.
Eſaiæ 45.
Paralip. lib. 2. cap. 12.
1. Reg. 21.
Auguſtin. 16. de ciuit. cap. 6.

SVPERBIA, bonorum operum vermes, & totius peccati caput. Ita enim Auguſtinus de ſalubribus documentis cap. 14. de peccato primorum parentum dicit: Non peccarent, ſi non concupiſcerent: nec concupiſcerent, niſi fuiſſent tentati: nec tentarentur, niſi fuiſſent deſerti à Deo: nec desererentur, niſi ſuperbirent appetẽtes eſſe, ſicut dij. Cùm ergo Tyri ſuperbiam ex opulentia & excellentia ædificiorum oſtendiſſet, nunc eam, ex confidentia propriarum virium, qua ſibi ſtabilitatem in perpetuum pollicéretur, effert. Hæc autem munitionibus bellicis, & robore militum in eius defenſionẽm conuenientium, maximè ſpectabatur. vnde Perſas, Lydos, & Libyes ſiue Afros qui illo tempore fortiſſimi habebantur, in ſuo habuit exercitu. Cyrus enim Perſarum rex, Medis ſubuerſis, ſuorum maxima gloria Babylonem cœpit, vt ſacra refert hiſtoria. Crœſus etiam Lydorum rex, ab eodem eſt captus, teſte Xenophonte, vt auctor eſt Hieronymus, qui & eos fortiſſimos habitos dicit. Libyi etiam florentiſſimi pugnatores extiterunt, vt contra Hieruſalem concurrentes in libro Paralipom. memoratur. & omnium robur ſacer textus probat, dum in teſtimonium ſuorum facinorum, rerumq; ſtrenuè geſtarum in ipſa Tyro pro ornatu ſuo & gloria clypeum & galeam ſuſpenderunt, quibus hoſtes ſtrenue deuicerant. vt pro more illius temporis, gladium quo Dauid Goliath debellauerat, in templo ſuſpenſum fuiſſe legitur. Habuit præterea Arcadios Tyri vicinos, qui ipſi in munitionem, per eius circuitum aderant. & tandem in turribus murorum, Pygmęos, eximios ſagitta & arcu certatores, diſpoſitos habuerat. Erant enim acutiſſimi viſus, ob quod ſcopi iaculatores eximij habebantur, vt præſumit Carthuſianus. Verùm Diuus Auguſtinus, celeritate ſolùm eos vigere dicit: quo loco à πυγμὴ quod eſt cubitus, vult dici, quam vocem Diuus Hieronymus hoc loco certamen vertit. Atqui quoniam gens hæc cubitalis, tam debilis erat, quòd à gruibus vincebatur, quorſum in defenſionem vrbis adducti erant; præſertim quòd gentes has eſſe in dubium vocat Diuus Auguſtinus. Quare magis placet, vt cuſtodes vertatur, vt fecerunt ſeptuaginta. nam hi de more per vigilias, & vices ſuas munitarum ciuitatum turres incolere ſolent. Ij igitur, etſi non vſqueadeò ad terrorem, ob puſillitatem valerent, ſaltem ad vrbis pulchritudinem in re etiam bellica complendam, vt aliqui volunt, ſuam functionem exercuerunt.

Carthaginenſes negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtanno, plumboque repleuerunt nundinas tuas. Græcia, Thubal & Moſoch ipſi inſtitutores tui: mancipia & vaſa ærea adduxerunt populo tuo. de domo Togorma equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuũ. Filij Dedam negotiatores tui, inſulæ multæ negotiatio manus tuæ. dentes eburneos, & hebeninos commutauerunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, guttam, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum, & Chodchod propoſuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo: balſamum & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. Damaſcenus

negotia-

negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuersarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. Dan, & Græcia, & Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum, stacten, & calamum in negotiatione tua. Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. Arabia, & vniuersi principes Cedar ipsi negotiatores manus tuæ, cum agnis & arietibus & hœdis venerunt ad te negotiatores tui. Venditores Saba, & Rhema ipsi negotiatores tui, cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso, & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo. Aran, & Channe, & Edem negotiatores tui. Saba, Assur, & Chelmach venditores tui, ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi & polymitorum; gazarumq́; pretiosarum, quæ obuolutæ & astrictæ erant funibus. Cedros quoq; habebant in negotiationibus tuis. naues maris, principes tui in negotiatione tua; & repleta es, & glorificata nimis in corde maris.

LVXVRIATVR mundi superbia, post ea quę enarrata sunt, supellectilium omnis generis affluenti ministerio, & ad votum omne, diuitiarum copia: quam latiùs hic sacer Propheta describit. Etenim domorũ omnia ministeria cuiusuis generis, & cætera, quæ ad sustentationem, defensionem, diuitias, & gloriam, & quoduis delitiarũ genus, humana luxuries excogitare possit, mercatores vndiq; ad Tyri nundinas & mercatus cum omni abundantia apportarunt, argentum namque, ferrum, stannum & plumbum cum cæteris huiusmodi mineralibus, Carthaginenses ex Africa detulerunt: Gręci verò Siiones & Thubal, qui & Hispani dicuntur. (nam Iberos Orientales, vel de occidentis partibus Hispanos hoc nomine Hieron. intelligit) & Mesech siue Cappadoces, mancipiorũ ad quotidiana ministeria & vasorum è Corintho exquisitorum, ad indulgentiam negotiatores in suo mercatu cõparere fecerunt. Deinde Thogorma, siue Germani (vt reddit paraphrastes Chaldęus, aut Phrygij, vt alij volunt) equos & equites, id est, generosos seruos equis industrios ad militandum, simul & mulos administrarunt. Extiterunt etiam celebratissimi mercatores filij Dedam, id est, vrbis Idumæę incolæ, qui ex multis insulis dentes elephãtorum, & ligna hebenina, quę si nigri sunt coloris, ad opera fabrilia desiderabantur, pretio cum Tyriis commutabant. Viri præterea, qui vsq; adeò secũdum Hierony. mercatura ardent, vt lucri causa mundum ipsum discurrant, ita vt nec gladiis nec periculis belli parcant, sed inter miserorum neces diuitias quærant: pro multitudine, id est, pro commutatione pretiosissimarum rerum, quibus Tyrus abundabat, smaragdos, siue guttam purpuream & vestes polymitas. hoc est, variè elaboratas, byssum et sericum & Codchod, siue pretiosissimum quodq; mercium, quod excogitari potest, vt ex Hebręis colligit Hieronymus, in nundinis præsentarunt. triticum optimum ex Minith loco, balsamum, mel, oleum, resinam medicorum vsui, quarum rerum Iudęa ferax existit, suppeditauit. Nec Damascus vbi Abel occisus fuit, & ad quam post necem Stephani, Paulus tunc sanguinarius perrexit, cum electo ex Helbon vino, & lana optima, hoc est, candida in mercatibus Tyri, propter res miro artificio factas, quæ inter alia præclara visebantur, & opum abundantiam, defuit. Dan regio, à tribu illa habitata, quæ nunc Peneas, & quondam Cęsarea Philippi, teste Hieronymo, vocabatur, & Iordanis fluenta continens, vnde & nomen accepit: Nam Ior fluuius est. & Græcia quæ Iauá Hebraicè dicitur, quæ est & non est, propter inconstantiam gentis, vertitur: Vnde & vagabunda, quidam hoc loco reddunt: quòd cupidi & auari sint Gręci, & quòd quęstus gratia huc atque illuc per mare semper vagarentur: Hæ inquam regiones opera ex ferro fabrefacta ad diuersa ciuium ministeria, stacten siue casiam optimi odoris, ad indulgentiam, calamos ad Musicam, & alias functiones frequenter comportabant. & aduerte, quòd Mezoel non regionem, sed deferens interpretatur Symmachus, nomine hebręo relicto. filios autem Dedam, quos insignes mercatores dixerat, tapetes, id est, vestes quæ nobiles & liberos homines ad currus ornandos decerent, hoc loco ad mercatum importare

 dicit.

dicit. Oues verò, agnos, arietes & hçdos, Arabes & principes Cedar, vendituti ad cibariorum superabundantem copiam accedebant. Sabęi porro cum pretiosissimis quibusque aromatibus odoris suauissimi, cum omni lapillorum pretiosorũ & gemmarum copia, & auri etiam, quę omnia partibus illis vberrimè generantur, vt Magi illi sancti, qui Dominum Iesum adoraturi venerunt, suis muneribus testati sunt. & tandem, quasi dicat: (vt vnico verbo concludam,) vniuersi mercatores ex omnibus celebratissimis locis: Haram quæ foramina, id est, sensuum fenestras sonat: Chenene, quæ præparationem. Eden, quæ delicias, cum Sut, Chilmad, siue Sabæis, & Assyriis, iuxta interpretationem nominum, ad delectandos sensus, & delicias omnis generis parandas, omnem sæculi præparationem fecerunt: ita vt mercium thesauri, quos deportabant, pretiosis inuolucris, siue palliis polymitis, id est, variè depictis, & hyacinthinis funibus stricti, & circumligati venirent: atque putredini consulendo, in scriniis, seu thecis cedrinis deferrentur. nec ex Africa naues, quæ turmas populorum, qui præcipuè emporium implerent, defuerunt. Quibus omnibus ita Tyrus ditata fuit, inquit sacer vates, vt nihil quod ad gloriam & multiplicationem inter omnes insulas pertineret, desiderari posset, quibus mundi pompam & ventosum habitum descriptum, & asseclæ eius vides: eumque negotiatione quæsitum Dominus latè satis demonstrauit. vt sciant hinc homines, deformationem quam sibi ipsi parantur, quam longè ab ea forma, quã Dominus indidit, abierit. *Ioan. 1.* Mundus enim homines sunt: quod beatus Ioannes testatur, dicens: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, eos autem sic Dominus prouidit, vt res subiiceret, quas exercendo victum pararent, & ipsæ exercitæ, iustos suis laboribus redderent fructus. Terram, consitioni arborum & agriculturæ; aquam, aërem, animalibus plena, ex quibus victum quærerent. & ita principio, natura ipsa ducti homines agriculturam, pastoralem artem exercuerunt, vt de Abel & Cain legitur: & venatoriam & pastoralem, vt de Nembrod robustissimo venatore, & Iacob pastore, processu temporis legitur: vnde & has artes ipsi philosophi naturales appellarunt. Tunc quidem homines labore, vnde Dominus instituerat, cibaria quęrebant, & quę necessaria quisq; non parasset, à socio cõmutatione accipiebat. Post verò temporis progressum, nõ necessitate, sed cupiditate suadente, inuento nummo, commutationum mensura, sic in eũ oculos deflexerunt homines, vt non in cõmutationis vsum, neq; in vitæ instrumentum, sed in finẽ desiderarent, & vndecunq; negotiatione pararent: atq; in illud superbię fastigium, quod est enarratum in Tyro, mundus peruenit. Ex quo ita obcæcatus est, vt creatorem suum, & Dominum Iesum in carne venientẽ, non agnoscerent. *Ioan. 1.* Sic enim subiecit Ioannes, & mundus eum nõ cognouit. *August. lib. de doctrina Christiana cap. 12.* Quem locum tractans D. August. ait: Illuc enim venit, vbi erat, quia in hoc mundo erat, & mundus per eũ factus est. sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso creatore creatura, homines configurati huic mundo, & mundi nomine congruentissimè vocati, non eum cognouerunt. Vide in quantam cæcitatẽ cupiditas, negotiatione soluta, homines demerserit! Etenim ita eos desipere facit, vt non aliud quàm pecuniã sapiant. *Arist. libr. Polit. 3.* Vnde & apud Thebanos legem sancitam ferunt, non priùs hominẽ ad publicam administrationem admitti, quàm probasset per decennium à mercatura abstinuisse. Atq; hinc ita diuitiarũ cupiditatem B. Paulus exhorret, vt eam seruitutem idolorum notaret, superaddens: *Timoth. 6.* Qui volunt diuites fieri, incidunt in varias tentationes, & in laqueos diaboli, suas quandoquidem diuitias, & potentiam lege solutam, laqueos esse, apertè monstrauit, quando Dominum Iesum tentans protulit: *Matth. 4.* Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.

In aquis maris. adduxerunt te remiges tui: ventus Auster contriuit te in corde maris: diuitiæ tuæ, & thesauri tui, et multiplex instrumentum tuũ, nautæ tui & gubernatores tui, qui tenebant supellectilẽ tuam, et populo tuo præerant: viri quoq; bellatores tui qui erant in te cum vniuersa multitudine tua quæ est in medio tui; cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. à sonitu clamoris gubernatorum tuorũ conturbabuntur classes, & descendent de nauibus suis omnes qui tenebant remum, nautæ, & omnes gubernatores maris in

ris in terra stabunt, et eiulabunt super te voce magna, et clamabunt amarè, & superiacient puluerē capitibus suis, et cinere conspergentur, & radent super te caluitiū, et accingentur cilicijs, et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo, et assumet super te carmen lugubre, & plangēt te: quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? quæ in exitu negotiationū tuarū de mari implesti populos multos, in multitudine diuitiarum tuarum & populorum tuorum ditasti Reges terræ, nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt. Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te, & reges earum omnes tempestate perculsi mutauerunt vultus. negotiatores populorum sibilauerunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris vsque in perpetuum.

DVM enim superbię flatibus agitur miser homo, dum tutius fixisse pedē putat, inscius in postremas incidit angustias, & calamitates, ita vt veluti aquæ inundantes ipsum subuertant; & cadere sit quidē necessarium, vt, qui vitę ædificium nō petræ, sed vento aut arenæ, (iuxta verbum Domini) commisit. Verùm si versus tergum cadit, vt Iudæi Dominum Iesum capientes, in infernum detruditur, vt astatio Tyri quantum suspicior, in superiori capite enarrata fuit. si autem in faciem ceciderit, per humilitatem se agnoscens, & pœnitentiam agens, quantum descenderit, tantum Domini gratia subleuatus ad cœlum vsque ascendet, vt exemplo nobis Tyrū esse in hoc loco arbitror. Ipsa equidem è summo fastigio memorato cecidit. nam remiges, artifices nempe qui res exercebant, nautæ & gubernatores, qui tanquam duces & custodes, cuncto populo, eiusq; supellectilibus præerant: nobiles item, qui militarem artem, vt strenui bellatores profitebantur cum omnibus thesauris, apparatu & instrumentis sui fulcimenti prosperati sunt, & ad sonitum ruinæ classes omnes, id est, suburbia, quæ in cōtinenti, cui propè erat Tyrus, siue villæ ipsæ subiectæ, vel finitimi populi turbati sunt, & similiter deciderunt. Et ecce primum pœnitentiæ gradum, e loco nempe alto superbię cadere. Deinde consimiles vitæ maris præfecti, vt nautæ, & memorati omnes, in terra, inquit, stabant, è fluctibus maris huius mundi alis, in quo reptilia quorū non est numerus, in sui cognitionem per humilitatē descendentes. & ecce secundum gradū. Eiulabunt præterea & voce amara super peccata tua, ad Dominum ex corde voces edent (quod in scriptura est clamare) & more pœnitentium affligent se cinere conspersi, se decaluantes, saccum & ciliciū induentes, & amarissimo animo sua peccata & errata cuncta plorantes. ecce pœnitentię momentum, & eius tertium gradū. Quin & in custodiam vitæ: vt quemadmodum Christus resurrexit a mortuis, ita & in nouitate vitę ambulent, carmen lugubre assument super superbiam, quę sic illuserat, vt ab ea semper abhorreant, nec eius deceptionibus & ementitis vitibus, nunquā fidant, horum voces imitātes: quæ est, vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? Quare, propositum, definitum iudicium cauendi in futurum in vere pœnitente significatur. atq; id exemplo Tyri casum spectantium: quos Dominus, & potentiam eius in medio maris, quæ magnificis negotiationibus suis, cunctos impleuerit mercibus populos, & multitudine diuitiarum suarum regna multa & reges terrę ditauerit, admirari semper inducit: vt quæ nunquā ciuitas ei similis fuerit. Et videntes insperatum casum, opum cumulū in profundum maris cum omni copia mercium iacere, frequentiam populorū ex insulis varijs, in solitudinem versam, insularum incolæ tragœdiæ spectatores prę horrore obstupescent: reges in sublimibus fastigiantes, decolorabuntur & vultus eorū, timentes commutabuntur, & ad pœnitentiam hi & illi suo modo inuitabūtur. Nec deerunt etiam qui inuidiam suam explentes, sibilent super eam irridentes, atq; vindictam gloriæ, cui inuiderant, sumentes, exprobrare non desinent: Ad nihilum redacta es, nec eris in perpetuum, hoc est, per sæculum 70. annorum, vt in Esaia dictū est, aut per longum tempus. & hoc hominum conditio communiter fert: vt ad proximi casum & pœnitentiam item quidam commoueantur, alij irrideant, aut vindictam sumant.

Matth. 7.

Ioan. 18.

Paulus ad Rom. 7.

CAPVT XXVIII.



T factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod eleuatum est cor tuũ, & dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & nõ Deus: & dedisti cor tuum, quasi cor Dei, ecce sapientior es tu Daniele: omne secretũ non est absconditum à te, in sapientia & prudentia tua fecisti tibi fornicationẽ, & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis, in multitudine sapientiæ tuæ & in negotiatione tua multiplicasti tibi fornicationem, & eleuatum est cor tuum in robore tuo.

CONVENIENTER satis post populi insolentiam, eiusque vastationem narratam, de rege & capite à quo contaminatus fuerat, (cùm mores & habitus principũ suapte natura in populum deriuentur) eadem subiiciuntur; & mundi fastus, eiusque interitus, diaboli item principis eius superbia insolens, sub persona regis Tyri, vt apud Esaiam Nabuchodonosoris nomine, ad viuum descripta deturbatur, atque in imum detruditur. Est quidem superbiæ primaria sedes diabolus, qui Dei similitudinem ambiit, in dominio & sui status securitate, dicens: Ascendam in cœlum, & ibi ponam solium meum, &c. [Esaiæ. 14.] in scientia & sapientia se Deum faciens: quod professus est, primum ad suam factionem, primos parentes aduocans, scientiam Dei afferendo, quando dixit. Eritis sicut dii, scientes bonum & malum: & progressu temporis per idololatriam, futurorum scientiam omnium & cognitionem iactando: & potentia deniq;, plusquá aduersarii ausu, Dominum Iesum tentando, se dominũ regnorum mũdi protulit. [Matt. 4.] In hanc igitur imaginẽ, suos depingere curans, super omnes reges Tyri, Haram euexit. quod Dominus per prophetam hoc loco ipsi obiicit. Primùm enim ita eleuatum est cor eius, vt ausus sit honores diuinos vsurpare, saltem prætensione dicens: Ego sum Deus, & in throno Dei sedi in corde maris, id est, tanquam Deus ego sum in loco inaccesso habitans, in medio nempe marium, nec quẽquam timeo: cùm locus iniuriis non sit peruius, nec cuiquam iniusso, huc accessus pateat. Deinde sapientia cunctos superare iactabat, quia Danielem, qui tunc Babylone cunctos aruspices, ariolos, & diuinatores vincebat, excellere existimabat. & denique potentia & maiestate; tùm robore & fortitudine propriarum virium, atque industria neminem largitorem recognoscens: quandoquidem omnes thesauros, argentum & aurum, & cunctas opes propria sapientia, negotiatione media sibi parasse dicit. Vnde eleuatum est cor tuum, inquit, id est, cogitatione tua similis omnino impostori diabolo euasisti.

Proptèrea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd eleuatum est cor tuum, sicut cor Dei: ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabũt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuũ. interficient & detrahent te, & morieris in interitu occisorũ in corde maris. Nunquid dicens loqueris, Deus ego sum coram interficientibus te, cùm sis homo & non Deus, in manu occidentium te? morte incircuncisorum morieris in manu alienorum, quia ego loquutus sum, ait Dominus Deus.

QVARVMCUNQ; oblectantium rerum cùm vacat, expendere exitum, prudẽtis & Christiani animi est, ne frontis suauitate capti, absconditi veneni scorpionis in cauda, interficiatur inuitus. quapropter Sapiens ait: Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare, [Eccles. 9.] quia nec opus, nec ratio, nec superbia, nec scientia est apud inferos, quò tu properas. Impetandi dulcedine ductus Tyriorum rex, in eã dementiam peruenit, vt eleuaretur cor eius, sicut cor Dei, hoc est, cogitationes Dei in corde eius sederent, nullius rei indignum se proferens. & vide casum, haud suo infatuatori dæmoni dissimilem. Ecce quando maiorem sibi securitatem promittebat, optimos ac fortissimos bellatores ex gentibus, in exercitu Nabuchodonosoris adduxit, qui distringentes gladios elegantem ac magnum exercitum suum, quo suę sapientię pulchritudo maximè pellucebat, prostrarunt, & polluerunt decorẽ suum, id est, expoliauerunt regno, in quo honor omnis & splendor regis constituitur. nec

malorum

malorum hic finis interficient, inquit, te, ac detrahent, siue in sepulchrũ deiicient: similiter nempe ac cæteros milites occisos, in mare ipsum proiicientes: in his autem angustiis constitutus nunquid, ait, dicens loquèris: ego sum Deus. Quasi dicat, cum flatu rerum ferebaris, hoc excogitare debuisti, quid traditus occisoribus, & in conspectu te interficientium diceres? quod si expendisses, non vtique dixisses, Deus ego sum; sed homo fragilis, miser, imbecillis, infirmus, nullius roboris & potentiæ. Atqui quoniam hoc non considerasti, lictorem & carnificem in te (quasi dicat Dominus) constitui. hoc enim est superborum antidotum: iuxta illud Psalmistę, Psalm. 9. Constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines, debiles scilicet & infirmi sunt. Cùm autem addit: morte incircuncisorum morieris, & in manu alienorum, duo illi admonet: vnum, quòd non populum suum, quem forsan non timeret, quia non ita magnum, nec potentia valentem videret, gladium apponit, sed incircuncisos, gentes illi inimicas, quæ vt apum examina, in eum concurrerent. alterum est, hostium crudelitatem, qui absque vlla pietate, incircunciso corde, & alieni tanquam hostes & inimici, eius carnes dilacerabunt. Quòd si hæc cor non mouent, commoueant ad viam vitæ capessendam, quia ego, ait Dominus, loquutus sum, quid possum facere, nec incorrectis non admouere supplicia possum.

Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis leua planctum super Regem Tyri, et dices ei, Hæc dicit Dominus; tu signaculum similitudinis plenus sapientia, et perfectus decore in delitijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuũ. Sardius, Topazius & Iaspis, Chrysolithus, et Onyx, & Berillus, Saphyrus & Carbunculus, & Smaragdus. Aurũ opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.

QVI in vita & prosperitate omni lugetur, & à viro probo, sancto, Deiq; charo, quis in vita mortuum non re existimabit? hos enim notans Dominus Iesus dixit adolescenti Matth. 8. funera patris absoluere cupienti: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quocirca & regem Tyri in multitudine diuitiarum suarum, & mundi delicijs sepultum, sanctum vatem Dominus lugere iubet, quo vel instare iam & impendere mala quæ dixerat, doceat; & quid plangendo intimat? ecce signaculum similitudinis &c. quibus similitudinem & expressam diaboli, prauorum regis, & imaginem, sua vita reddidisse dicit; & quid eius punitione Dominus intendat, aperit. Ait ergo primum, tale se exemplar diaboli exhibuisse, vt eius gressus & vestigia ex sua parte absoluerit: perinde ac qui operi suo finem imponendo, sigillo ipsum munit ac signat. Quapropter signaculum similitudinis, quòd similitudinem eius, sigillo clauserit, appellat: Roman. 4. vt B. Paulus signaculum fidei, circuncisionem dixit. Quod si praui, sui ducis perditissimi ita similitudinem referunt, quid nos qui in adoptionem filiorum Dei vocati sumus, torpemus, & Christi Iesu totius boni auctoris, vitam, ad quam tanquam ad exemplar & imaginem nostram formare debemus, manibus nõ exprimimus? quos enim præscientia ad gloriam cœlestem ordinauit, hós & prædestinauit conformes fieri imagini, id est, vitæ filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, inquit beatus Paulus. Roman. 8. sed vide quàm graphice in rege Tyrio diaboli similitudinem describat, exponendo quod dixerat; primùm quantum ad eius personam, sapientia, & naturalium donorum decore ornatum asserit: quantum ad habitationem, in delitiis paradisi & amœnorum hortorũ esse dicit, vt quæ ad vitæ sustentationem affluenté pertineant, non defuisse, sed indulgentissimè tributa esse, intelligas. Quantum verò ad habitum, & vitę statum spectat, operimentis, ac stragularibus vestibus, gemmis, & pretiosissimis lapillis quos legis, distinctis induebatur: ita vt gemmis & auro in pompa, & apparatu decoris sui, siue palatij sui vndequaq; coruscantibus, ipse atque sui omnes fulgerent. sed, & foramina tua, subdit, in die qua conditus es, præparata fuerunt. Instrumenta tympanorum & fistularum, quòd foraminibus aptentur, ad musicas delicias personandas, quidam esse volunt: Septuaginta apothecas, siue horrea quæ ad thesauros grãtiarum capiendos, interpretatur

Hieronymus:& forsan non inepte sensus, qui hoc nomine supra memorati sunt, intelliges, non tam de Lucifero, quam de Adamo primo homine regi Tyrio accõmodando. Quod mihi maxime persuadeo, fuit enim sapientia plenus, iuxta suas proprietates rebus nomina imponens. in quo scientiæ absolutio absq; omni ignorantia notatur. perfectus in decore, quia in naturalibus & gratuitis per iustitiam originalẽ ornatus. Positus deinde in paradiso illo gloriç cœlestis vmbra. quapropter gemmis & auro ornatus refertur, quia ad deliciosam & iucundam vitã, in illo statu permanẽtes, nihil desiderarent. Cui in die, qua conditus est, præparata sunt foramina, quia sensus, iustitiç dono rationi condonati sunt. quæ etiam de Lucifero plana sunt inter initia ante peccatum exoriente. De quo Rupertus Abbas torum hunc locũ ad literam interpretatur: atque signaculum similitudinis perfectum in decore, gemmis insuper innumeris ornatum, per ironiam eius prauã affectionem percutiens, appellatum à Propheta hîc vult. Vnde & Cherub hoc loco diabolus ironicè appellatur: vt ironice etiam de Adam dictum est: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. quod explicat, additum, sciens bonum & malum: id est, quasi Filius, qui est sapientia Patris, cuius æqualitatem appetiuit, id est, scientiam boni & mali. Nam scientia boni & mali solius Dei est, qui omnia scit, & mala quoque bene nouit vti. & cùm perfectum in viis suis nominat: eius superbiam refringit, qua etsi consubstantiales spiritus allicere & seducere potuit, Deum tamen latere nequiuit. Foramina autem appellat ingenium, intellectum & memoriam, quibus quasi foraminibus, spiritum amoris Dei, quod est aurum optimum, cùm suscipere debuisset, superbè recusauit. Qui in dignitate positus est, Deum, non se, aut hominem quempiam constituentem, videat: vt quid officij & dignitatis auctor requirat, præ oculis semper habeat. Rex ergo Tyri Cherub nomine censetur, quia magnitudine scientiæ, quasi magister datus est suorum, ad id extentus, hoc est, vnctus in regem: protegens, id est, in protectionem populorũ: alludens sane ad Cherubin, quæ arcam tegebant. Ecce finem creatoris tui in dignitate: neq; ad tuam vtilitatẽ assumptus est, sed ad Domini cõmodum & voluntatem eius administrandam. Ego, inquit, posui te, id est, te regẽ constitui, iuxta illud: Per me reges regnant, &c. & posui te in monte sancto Dei. quidam dicunt conuersatione & tractu, quòd ad ædificationem templi res quasdã pretiosas miserit: sicque etiam in medio ignitorum lapidum ambulauerit; quòd cum Israelitis communicauerit, quorum qui iusti erant propter vitç sanctimoniam, lapidibus ignitis comparantur. Quod non placet. Dicerem potius explicare finem promotionis ad dignitatem: nempè vt ad montem Dei, hoc est, ad suum populum, & ecclesiam proficeret. siue per montem dignitatem regiam intellige, Deiq; appellari, quia a Domino instituta. Itaq; in principio (pro more hominum, qui non sui, sed officij esse arbitrantur) in medio ignitorũ lapidum ambulasse, id est, donis cõmissis vsum fuisse, atq; à die conditionis eius in sede regia, donec peccauit, hoc est, donec officij oblitus, & in se suaq; cõmoda recidens, peccasset, perfectum in omnibus viis & operibus suis extitisse dicit. quç maxime positam sententiam confirmant, vt Adæ vestigia in isto rege Dominus depromat, casumq; primi hominis in nostram cautionẽ rememoret. Nam cum perfectum esse in operibus suis, ambulare item in medio ignitorum lapidum, & in monte sancto Dei fuisse constitutum, homini extra ecclesiam posito, repugnent, non de eo ad literam plane dicuntur: iuxta regulam B. Augustini, qui ad eum dirigendã sententiam esse docet, cui absq; dissonantia & deformitate aliqua quadrat. Et aptiùs quidẽ hçc primo homini, quàm Lucifero conueniunt: Fuit enim positus vt Cherub magister suorum posterorũ & ductor, ad id gratia, siue iustitia vnctus. & eorum protector futurus, Cherubin officiũ prçstiturus, quod in protectione sue propitiatorio arcç figurabatur. & primũ vt architypus Dñs Iesus Christus expressit. Etenim operculũ illud, vt inquit Athanasius, Christum significauit, quod sicut illud Cherubin vtrunq; disposita obtegeret, ita Christus hominum peccata, iuxta illud: Beati quorũ tecta sunt peccata: & quòd similiter natura humana Christi diuinitatẽ operiebat: & quoniam ob vnitatem quç in Deũ verum est, qui Christo subministraret, laudibus ab angelorũ cœtu efferretur: ob quod duo Cherubin arcam obseruabant & propitiatorio obtegebantur, quia omnis plenitudo diuinæ scientiæ in Christo latebat. Fuit præterea in monte sancto Dei positus, quia eccle-

Marginal notes: Liber 1. de operibus Trinitatis cap. 16. — Rupertus de diuinis offic. cap. 18 — Prouerb. 8. — Augustinus 1. lib. de doctrina Christiana. — super epistolam ad Roman. cap. 3. — Psalm. 31. — Roman. 3.

ſiæ initium extitit: ambulauit in medio lapidum ignitorum; quia gratijs quibus cumulatus fuit vſus,imò &perfectus omninò in omnibus vijs ſuis, in illo feliciſſimo ſtatu degit donec peccauit, & ipſum amiſit. Non arbitror ſanè, quicquam dilucidius de primi hominis conditione, eiuſq; progreſſu in integritate ſtatus,in Scriptura reperies, poſt illum primum locum Geneſeos.

In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & ieci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum.

NARRAT quem fecerit caſum rex iſte, quando officij cura è corde excidit, & ſe in dignitate adorare cœpit: vt ſibi quiſque in loco alto poſitus proſpiciat. In multitudine negotiationis eius, interiora repleta ſunt iniquitate. ſtatim exoſculatione manuum, & adoratione dulcoratus, ſublimiùs attolli,& faſtigiari cupiens, in altricem ſtatus auaritiam decidit, & venalem ſuam animam facit, atque in vita ſua proiicit intima ſua, id eſt, pro quouis commodo vndecunque accedat, ſui animi bona commutat,vt dicit Sapiens. Quod ſignificanter notans ſpiritus Domini, gradus auaritię, aditum nempe per negotiationem, greſſum per interiorum læſionem, quam facit,& tandem per peccatum in quod prorumpit,inſinuauit. Et beatus Apoſtolus Iacobus eoſdem explicuit: cùm concupiſcentiam,infantiam peccati, quod vti in cunabulis vagiet,fieri geſtiens: pueritiam eius conceptionem per conſenſum, & adoleſcentiam, quando opere perpetiatur, poſuit in conſuetudine,ætatem virilē, atque in eàdem callos generante, ſenectam ſupponens, ad inferni mortem properans. Et peccatum quod ſupplicium ſequitur? audi: Eieci te de monte Dei, perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum: de altitudine regni ad quā ipſum euexerat, deieciſſe dicit, & de medio lapidum ignitorū deturbaſſe, hoc eſt, de florenti illo & pompoſo ſtatu, gemmis enarratis, in eius ornatu pellucido. Et ita eius ſtatum perdidit ac deſtruxit, quo internis donis animę naturalibus,quę lapides iſti ſignificabant,ſpoliauit, dum eiſdem ipſe fuit abuſus. Loquitur autem de re futura, ac ſi præterita iam eſſet, ob euentus certitudinē, more Prophetarum: & quoniam ſe facturum in Tyrio rege dicit, quod in Adam iam fecerat, cuius caſus hic memoriam refricat; qui Domini præcepti oblitus, in negotiatione ſuæ voluntatis interiora iniquitate repleuit, appetendo immoderatè ſcientiā à ſerpente oblatam, quando dixit: Eritis ſicut dij,& tandem peccatum,pomum prohibitum comedendo,admiſit. quod pœna ſtatim ſubſequuta eſt: nam eiectus de paradiſo, vt de monte ſancto Dei, & de ſtatu illo innocentiæ,omniū gratiarum & donorum iuſtitię originalis, quibus perinde ac gemmis regius apparatus fulget, eminuerat. atq; ita perditus,ac deſtructus manſit homo. quem caſum ſicut regis Tyri, & omnium noſtrū, veluti congemiſcens Dominus, tanto eum punit dolore percitus, vt condolentis phraſi vtatur,qui doloris minimè eſt capax, inquiens: Perdidi te ô Cherub congregans. Rex enim,pater & protector ſuorum eſſe debet,& magiſter inſuper ac doctor, atque illud ſignificans, extenſis alis ſuper arcam Cherubin diſpoſuit: ad quod hic alludere videtur. Illud verò, ſacerdotis pietatem in rege commemorat; in rationali etenim ſacerdotis duodecim lapides ſuperenarrati ponebantur. Fuit namque principiò regnum ſacerdotio coniunctum, vt in Moyſe, & ſi poſt,quantum ad diuinū cultum & ſacra facienda, diuiſum fuerit, tamen quantum ad officium pietatis in populum integrum permanſit. Eccl.10. Iacob.1.

Et eleuatū eſt cor tuum in decore tuo, & perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo: in terrā proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerent te: in multitudine iniquitatū tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam. producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terram: in conſpectu omnium videntium te omnes qui viderunt te in gentibus obſtupeſcent ſuper te. nihili factus es, & non eris in perpetuum.

PES ſuperbiæ auaritia dubio procul eſt: ſibi traditus miſer homo, ac ſuis viribus confiſus, ſcientiā boni & mali expertus (hoc enim fuit decus, & ſcientia quam

ſerpens

ſerpens promiſerat) in eam cęcitatem cordis, per inſolentem elationem incidit, vt ſcientiã omnem, quam ad ſplendorem & decus ſuæ vitæ accepiſſet, in ſui perditionem, bello ciuili inter animę potentias exorto, ſuam quæq; factionem, & functionẽ ſuſtentans, perdidit, ac corrupit, ea famem corporis ſemper voluptatibus obſonando. Quaptopter pulchrè quidam dixit: hominem prauum omnium animalium eſſe peſſimum, quòd iniuſtitiam habeat armatam: rationis nempe vſu ad id adhibito & ſcientię. Cęterum eleuationẽ tantã, qua punitione caſtigat Dominus? deiectione nempe ſumma, vt quem tumor in cœlũ euexerat, terra ipſa ſuſciperet, quæ ſolùm, & cibus, vt cęteris animantibus brutis, eſſet. Proieci, inquit, te in terrã. Ad cuius ſimilitudinem, regi Tyrio eiuſdem ſuperbiam eueſtigio coniectanti, non alios quàm voluptatum cibos terra corporis ſui, in quam fuit proiectus, ſubminiſtrauit, & cuilibet ſimiliter ſuperbienti. Itaq; adimpletũ eſt, quod in eius formatione Dominus prędixerat, Et factus eſt in animam viuentem. Etenim poſtquã vitæ ſpiraculum inſufflauerat, id eſt, rationalem animam infuderat, quod dignitatis eſt, ei detrahendo, addidit; & factus eſt in animam viuentẽ. ait Rupertus, vitam animalium inſinuans, quam per peccatũ incurrerat, eis quãdoquidem ſimilis per peccatum euaſit: Quapropter dixit B. Paulus: Factus eſt primus homo in animã viuentem; nouiſſimus vero in ſpiritum viuificantẽ. At, lætatur Dominus in perditione viuentium? minimè. Nolo, inquit, mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Quocirca in exemplũ regum terræ, vt ipſum cernentes & contemplantes ſibi proſpicerent, ſic pœnis & vaſtationi dediſſe hunc regem memorat: vt cum primo hominem è paradiſo ipſum eiiciendo, & ſuis deſideriis tanquam ſæuis carnificibus tradendo fecerat. Inſuper rex iſte tam internis iniquitatum ſuarum, quàm externis negotiationis ſuæ peccatis, polluerat ſanctificationem ſuam, id eſt, palatia ſua & domum ſuam. quæ cùm in ſanctificationem ſiue in ſplendorem & pulchritudinem compoſita eſſet, tota ſceleribus & flagitiis ſcatebat. Perinde ac primus ille parens peccando, ſanctificationem ſuam, hoc eſt, originalem iuſtitiam, qua in ſe & ad Deum compoſitus fuerat, perdidit. Tunc ergo iratus Dominus in ſtuporem & terrorem omnium videntium, de medio ſui ignem vtrique ſuſcitauit, qui ipſos abſumeret. Nam Tyrios quoſdam, veluti ignem, qui ad Nabuchodonoſorem, ipſum deferrent, excitauit, vnde expeditionem ſuam fecit. & meritò quidem, vt qui ignem concupiſcentiæ ſic in corde ſuo excitauerat, vt totus eius flammis exardeſceret, externum qui eundem combureret, prouidentia Domini ex ſuis regnicolis ſuſcitaret. quem etiã concupiſcentiæ ignem, Adam ita deordinatione potentiarum animæ concitauit, vt pœna hæc, non ſolum ipſum cruciauerit, verùm omnes poſteros in finem vſque mundi inceſſanter ardeat.

Aristot. 1. Politic. — *Rupertus super Gen. libro 2. cap. 15.* — *1. Cor. 15.* — *Ezech. 18.*

Et factus eſt ſermo Domini, ad me dicens: Fili hominis, pone faciem tuam contra Sydonem, et prophetabis de ea, & dices: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Sydon, & glorificabor in medio tui, et ſcient, quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudicia, & ſanctificatus fuero in ea: et immittam ei peſtilentiam et ſanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum, & ſcient quia ego Dominus. et non erit vltra domui Iſraël offendiculum amaritudinis, et ſpina dolorem inferens vndique per circuitum eorum, qui aduerſantur eis, et ſcient, quia ego Dominus. Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregauero domum Iſraël de populis, in quibus diſperſi ſunt, ſanctificabor in eis coram gentibus, & habitabunt in terra ſua quam dedi ſeruo meo Iacob, & habitabunt in ea ſecuri, et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus qui aduerſantur eis per circuitum: et ſcient, quia ego Dominus Deus eorum.

PRVDENTER ſanè qui iniurias ſuſtinet, earum vindictam Domino remittit, qui potens eſt omnia facere ſuper abundantiùs, quàm petimus aut intelligimus ſecundum virtutem quæ operatur in nobis. Cumulatiùs enim vltionem facit, & iudicia

Ephes. 3.

iudicia exercet. Quapropter teneamus consilium Pauli: Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed dare locum iræ, Rom. 12. Dei scilicet, qui iniuriam vindicate & ad iustitiæ æquilibrium punire nouit. Iacob. 1. nam ita viri iustitiam Dei non operatur. & rursus, Sol non occidat super iracundiam vestram, &c. Ephes. 5. Sydonij etenim socij iniuriatum Israelitis, Tyris abundè fuerunt, vt qui finitimi & comprouinciales erant: qui ipsos iam Israelitas offenderant, & vti spinis, importunè, nunc proprijs phalangibus, nunc gentibus infestis auxilium ferentes, pupugerát, ob quod pœnas hîc Domino dant. Nam ecce ego ad te ait. q. d. qui primùm iniuria affectus sum, vt glorificer & sanctificer, meo honori consulens, iudicia exercebo, & sententiam executioni mandabo. Itaque peste vos feriam: gladio item Chaldęorum sic vastabimini, vt sanguinis riui per plateas vestras fluant, & robustissimi quiq; gladio interfecti cadant, qui populo meo vndequaque aduersantur. & ita qui sustinentia Dominum non cognouerunt, pondere suæ manus tandem pressi, scient esse Dominum Deum, nec suos amplius contemptui habebunt. At, sustinentibus ita Dominum, quod præmium est Ephes. 5. propositum? sanè retribuet supra id quod petimus, perennem patriam scilicet, & gloriam cœlestem: quod per congregationem sui populi ex gentibus, & reductionem ad terram Iacob, id est, colluctatorum, quia huiusmodi est promissa, significat. Vbi ait, habebunt domos: ad quod alludens Dominus dixit: In domo patris mei Ioan. 14. mansiones multæ sunt. & Dei protectione tutam in ęternum habebunt habitationem & insuper ait: Plantabunt vineas, quia omnium bonorum aggregatione perfruentur. Poteris item expugnationem dæmonum, in cruce Domini nostri Iesu Christi factam, satis aptè intelligere, vt mundo prostrato per Tyrum, eiusq; regem significato, principis eius diaboli nempe, exercitus debellationem inferat, de quo dixerat Christus: Ioan. 12. Núc princeps huius mundi eiicietur foras. & rursus: Princeps huius mundi iam iudicatus est: Ioan. 16. Bethsaida enim domus renatorum interpretatur, & Sydonij venatores, ex sententia Hieron. asserentis; vbi nostra translatio habet, de laqueo venantium in Psalmo, secundum Hebraicam veritatem, Sydoniorum haberi. Psal. 123. atq; ad hoc expugnandos, in propria persona venit Dominus. vnde dicit: ecce ego ad te, &c. & potentiùs quàm peste & bello, virtute sua & gladio sui verbi, à sede tyrannidis, & regno tuo deturbauit. atq; ita sua ecclesia, seruitute eius exempta mansit. quam neq; in eius minimis, nisi facultate Domini, assensioneq; ipsorum, lædere potest. Concilio Toletan 4. canone 16. Ita quippe Concilio Tolerano definitur: Homo qui sui arbitrij libertate obediens serpenti periit, non nisi vocante Dei gratia, mentis conuersione, homo quisq; credendo saluatur.

CAPVT XXIX.

IN anno decimo, decimo mense, duodecima die mensis factum est verbum Domini ad me, dicens. Fili hominis pone faciem tuam contra regem Pharaonem Ægypti, & prophetabis de eo, & de Ægypto vniuersa, loquere, & dic, Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te rex Pharao Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum, & ponam frænum in maxillis tuis: & agglutinabo pisces fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squamis suis adhærebunt. & proijciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui; super faciem terræ cades, non colligeris neque congregaberis.

VIDE quanto nostræ salutis Dominus flagret desiderio, quòd bonitate, patientia & longanimitate nostram conuersionem expectando, semper nos ad pœnitentiam adducit. Roma. 2. nec, antequam ea nos omnino his indicijs abuti viderit, flagellum accipit. semel per Esaiam Aegyptum suæ perditionis admonuerat, & nunc iterú per hunc sanctum vatem facit, vt adueniente flagello, neq; ignorantiam, neq; excusationem aliquam allegare possit. In punitione autem, quę hoc capite profertur, quantú Dominus superbiæ insolentiam horreat, quantum scandalizantes fratres exosos habeat: & denique lenitatem suam in flagellando, & propensionem in remunerando, & etiam opus seu obsequium ab inimico factum, ostendit. Proponit igitur

primum

primùm superbiam, qua tota sua vita nutritus fuerat Pharao, id est, reges Ægypti (nam sicut imperatoribus Romanis Cæsares, Regibus Augustos, ita Ægypti regibus Pharaones cognominari placuit, vt testatur Hieronymus) ea aut tyrannide constabat, quod Dominus norat, draconem & cete illum magnum, piscium omnium vorax, appellando. Ita enim ipse expilando regionem, ex rapto & iniuria subditorum,
Lib. de victoria verbi Dei. deliciabatur. Qua ratione, vt inquit Rupertus, sub nomine Pharaonis regis Ægypti, aptè satis diabolus, draco primùm appellari cœpit: quòd violenter tunc pertequi cœpisset, eatenus verò, solum fraudulenter. ex securitate item, qua sua sententia degebat: Nam cùm Nili circuitione tanquam inexpugnabili muro cingeretur, & multifidis illius brachiis tota regio irrigaretur, nec cœli pluuias expectaret, (ob quod in medio fluminum occubare dicitur) nullo extrinsecus timore hostium, aut annonæ defectu tangebatur, sed neq; Dei, quod extra cogitationem humanam positum est. Dicebat quippe, Meus est fluuius, & ego feci memeripsum. vna tantú poterat angi suspicione, si fluuius nempè deficeret, quam ipse demebat se dominum fluuij constituendo, suoq; arbitrio fluenta tenere: & insuper seipsum fecisse, id est, propriis viribus & industria, cuncta quæ possidebat, parasse: quare nec prouidentia extrinseca, nec iuuamine indigere. illud forsan existimauit, quòd irriguam totam Ægyptum fecerat variis Nili ductibus. istud verò, quòd industriæ & ingenio suo omnia respondere videret, propriisq; viribus domum, & regnum cum omni supellectilium genere parasse. Nam quî in cuiuspiam mentem ascendere posset se fecisse, aut quampiam rem in natura constituisse? sed neq; diuitias & opes citra pro-
Cicero de natura deorum. uidentiam numinis, qui sanus esset, vnquam existimauit, vt quidam eloquenter, sed
super Matt. libr. 13. fol. 161. stultè dixit: quod iste fecit. Vnde Rupertus ad principem superbiæ oculos conuertendo per fluuium hunc, totum genus humanum fluctibus peccati vndiq; concussum, cui dominari iactabatur diabolus, conuenienter intelligit, vt latiùs ad mores, accommodè satis tu poteris eloqui. Sed audi emeritam pœnam, quam impendere dicit: qui sic impiè loquebatur, freno constringitur, seu hamis capitur, ne amplius sic superbiat, cuius squamis simul adglutinat omnes pisces suos, duces & maiores scilicet, qui similiter effutire didicerant. & te, inquit, de regione, seu è medio fluminum extraham, & squamis tuis simul omnes tuos regnicolas: quoniam piscem magnum istum regem fecerat, semper metaphoram seruando, accommodatè loquitur, & tandem omnibus gladio cadentibus, in desertum locum ipsum proiecturum dicit: Itaque sepulchro non colligetur (de quo prima esse solet cura magnatibus, quando alia via se perpetuare nequeunt) bestijs terræ & volucribus cibus manēs. quę in rege Pharaone tanquam in vmbra fuerunt, & in corpore, diabolo scilicet, per mortem Christi Iesu completa sunt, quando chirographum decreti illi sublatum
Coloss. 2. Exod. 14. Rupertus libro 2. super Exodū cap. 37. est, & aqua baptismi submersus, & à fidelium mentibus deiectus, & aquis maris rubri in figuram tanti mysterij, omnino obrutus. Quod comminando Dominus hic dicit: Ecce ego ad te Pharao. Hæc præclarè Rupertus.

Pro eo quòd fuisti baculus arundineus domui Israël, quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum, & innitentibus eis super te comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum.

ANIMADVERSIONIS rationem reddit; quòd auxilium nempe pollicitus fuerit domui Israël, vt à confidentia & cultu creatoris sui auerteret. quod opere monstratum est. nam baculi arundinei suppetias tulerunt, quando id requisierunt, & eos tanquam baculum manu apprehenderunt. Etenim qui in baculo arundineo nititur, hoc negotiatur, vt manus aut humerus, quem superponit, perforetur; & si pressiùs ipsi innitatur, frangatur: & sic hostibus pateat, qui renes eius, & interiora membra dissoluant. Tale igitur est mundi auxilium, nociuum, fragile, & falsum, quod in iuuamine Ægypti, quod Israëli præbebat, voluit nos Dominus docere. Cęterùm cùm Ægyptij grauiorum aliorum criminum rei extitissent, ob quæ grauiter etiam persentire manum Domini meruissent, cur fragile & debile auxilium quod forsan absq; peccati conscientia fecissent, tantum obiicit? hæc nimirum videtur causa, quòd confidentia propriarum virium, qua se valere & cæteros adiuuare posse existimarent, scaturigo, vnde cætera promanarent, esset. Sunt enim quædam pec

cata,

cata, quæ sensim admittuntur, quorum nec reos se fatentur auctores, nec veniam nos petere, docuisse videtur Psalmista, dicendo: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Cuius generis sunt, quæ ex fine iucunda aut vtilia sub specie honestatis, consiliante ratione, fini perperam proposito, constricta operantur. Tunc enim plura errata in actionem veniunt, quorum nec compunguntur homines: quod fine decepti nunquam à recta via deuiasse aibitrentur. Quoniam qualem vnusquisque conceperit finem, sic videt, & iudicat, interim quòd in deceptionem finis non cadit. de quibus etiam erratis & deceptionibus loquebatur Dominus Iob quando dixit: se commutare cor principum populi terræ, & decipere eos, vt frustra incedant per inuium. Decipit enim, cùm post suam rationem inanem & stultam abire permittit. sunt item ea errata, quæ iugo peccati subiectus homo admittit, nec aduertit horrorem quem in se habeant. de quibus Augustinus respondens gentibus, quare Christus Iesus cùm omnipotens esset, suos non adiuuit Iudæos ne Romanis traderentur? ait, & præcesserunt manifesta peccata eorum, propter quæ hoc illis euenturum Prophetæ tanto antea prædixerant: & maximè quia impio furore Christum occiderunt. in quo peccato alierum occultorum meritis excæcati sunt. & beatus Chrysostomus disserens de peccato Dauid, & quærens, quare ilico è vestigiò non fuit secuta correctio, ait: Quare protinus non correxit? quoniam vidit in ipso peccati vigore obcæcatam peccantium animam; & obturatæ sunt eorum aures, in peccati profundo mersorum. Quod tandem confirmat Israëlitarum factum petendo regem: quos peccasse ostendit Samuel miraculo, dum æstiuis caloribus vrgentibus subitò de cœlo tempestas in confirmationem sententiæ Samuelis, eos perterruit, sic vt peccatum agnoscerent, & lugerent.

Psalm.18.
Aristot. 3. Ethicorū.
Iob. 12.
Augustinus de cōsensu Euang. libr. 1. cap. 13.
Chrysostomus de pœnitentia homil. 3.
1.Reg. 12.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium, & interficiam de te hominem, et iumentum, & erit terra Ægypti in desertū, & solitudinem, & scient, quia ego Dominus. pro eo quòd dixeris, Fluuius meus est, & ego feci eum. idcirco ecce ego ad te, & ad flumina tua, daboq́; terram Ægypti in solitudinem gladio dissipatam à turre Syenis vsq; ad terminos Æthiopiæ. Non pertransibit eam pes hominis, neq; pes iumenti gradietur in ea, & non habitabitur quadraginta annis: daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, & ciuitates eius in medio vrbium subuersarum. & erunt desolatæ quadraginta annis, & dispergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in terras. quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus dispersi fuerant, & reducam captiuitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phatures, in terra natiuitatis suæ, in terra de qua sumpti sunt. & erunt ibi in regnum humile, & inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltrà super nationes, & imminuam eos ne imperent gentibus, neq; erunt vltrà domui Israël in confidentia docentes iniquitatem vt fugiant & sequantur eos. & scient, quia ego sum Dominus DEVS.

EXPONIT flagellum, quod indixerat: illud, inquit, fiet hostium gladio, qui ita in eos furiet, vt hominem & iumentum interficiat, & vniuersa regio redigetur in solitudinem à castro Syene fortissimò, quod est in finibus Ægypti, vsque ad Æthiopiam regionis terminum, & erit in numero vrbium desolatarum, Tyri nempe & Sydonis. Qui residui, inquit, erunt in modum palearum per diuersas nationes & gentes ventilabuntur, ac dispergentur per quadraginta annos. hospitio enim fuerunt populo Dei, ideò beneficium hoc accipiunt, vt minori tempore patiantur, quod ex sententia Hieronymi, quadraginta annorum est: quoniam huius mundi oblectamenta sectando, qui quatuor elementis pellicit, peccarunt, & tempus afflictionis est. Nam quadringentis annis populus in Ægypto seruiuit, & quadraginta diebus diluuium inundauit: atque Moyses, Elias, & Dominus ipse Iesus

ieiunauerunt. Populum verò Israël, quia grauius & maiori ingratitudine peccauit, vt qui pluta acceperat, & in religionem atque sabbathum, vt suprà à Propheta memoratum est, hebdomada decadum annorum patitur. Vnde Paulus, iram, tribulationem, angustiam, venturam in omnem animam hominis operantis malum, subdit: Iudæis primùm & Græcis: sicut contrà, honor, gloria & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Non enim est acceptio personarum apud Deum. vbi propter beneficia ampliora accepta, tam in pœnis, quàm in præmiis primò nominatur. Tyrus item tantundem sustinebit hebdomadam sabbathorum implens, quia nullum beneuolentiæ pignus Israëli obtulerat: & potentes potenter tormenta patientur. Expletis verò 40. annis, eos in suam regionem atque in insignem Phaturis metropolim reducendos dicit. Nam non vult Dominus punitionibus occidere, & vsque ad animæ deliquium, vt pereant, manum extendere, sed castigare, animaduertere vt sapiant, & conuertantur. hic quippe Domini corpus est. atque adeò vide qualiter hic indicendo malum quod immineret, ter repetit; vt cognoscant, ait, quia ego Dominus Deus: quod & facit semper, quod flagelli meminit. Componetur ergo rursus regnum, congregatis dispersis: verùm patuum, temperatum, ait, & humile, quòd nec superbientes vires contra gentes cæteras habeat, nec amplius asylo & confidentiæ erunt Iudæis, vt ad eos in suis necessitatibus confugiant. atque sic suas iniquitates memorando, eas sequi vt antea, doceant, & post eas vt solebat, in beneficij gratitudinem & recognitionem, abire compellant. Vide quid timentibus Deum conuersatio prauorum, & præcipuè potentum, domi afferat? flagellis igitur superbiam euellere, furiam temperare, imperandi cupiditatem infrenare, & nostri sic cognitionem operari, mentis squamas, & cœcitatem auferendo, Dominus contendit. & confidentiam tursus in se, non in ampla supellectile, non in fauore principum, non in mundi & Ægypti pollicitationibus, collocandam petit. Tu interim qui pateris non obsurdescas, sed potiùs cum Paulo dic: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Rom. 2. — Sap. 5. — Galat. 6.

Et factum est in vicesimo septimo anno, in primo, & vna die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum. omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruit mihi aduersus eam. propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitus illius, & operi pro quo seruiuit aduersus eam. dedi ei terram Ægypti, pro eo quòd laborauerit mihi, ait Dominus Deus. In die illa pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo os apertum in medio eorum, & scient, quia ego Dominus.

Dvo hoc loco Spiritus sanctus nos docet. Vnum axioma illud Theologorum: Nullum malum impunitum, nec bonum immuneratum. Etenim etsi furiam suam sequutus, instinctu tamen Domini, & prouidentia excitatus, Nabuchodonosor Tyrum expugnando, seruierat. Ob hanc enim rem seruum suum per Hieremiam appellat. quam rem tanto sumptu aggressus est, quòd vt posset in apto loco tormenta bellica situare, exindeque commodè ciuitatis muros iaculare, insulam continenti annexuit, referente Hieronymo. in quo opere ita exercitus laborauit, quòd terram, saxa, capite, & humeris comportando, decaluatus est, & omninò depilatus. & quod amplius anxit, eo tempore inducias Tyriis dederunt, vt thesauros & bona quæ possidebant onustis nauibus in alias insulas exportarent, atque ita capta vrbe, spoliis non sunt potiti: Quapropter in mercedem, expoliationem Ægypti adiudicat: & simul iam tandem exponit, per quem flagellandi & vastandi Ægyptij

Hiere. 25.

Ægyptij essent. Atq; ita qui suorum scelerum pœnas luxerunt, boni operis munere non fraudantur. Alterum est afflictiones tam Tyri quàm Ægypti, quàm Israëlis, punitiones eas perpetuas inferni significare, quæ impendentes homines in æternum manent, sicut istæ temporales, mensuram legitimam pœnarum in Ægyptiis, & totum tempus, in Tyriis atque Israëlitis significarunt. & reductiones insuper, Ecclesiæ opulentam gratiam, adueniente Christo Iesu Domino nostro, pacem itẽ & tranquillitatem. quod teste Hieronymo significat, cùm dicit: In die illo pullulabit cornu domui Israël, & tibi dabo apertum os in medio eorum; & scient, quia ego Dominus. Absoluit enim Christus omnem gubernandi rationem, sub qua populus ille fuerat, iudicum nempe, regum & sacerdotum: ob quod tres illas tessara decadas generis Christi, recensuit Matthęus in initio sui Euangelij; ex sententia Chrysostomi, vnde iudicum vice fungens, Iesus dicitur. Matth.1. Regum autem & sacerdotum munus sustinens, Christus, id est, vnctus. in signum enim gratiæ, exultationis, & dilatationis officij, tam reges, quàm sacerdotes in sua creatione, cornu olei super capitibus effuso, vngebantur. Atqui quoniam à Christo capite nostro, Luce 1. omnis gratia in nos prouenit, cornu nomine celebratur à Zacharia, dicente: Et erexit cornu salutis nobis: & cornu, typo hoc loco est figuratus. Sanctissimo item eius aduentu omnia quæ hîc Propheta dicit, vt quæ cæteris fuerunt reuelata, penitus compleuit. ob quod daturum os apertum ipsi nunc promittit. Et denique Dominus cognitus est. quoniam (vt inquit Baruch) in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Baruch 3.

CAPVT XXX.

ET factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: vlulate, Va va diei, quia iuxta est dies, & appropinquat dies Domini, dies nubis, & tempus gentium erit. & veniet gladius in Ægyptum, & erit pauor in Æthiopia cùm ceciderint vulnerati in Ægypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta eius. Æthiopia & Lydia & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chubæ filij terræ fœderis, cum eis gladio cadent. Hæc dicit Dominus Deus: Et corruent fulcientes Ægyptum, & destruetur superbia imperij eius, à turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus exercituum, & dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, & vrbes eius in medio ciuitatum desertarum erunt.

IN impensiorem considerationem suæ depopulationis & impendentis finis, post sermonem habitum cum rege, Ægyptum ipsam, omnesq́ue sibi amicitia coniunctas regiones hîc adducit. & tandem ad regem recurrit sermo, imbecillitatis viriũ ad resistendum, admonendo. Primùm igitur per Prophetam vlulatu, atque interno gemitu, suam Ægypto deplorare miseriam iubet Dominus, ad lamẽntumq́ue illius diei monet, propter ingentes calamitates quas afferet, duplex Vę, vę, illi dicendo. Deinde, cùm nullas inducias concedit, sed præsentem iam illum facit, repetendo, iuxta est, & appropinquat, & tandem diem nubis & gentium appellando. quoniam nubilosus, & calamitosus impetu exercitus Babylonis, qui instar nubis magnæ & grauis irruet in eos: & gentes tem suam facient eos vastando; vt horam suam Dominus venire dixit, qua suum opus absoluturus erat. Vbi dubio procul Ioan.11. Act.1. vult Dominus, diem mortis præsentem semper habere, illumq́ue supremum & vniuersalem diem, prauis & sceleratis hominibus omni miseria plenum. vbi Dominus Iesus in nube sicut ascendit, ad iudicium descensurus est: & primùm gentes ob suam pertinacem impietatem iudicium sentient: vnde hic dies nubis & gentium appellatur. & consonat Paraphrastes Chaldaicus, qui diem gentium vocat, quòd in eo gentes affligendæ sunt. veniet igitur gladius numerosi exercitus in Ægyptum, qui duces & robustiores interficiet, multitudinem plebis in seruos capiẽt, & AEgypti fundamenta subuertent. Quoniam omnes eius vrbes, quarum splendore & elegantia vsqueadeò gloriatur, vastabit, ac perdet. Tunc AEthiopia ei con-

finis ingenti timore corripietur, qui citò finietur: nam peracto illo tempore, statim ipsam cum Libya, Chub, siue Arabia & omnibus ipsi confœderatis idem gladius feriet, ac solo æquabit. At diceret forsan: tunc vel miseratione commotæ aliæ gentes finitimæ, etiamsi amicitia coniunctæ non sint, mihi opitulabuntur, quæ fultrices & auxiliatrices mihi esse consueuerunt absque fœdere: minimè, inquit. Nam propositum est gloriam & superbiam imperij Ægypti destruere, à turre Syenes finiente Ægyptum versus Æthiopiam, vsque ad oppositos fines. Quapropter omnes fulcientes, & auxiliantes corruent, eorumque regiones in numero terrarum desolatarum, & eorum vrbes in numero ciuitatum desertarum, quas memorauit, ponentur, dicit Dominus, cuius verbum deficere non potest. Equidem magnopere requirit Dominus nostrarum vitium diffidentiam, propriam imbecillitatem agnoscere, nullumque humanum auxilium, vel ad digitum mouendum absque ipso valere, neque iuuamini esse posse, cùm omnia sub illius constituta sint potestate. [Act.17.] In ipso enim, dixit Paulus, viuimus, mouemur & sumus, id est, vitam accepimus, operamur, & conseruamur. [ad Philipp. cap.2.] & alibi de emendatione vitæ agens: Itaque charissimi mei sicut semper obedistis non in præsentia mei tantùm, sed multò magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Vbi beatus Prosper contra collatorem, pro qua voluntate inquit? nisi quam in ipsis operatus est Deus, vt quod donauerat velle donaret & perficeret. gratum ergo illi opus ex hoc loco discit facere, qui suam infirmitatem agnoscens, suam omnem spem & confidentiam in Deo reposuerit.

ET scient, quia ego Dominus, cùm dedero ignem in Ægypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores eius. in die illa egredientur nuncij à facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. Hæc dicit Dominus Deus: Et cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. ipse & populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram: & euaginabunt gladios suos super Ægyptum, & implebunt terram interfectis, & faciam alueos fluminum aridos, & tradam terram in manu pessimorum, & dissipabo terram & plenitudinem eius in manus alienorum.

NON enim populum Israël coadunauit Dominus, sibique elegit, & signo circuncisionis distinxit, vt gentes negligeret, nec participes cœli fieri vellet, aut suam [1. Tim. 2.] doctrinam aut legem, qua peregrinarentur, negaret. vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem venire, vt testatur Paulus: sed vt populum constitueret, qui sua lege & cœlesti doctrina instructus & edoctus, ablata cæcitate, & carnis feritate remissa, ad ipsum tanquam ad Scholam & gymnasium publicum, vt cicures fierent, accurrerent, & vt disciplinam cœlestem addiscerent. ad quod nunquam illis defuit, imò semper omni cura prouidit: primum testimonium sui, per dispo- [Act.14.] sitionem orbis quo viuerent præsentando, vt inquit Paulus: Et nos mortales sumus similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & non quidem sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens, de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Deinde specialiùs ne excusationem cum populo Israëlis prætexerent, quòd peculiariter eductus esset, in conspectu omnium gentium: in Ægypto se Deum verum tot portentis monstrauit, vt [1 Reg 4. Iudith. 5.] timori ipsis semper fuerit: vt testati sunt Philistæi, in campo Iudæorum arcam Dei videntes. & dux ille magnus Achior apud Iudith. Misit etiam Prophetas, Hieremiam nempe, dicens illi: Ecce Prophetam in gentibus dedi te, &c. & sanctum [Ezechiel.2.] item Ezechielem, qui hoc loco sermonem ad eos facit. Atqui quoniam primus aditus ad fidem & cognitionem Dei accipiendam, desitio à peccatis est, & eorun- [Matth.3.] dem pœnitentia (vt Ioannes Baptista declarauit suo prædicationis themate, di-

censs

rens: Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum: & Dominus Iesus idem reassumens confirmauit) flagellis furorem amittere curat, vt quos blandiendo non allicit, terroribus commoueat. Atqui ne existiment odium, quo eos prosequatur, hoc efficere; à suo populo recalcitrante, flagellum incœpit, vt supra dictum est, secundum quod dixit beatus Petrus: Tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. Ob hanc igitur rem salutem gentium anhelando, nunc Æthiopiæ, & cæteris dicit, vt illum cognoscant, & ad ipsius se cultum conuertant, exercitumq; mittere in Ægyptum, qui veluti ignis ipsam absumet. & eo admoto; missurum se nuntios triremibus siue nauibus ad Æthiopiam securam, sibi confidentem, & in otio agentem, vt sibi caueat, & in mentem redeat: Quibus accedentibus, similis pauor ac Ægyptio occupabit, quia similem stragem, suis moribus manentibus, patientur. Quod ne verba tantum esse putent, absq; dubio futuram calamitatem post decem & septem annos, vt superiori capite cautum est, prænunciat. Atqui vt non temerè aut casu expugnationem Ægypti cùm viderint, contigisse existiment; seq; in tuto esse quod similibus occasionibus non pateant (quod humani ingenij conditio fert, vt fratris mortem aut calamitatem occasione aliqua accuset, vt sibi ab ea libero, salutem promittat) ipse Dominus dicit, se missurum exercitum Nabuchodonosor, specialiter ipsum nominando, qui siccabit fluuium, interficiet habitatores, regionemq; ipsam vastabit. quæ ita particulariter euentura prænunciat, vt Deum verú hic loquutum, cùm factum fuerit, intelligant; qui cogitationes Nabuchodonosor, industrias, & processum operum tantò antè nouerat. 1.Pet.4.

Hæc dicit Dominus Deus: Et disperdam simulacra, & cessare faciam idôla de Memphis: & dux de terra Ægypti non erit amplius; & dabo terrorem in terram Ægypti, & disperdam terram Phatures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia mea in Alexandria, & effundam indignationē meam super Pellusium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexandriæ, & dabo ignem in Ægypto, quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ. iuuenes Heliopoleos & Bubasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur: & in Taphnis nigrescet dies cùm contriuero ibi sceptra Ægypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius. ipsam nubes operient. filiæ autem eius in captiuitate ducentur, & iudicia faciā in Ægypto, & scient, quia ego Dominus.

SPECIALIVS adhuc, vt Ægyptios vehementiùs concutiat, deos suos ad quos confugiebant, duces & militarem manum, quæ defensioni illis erat, pulcherrimas, ditissimas, & nobilissimas vrbes, quę illis magis cordi erant, & quæ vt miracula mūdi habebantur, quibus confidebant, & nunquam perituras arbitrabantur, omnia in interitum dabit. Spolij autem gratia, amotis idôlis à Chaldæis, expugnatis ducibus, terror omnem occupabit AEgyptum; Pelusio desolata, quæ arx & robur AEgypti erat; Alexandriæ mirabili frequentia interfecta: fœminis in captiuitatem ductis, parturientis dolores sentiet AEgyptus, nec erunt angustię quibus iuxta nomen suum non prematur. sed vt nec respirandi locus maneat, Taphnis quæ regia erat cum omni semine regio simul cadet, nigrescet dies, & nubes operiet eam, luctus & mœroris cælum ipsum signum exhibebit, quod regum casibus ostendere solet. Quæ ventura fore verbo suo Dominus firmat, huiusque gratia vt ad se reuerterentur: tanti eorum desiderat salutem. Etenim cùm morte ipsa præfixum terminum homines viderint: vel in peristasibus & adiacentibus rebus, in fama, & nominis memoria se æternos facere cogitarunt: sicq; pyramides splendidissimas, pretiosas vrbes AEgyptus habuit, quibus se in perpetuum permansuram putabat. At huic insaniæ Dominus occurrens, vt linguarum confusione, priores illos superbos castigauerat, vt nihil hîc inferius in æternum permansurum sit, sed vt homo ipse finitur, sic edacitati temporis cætera omnia exposita esse: & amplius, arbitrio prout vident expedire, AEgyptus, cuius ædificia miraculo mundo habebantur, & quorum robore & opulentia, immortalitatem intendebat, vno die pro Domini voluntate cadet, & omnibus miseranda reddetur. Gene.11.

E T factum est in vndecimo anno, in primo mense in septima mensis, factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis brachium Pharaonis regis Ægypti confregi, & ecce non est obuolutum vt restitueretur ei sanitas, vt ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, & recepto robore posset tenere gladium. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, & comminuam eius brachium forte, sed confractum, & deiiciã gladium de manu eius, & dispergam Ægyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris. Et confortabo brachiũ regis Babylonis, daboq́; gladium meum in manu eius, & confringam brachium Pharaonis, & gement gemitibus interfecti coram facie eius, & confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident. & scient quia ego Dominus cũ dederim gladium meum in manu regis Babylonis, & extenderit eum super terram Ægypti, & dispergam Ægyptum in nationes, & ventilabo eos in terras; & scient, quia ego Dominus.

AMPLISSIMVM quodq; regnum, & porentissimus quiuis homo, perinde ac brachium confractum, chirurgi diligentia indiget, vt malagmate supposito, obuoluatur, ligetur, & fascietur ad sanitatem recuperandã, & functiones suas debitè exercendas, diuino auxilio & gratia eget, vt firmetur, stabiliatur, & actiones habere possit, quibus se tueri, defendere, ac superior in hostes irruere valeat. Psal.126. Quippè qui, nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. id est, qui supellectilibus & necessariis instrumentis eam constituere & ornare laborant: Et nisi Dominus custodierit ciuitatem, vigiles eius quantumuis solertes, diligentes, minimè tueri, ac defendere eam valebunt. brachium igitur Pharaonis infirmum erat, quia hominis, Domino se committere indiguit, qui cœlesti sua chirurgia mederetur, protectione obuolueret, continuis auxiliis contra externorum iniurias fasciaret, & circumligaret. quod sibi confidens neglexit, imò Dominum ipsum à se proiecit. Quapropter confractum eius brachium cõminuit, quod forte ipse existimat, ad regem Babylonis accedens, & brachia eius, id est, ipsum, potentiamque sui exercitus, confortando & muniendo. Itaq; deiecit gladium de manu Pharaonis, & Ægyptios in varias gentes dispersit, & gementes coram rege Babylonio constituit, qui iactabũdi vsq; adeò gloriati fuerant. Tu ergo vide quanti te coram Domino facias: nam tantum deiicieris. Lucæ 14. & 18. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Contendit enim cum Domino superbia, quare superbis resistit, vt humiliatis det gratiam. 1. Pet. 5.

CAPVT XXXI.



T factum est in anno vndecimo tertio mense, vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti & populo eius, Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, & frondibus, nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius: aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum, flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos suos misit ad vniuersa ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius super aquis multis. cumque extendisset vmbram suam in ramis eius, fecerunt nidos omnia volatilia cœli, & sub frondibus eius genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub vmbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum, eratque pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum. erat enim radix illius super aquas multas. Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Abietes non aquauerunt summitatem eius: platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi in pulchritudine eius, quoniam

ſpecioſum feci eum, & multis condenſis frondibus, & æmulata ſunt omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei.

CONFIDENTIAM regis Ægypti totiuſque regni, quam præcedentibus reprehenderat, hoc capite peculiariter comminuit: Primùm eam obiurgando: deinde potentiam ventoſam regis Aſſyriorum à rege Babylonio proſtratam oſtendendo, cui Ægypti fortitudo neutiquam comparabatur. Principio igitur Prophetæ iubetur ipſum inſolentiæ arguere dicendo: Cui ſimilis factus es in magnitudine tua? Quaſi dicat, vſqueadeò vires tuas effers, robur, ſcientiam, populorum imperium iactas, vt cui te conferas, non inuenias, nec terminos cernas, quibus tua claudi poſſit ambitio & potentia. eſt enim defectus, ambitionis & externi apparatus primus ſtimulus: Ideò quidem fœminæ externo apparatu ornatiores videri contendunt, vt quod vigore rationis natura abſtulit, geſtu & habitu ad arbitrium depicto, quo poſſunt modo reſarciantur. & ex eadem radice viri, tantò magis dignitate, imperio, ſuum eſſe attollunt, & valorem prædicant, quantò magis induſtria rationis carent, & tenebris ignorantiæ magis ſunt obtuti: Vnde aptè ſatis dixit quidam: Magiſtratus virum indicat. ſed potiſſimum laxis habenis abſque termino ſuperbit, qui Dei cognitione eſt deſtitutus: Quare rex Ægypti, in tantum ſe extulerat, vt ſimilem non inueniret. ſed multo excellentiorem regem Aſſyriorum, vt tamen Babylonij regis, ſua prouidentia ſubiugatum oſtendit Dominus: vt hinc exitum ſui vigoris ſuprà memoratum, diligenter contempletur, ac idôlis & peccatis renunciando, ſibi proſpiciat. excellentiam ergo eius, magnitudinem, & cumulatum ſuperbiæ faſtum, ſub cedri, aut cupreſſi arboris figura, cunctas ſuperantis, deſcribit. Conſueuit id aliquando Scriptura, proceres & populi gubernatores diuerſis arboribus comparare. & regius vates: Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur. & Hieremiæ 22. Quia confers te cedro, &c. legitur. excellentia igitur, cedri aut cupreſſi, ramorum pulchritudine, vmbroſa conſtipatione, foliorum, & altitudine cæteras arbores ſuperantis, vt vel nubes æquare videatur, attenditur. Hanc autem arborem ſic exaltat non ſolùm affluens aqua, verùm abyſſus ipſa, id eſt, aquarum multitudo (magna enim humoris abundantia hæc arbor gaudet) atqui quoniam de opulentiſſimo Aſſyrij regis imperio ſermo eſt, & innumerabilibus diuitiis ſplendebat, ita vt prouincias & populos locupletes poſſideret: Circa eius radices flumina manare, & ad arbuſta alia riuos mittere dicitur, quibus multiplicati ſunt, ac dilatati eius termini, perinde ac ligna ſyluę in tam vberi loco conſita. Præaltá autem, ac parulam ſic arboré, nidis habitare volucres (cuius induſtriæ dux primus Erodius legitur) & ſub eius nemoroſa vmbra beſtias campi filios procreare, notum omnibus eſt. Quare ſub huius regis vmbra innumeri principes gentium, qui non minus ſuperbiæ vento ſeſe attulerant, quam altiſſimò volucres, nidos habere dicit. & duces ac potentiſſimos quoſq; filios gignere; ac domos ædificare, perinde ac beſtias ſaltuum ſignificat. vnde quatuor ſedilia ſuperbiæ memorat, dicens: Eratque pulcherrimus in magnitudine &c. eſt primum lata & extenſa propè in infinitum imperandi facultas: ſub propoſita arbore ingentis magnitudinis, in dilatatione ſuorum ramorum, quia iuxta aquas plantata. ait enim Auguſtinus de ſuperbia diſſerendo: Cum verò etiam eis, qui ſibi naturaliter pares ſunt, hoc eſt, hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino ſuperbia eſt. Secundum eſt, altitudine cæteros quoſque conſimili dignitate & ſtatu longè opulentia & faſtu ſuperare. Vt Aſſyriorum rex cunctos reges: & tu ruſticanus cæteros tui vici quando ſic præſumis. Quapropter nec in Paradiſo illo terreſtri cedros, abietes, ſiue pinos vllas, diſpoſita arbore altiores eſſe dicit. Tertium eſt, parem non admittere, quamobrem nec abietes ſimiles in Paradiſo illi etiam dicit. Quartum eſt, cæteros ſic faſtigiatum contemplari, ſuſcipere ac ſuperiorem cognoſcere, ac vt talem timere, atq; venerari: qui nô antè quieſcit, quàm in eius contemplationé ſuperbus, vel inuitos trahat, apertiſſimum ſuę vilitatis teſtimoniũ proferens. Propter quod omne lignum Paradiſi Dei, quod in illo terreſtri manu Dei plantatũ fuit, nullatenus deſcriptæ arbori aſſimilari dicit: ſic ſpecioſam eá conſtituendo multitudine ramorum,

Pittacus et 7. Sapientibus ſæculi.

Iudic. 9. Pſal. 91. Hiere. 22.

Pſal. 103.

Auguſtin. 1. libro de doctrina Chriſtiana, cap. 23.

ramorum, & frondium densitate, vt deliciarum & voluptatis omnes arbores, quæ in Paradiso fuerant, eam æmulentur & consectentur. Vide, quanta ad voluptates & genera omnia deliciarum terrena instrumenta opum, potentiæ, ac maiestatis regi Assyrio affluerent, vt deliciosissimi quique reges, principes, & duces ab ipso acciperent & abundarent, & cum æmulatione illius viuerent. Quod eleganter Rupertus Abbas ad diabolum, similitudinem Dei in cœlesti paradiso affectantem, transfert, qui suis asseclis pulchrior apparuit, & magis complacuit, quam ipse Deus, vt lignum interdictum primis hominibus, quam cætera ligna, imò quàm lignum vitæ: ob quod Paradisi terrestris meminit, quia ad similitudinem cœlestis, inquit, plantatus est: in quo lignum vitæ est ipse Deus, circa quem cætera ligna, Angelici nempe Spiritus, qui beata eius visione fruuntur, consita sunt.

Rupertus super Gen. cap. 17.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd sublimatus es in altitudine, & dedit summitatem suam virentem atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua, tradidi eum in manus fortissimi gentium. faciẽs faciet ei iuxta impietatem eius, & eieci eum, & succendent eum alieni, & crudelissimi nationum, & proiicient eum super montes, & in cunctis conuallibus corruent rami eius, & confringentur arbusta eius in vniuersis rupibus terræ, & recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ, & relinquent eum. in ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli, & in ramis eius fuerunt omnes bestiæ regionis. quamobrem non eleuabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa, atque frondosa, neque stabunt in sublimitate sua omnia quæ irrigantur aquis, quia omnes traditi sunt in mortem ad terram vltimam in medio filiorum hominum ad eos qui descendunt in lacum.

CASUM & deiectionem Assyrij regis è fastigio & altitudine subiicit, primùm tamen vt eius ingratitudinem arguat, opum, diuitiarum, potentiæ & sublimitatis eius se auctorem memorat, qui regum ac nobilium frequentia stipatum reddiderat, quemadmodum arborem densitate ramorum & frondium speciosam, vt non solùm Christianus, sed paganus quicunque vt vitam, ita statum & diuitias cæteraque honorum insignia, à Domino accepisse cognoscat: secus autem sciat tradendum fore in manus tortoris, ac lictoris, vt traditus fuit impius ille Doëgus in multitudine diuitiarum confidens. & præsentissimo exemplo, ad id etiam hoc loco Assyrius rex cum tota sua potentia, Domini oblitus, positus est. Tradidit enim eum Dominus in manus fortissimi gentium, nempe Nabuchodonosor, qui tunc temporis tenuis, eo tamen subiecto, toti Orienti postea imperauit. dat quidem Dominus, inquit Propheta, ad sua iussa explenda necessaria: lasso virtutem, & iis qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat. In eum igitur, suis manibus traditum, fecit quodcunq; voluit iuxta impietatem suam, non casu aut temere, sed Domino prouidente, quia eum, ait, abieceram. Quod si specialiùs miseram calamitatẽ eius cernere cupis, contemplare, inquit, arborem pulcherrimam succisam, ac montibus & vallibus prostratam, nidis auium disiectis, & bestiarum confugio destructo. Perinde igitur reges & alieni tyranni, succiderunt eum à fastigio, & sublimitate regni deturbantes, atq; principes eius, duces & fortissimos quosque vt arboris succisæ frondes & ramos solo montium & conuallium æquantes. Atque ita in ruina eius sic contemptui datus est, vt volatilia cœli, hoc est, alienæ gentes tumore scientiæ inflatæ, eius bonis fruerentur, domosque ex ipsis ædificarent: & bestiis terræ, id est, crudelissimis viris ad eorum saturitatem, perinde ac mortua corpora in campo paterent. Vnde iuxta illud Sapientis: Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas: Guilielmus Parisiensis dicit; Diues cuius diuitiæ innotescunt, est sicut cadauer equi vel asini decoriatum, cuius carnes patent canibus, feris, & auibus: propter quod frequentantur ab ipsis, non quidem ad custodiam, aut honorem, aut decorem, sed ad discerpendum, demordendum, & deuorandũ quicquid prætendant exteriùs. Seneca autẽ non minùs scitè dixit: Huiusmodi potentes, comitari frequentiã ad hauriendum lacum. Ex hoc autẽ quod Dominus cõmodum

Psalm. 51. cui titulus est, quid gloriaris.

Esaiæ 40.

Eccles. 5.

repot-

reportat? quòd non eleuabuntur, ait, in altitudine sua omnia ligna aquarum &c. ac si dicat, vt hinc prosperitate rerum non superbire discamus. neque potentes super diuitias stantes erecti, nec cor ipsis apponentes, nimium sibi placeant, vt tanto nobilium & ducum satellitio stipentur: neque efferantur omnes, qui irrigantur aquis, id est, qui diuitiis, vti aquis ad virtutis fructus germinandos, irrigantur à Domino. aqua enim hoc loco teste Hieronymo, pro externis bonis quibus abutuntur homines, accipiuntur, secundum quod Dominus per Hieremiam dixerat: Quid tibi, vt bibas aquas Geon? quod turbidas sonat. & infrà: Quid tibi & viæ Assyriorum, vt bibas aquas fluminum? & rursus Dæmones nè in abyssum, quæ arborem hanc nutriuerat, eos mitteret, petierunt. & per Esaiam: Ecce Dominus inducet super vos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius. Periculum igitur hîc faciant, inquit Dominus, videntes hos in mortem descendere, & in sepulchrum in medio filiorum hominum, id est, vt quilibet è media plebe, iuxta illud: Omnes sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Verùm non mortem corporalem & communem plebeiorum (à qua abhorrent potentes, quasi sublimioris naturæ ipsi sint) sed ipsam secundam & inferni mortem intellige, quæ omnes prauos expectat: quam per vltimam terram & descendere in lacum satis aptè indicat. quod & placet Hieronymo, & Rupertus in Exodum.

Psalm. 61.
Hierem. 2.
Lucæ 8.
Esaiæ 8.
Psalm. 81.
Rupertus super Exodu. libro 2. cap. 31.

Hæc dicit Dominus Deus: In die quando descendit ad inferos, induxi luctum, & operui eum abysso, & prohibui flumina eius, & coercui aquas multas; contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt, à sonitu ruinæ eius commoui gentes cùm deducerem eas ad infernum cum his qui descendebant in lacum, & consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, vniuersa quæ irrigantur aquis: nam & ipsi cum eo descendent ad infernum ad interfectos gladio, & brachium vniuscuiusq; sedebit sub vmbraculo eius in medio nationum eius. cui assimilatus es ô inclyte, atque sublimis inter ligna voluptatis? ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam. in medio incircuncisorum dormies, cum eis, qui interfecti sunt gladio, ipse est Pharao, & multitudo eius, dicit Dominus Deus.

QVAE autem mortem sequantur explicat, vt in fine ipso se quisque viuens contempletur. omnia, inquit, lugent, sacco operiuntur, & fluminum & aquarum irrigationes, opum scilicet, & diuitiarum, quas illi in vita prouiderã, prohibui, atque coercui. Opera enim & diuitias, personas fingendo, per Prosopopœiam, quòd tanto rege carerent, lugere, ac tristari ad rem exaggerandam, facit. Insuper & Libanum, hoc est, Assyriam regionem ipsam lugere facit cùm residuis eius habitatoribus, qui è sedibus suis concussi fuerunt, fatigati præ animi deliquio. quod magis explicans, ait: se commouisse omnes Assyriæ gentes præ timore & stupore, cùm eum, id est, regem suum ad inferos, cum cæteris qui descendunt in lacum deduceret: ecõtrà verò nobiles eius prius vita functi, qui vt ligna voluptatis & deliciarum egregia, iuxta cedrum suam hîc nutrita fuerant, tanto socio apud inferos consolati sunt: & omnes qui in Libano iuxta eum aquis & opibus alebantur, atq; residui, qui sub vmbra brachij eius sederunt: socij nempè, & adiutores, quibus Assyrius fauere consueuerat, gladio in vniuersum omnes cadent. Quòd si potentiori te ô Pharao sic contigit, cui tu inclyte & sublimis, inter omnes potentes voluptatum & deliciarum amatores te assimilas? quid te vsqueadeò extollis, vt nullius telis occumbere posse videaris? Rupertus verò qui de casu diaboli immediatè, hanc arborem magnam interpretatur, infima ligna simul & egregia, propter humilitatem, qua stabiliti fuerũt, Angelos bonos intelligit, qui inundationibus claritatis, & emanationibus Spiritus sancti, tanquã aquis irrigabantur, atq; ita omni dulcedine impleti, ligna voluptatis fuerunt appellati. *Ecce deductus &c.* tibi caue, ait Dñs: nam proculdubio cũ aliis regibus voluptatis amatoribus, ad infernũ descendes: atq; vt ita pro certo habeat, ac si iã sepultus esset, verbo præteriti vsus est. & addit in medio incircuncisorũ, cum eis, qui interfecti sunt gladio: quia omni crudelitate & cordis ferocia ipsum è

Rupertus super Gen. cap. 28.

medio

medio tollent, talísque erit exitus Pharaonis, omnísque eius florentis status, Domino, vt sibi consular, prædicente & nunciante, qui nec fallere potest, nec verbo suo deficere. quod sibi dictum omnes reges, potentes, diuites, delitiarum & voluptatum amatores & ambitui seruientes intelligant: nam periit eorum memoria cum eorum sonitu. Psalm. 9.

CAPVT XXXII.



T factum est duodecimo anno, in mense duodecimo in vna mensis, factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari, & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum.

PRAECEDENTIBVS tribus sermonibus impensiùs satis regis Pharaonis interitum, pœnas & flagella, quæ ob sua delicta illi impenderent, prædixit: nunc autem grandi sermone, vt eum commoneat, & destructionem Hierusalem, quę duodecimo Sedechię anno contigit, oculis subiiciendo, vt suum etiam casum præsentem videat, & veluti super confecta iam re, quòd bona tot amiserit, lamentum assumere iubet Dominus Prophetę. & aduerte quòd anno, & mense duodecimo vastatio facta fuit, quia completa eius malitia: quam absolutionem & perfectionem numerus iste, ex perfecto numero senario bis repetito, constans, significat; & prima itẽ die illius mensis, qui neq; vnus alius dies, nisi superfluè desidiæ illius seruiens, concedendus fuit. vna enim & prima (quia vnitas primum numeri locum obtinet) apud Hebræos idem sunt, vt Moyses dixit: Factum est vesper & manè, dies vnus, id est, primus, vt notat Carthusianus. & vna sabbathorum pro prima sabbathorum, id est, Paschæ, dixit Dominus in Euangelio. quod diligenter adnotauit Euthimius: atq; idem hoc loco videtur sentire Hieronymus. Arqui quoniam nunquam manu flagellum Dominus apprehendit ex se, cui misereri proprium est, sed ad instantiam iustitię, nostris peccatis prouocatus, delicta memorando, flagellat, & flagellando memorat. obiicere ergo illi iubet immodicam potentiam, quam exercuerat, nominis famam & gloriá, quam solùm dominando, aucupatus fuerat, dum Leoni assimilatum in præcedentibus, recoliti calliditatem, qua laqueos & insidias suis parauit; duritiam & crudelitatem, qua iniurius omnibus semper fuit; & voracitatem, qua subditorum bona capiendo, eos deglutiit; dum Draconi animali omnium rapacissimo quę in aquis degunt assimilatum fuisse in memoriam reducit. Vnde ad horum animalium ingenium alludens, ex Leonis ingenio ventilare cornu in fluminibus obiicit, quia in regnicolas suos potentiam, vt tyrannus exercuit. dicit autem, in fluminibus, locum pro habitatoribus sumendo. nam multifidus Nilus, totam Ægyptum fluuialem reddebat. Ex Draconis verò natura vitiorum & perditionis sui populi eum reum declarat: quapropter conturbasse aquas, & conculcasse flumina opponit. In illo quidem animali homicidia, rapinas, iniurias omnes contra charitatem proximi, quem præcepto naturali, sicut seipsum diligere tenebatur. & noua etiam obligatione officij, quia pater & pastor ad eos in officio iustitiæ & pacis retinendos, datus fuerat, significauit. In isto verò impietatis arguit, quòd legẽ naturalem & vsum rerum, quas Deus ad eius obseruationẽ suppeditauerat, quibus ad legem Dei positiuam, eiusq; dona accipienda, se disponere poterat, violauit, fregit, ac pedibus conculcando, contemptibilẽ reddidit. Ex dispositione enim loci, quia aquosus erat, vnde fructus & alimoniá corporibus sustentandis pręebat, naturę legem & præcepta animab' in virtute nutriendis, & doctrinę pabulũ, quod & admonitionibus, prędicationibus & conuicinia regis in Dei populo nos vult intelligere. Quę omnia, vt Cetum memorarũ sua magnitudine solum verrens cùm mouebatur, lutulentá & cœnosam aquã reddebat, & sua erectione fluctus excitabat, & vicina quæq; loca arida inundabat, & nociuus incolis erat: Ita rex iste impia sua doctrina perditis vitæ moribus fecit. & vsum diuitiarũ (per flumina enim opes & cuncta naturę adminicula intelligit) pedibus conculcauit, suis prauis affectibus, quos in cæteris pręesse & dominari docuit, repugnante natura, infecit. Quo loco potissimùm nos Dominus ingenium

Gen. 1.

Marc. 16.

ingenium hæreticorum docet, qui salubres Scripturæ sanctæ aquas, suis erroribus pro suo commodo & voluptate, locos ipsis accõmodatos interpretando, nunquam aquam hanc purissimam conturbare desistunt, & gratiarum haustum, adimpletionem præceptorum sanctę matris ecclesię negligentes, eam pedibus conculcando, contemptibilem reddere nituntur. Deinde hos & fratrem quemque, qui tanquam filius prodigus bona sua, hoc est, naturę bona & supernaturalia, per ineffabilem Dei misericordiam ipsi commissa, peccando & viuendo luxuriosè, amiserit, neq; aliud sua vita proferat, quàm Deum offendere, plangendum esse. Pharao equidem dissipans sonat & nudans, & Syriacè vindicans, quę quàm aptè peccatori conueniant, vides. Talenta siquidem ad virtũtem promouendam, ad pœnitentiam exercendam, numinisq; beneuolentiam promerendam, dissipat. veste nuptiali gratiæ & charitatis operum nudat, & ignominiam eius & turpitudinem discooperiendo reuelat. Matth.22 quod contemplari iubebat Ioannes, dicendo Episcopo: Nudus es: atque hinc honoris Dei oblitus, non eius iniurias, sed suas vindicare, primò in votis habet. Apocal.3.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea, & proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te, & habitare faciam super te omnia volatilia cæli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ: & dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua. & irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te. & operiam cùm extinctus fueris, cælos, & nigrescere faciam stellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. omnia luminaria cæli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. Cùm ceciderint vulnerati in medio terræ, ait Dominus Deus: & irritabo cor populorum multorum, cùm induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis: & stupescere faciam super te populos multos, & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, propter vniuersas iniquitates, quas operatus es. cùm volare cœperit gladius meus super facies eorum: & stupescent singuli repentè pro anima sua in die ruinæ tuæ. Quia hæc dicit Dominus Deus, Gladius regis Babylonis veniet tibi, in gladiis fortium deiiciam multitudinem tuam, inexpugnabiles gentes hæ, & vastabunt superbiam Ægypti, & dissipabitur multitudo eius. & perdam omnia iumenta eius, quæ erant super aquas multas, & non conturbabit eas pes hominis vltrà, neque vngula iumentorum turbabit eas. tunc purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus: cùm dedero terram Ægypti desolatam. deseretur autem terra à plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius, & scient, quia ego Dominus. planctus est, & plangent eum: filiæ gentium plangent eum, super Ægyptum, & super multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus.

QVAE manent tormenta Pharaonem, sic contra iussa Dei furentem, suumque populum, atq; quemlibet peccatorem eius vestigia sequentem, iam explicat: apprehendet quippe eum, cùm dies vindictę accesserit, & in infernum, dæmonum domicilia, cum ipsis & multitudine impiarum gentium in æternum cruciandum, detrudet. Qui autem id faciat, audi: cùm magis vitæ floribus delectantur, longiores dies sibi pollicentur suarum cogitationũ funibus magis irretiti, quia vigilias Domin⁹ insomnes ducere neglexerunt; mittit seruos suos, paralysim, apoplexiam, febrem, dolorẽ vehementem, & violentiã hostium pro genere suæ vitæ, qui eos ex ipsa legant, atq; euellant. morbos quidẽ in hac re seruos & ministros esse Dñi, confessus est Centurio ille, cuius fides tãtopere à Christo Iesu nobis fuit commẽdata, quando dixit: Dic tãtum verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate cõstitutus, & di-

Matth. 8. & dico seruo huic, vade, & vadit; & seruo illi, fac hoc, & facit. Deinde verò cum Iudæo, hæretico, & peccatore impœnitente, qui legi Domini singuli suo modo colla subduxerunt, id violata iustitia requirente, regula fidei quam professi sunt Apocal. 21. examinati & conuicti ardentis stagni habitatores deputabuntur: gentes verò,quę legi & Christi Euangelio se submittere repugnarunt, nullo examine præuio, iuxta illud Domini: Qui non credit, iam iudicatus est; in eundem locum ilico descendent. Quod cum Pharaone eiusque populo hîc factum legimus. Nam reti expanso capitur: erat enim inter fluenta Nili aquarum habitator, ideo sub metaphora piscis in sagena & reti seu hamo prenditur. Captus autem cum toto suo populo interfectus, insepultus, volatilibus & bestijs terræ in cibum expositus manet, neque quouis loco, sed in eminentioribus montibus, nempe,& collibus multitudine populi impletis, vt publici grassatoris, publica iustitiæ exequutio, in conspectu omnium gentium fiat: tam atroxque erit calamitas, quòd sensus eius vsque ad cœlum pertinget. nam & luminaria eius nubibus, vti pannis luctuosis, ait Dominus, obducam, ac veluti mœrentia reddam, tenebrisque terram implebo. gentes exteræ, ad quas contriti confugerint, illis irascentur, neque suffugium solitum inuenient, quia irritabo, siue commouebo, inquit, cor earum. Reges super tanto malo obstupescent, similem ruinam timendo: & volante siue coruscante gladio inimicorum in die ruinæ, tantum abest, vt regi defensioni sint, quod nec vitæ suæ siue animæ, præ timore & pauore erunt. Itaque Rex Pharao toto suo regno in die suæ vastationis cœlum contrarium habebit, exteras gentes, vindices, cernentes Ægyptię superbiæ casum, Reges finitimos,qui trementes manus contrahent. & incolæ pauore correpti propriæ vitæ non sufficient nedum alterum iuuare. Quoniam verò seruum quem ad hæc missurus erat, rete & sagenam,nimis obscure appellauit, Nabuchodonosor cum suo exercitu robustissimorum hominum esse statim explicat: qui superbiam omnem Ægypti vastabit, mirabiles pyramides, & fastigiosa ædificia, solo adæquando, omnemq; nobilitatem cum tota multitudine plebis deijciendo, & iumenta ipsa, quæ pascuis irriguis, carpere solebant, perdendo, vt nec pes relinquatur, qui aquas inuertere valeat. Quo peracto, inquit Dominus, limpidissimas ac pellucentes (vt solent esse aquæ quarum fundum pes non tangit) reddam, quod in votis habebat: fluminaque regionis perinde ac oleum flauum defœcatum, omninò auri colorem referens, fluere faciam; atque ita me Dominum agnoscent: & fulgentiùs quidem quàm oleum, ac extensiùs fluenta diuina sacramentorum in ecclesia Catholica decurrunt, quam hîc Dominus obumbrabat. & tandem vti thema, repetendo ait: Hic est planctus, & lamentum quod initio proposuit, à Propheta assumendum,& quod omnes lamentabantur, & potissimum oppida gentium, aut gentium mulieres, quæ vt teneriores ad lacrymas proniores existunt. & hæc sunt mala, quæ iuxta Domini sententiam, Ægyptum apprehenderunt in tempore: per quæ procul dubio Spiritus sanctus miserias inferni designauit, atque intimauit. Quod luce clariùs ex phrasi ipsa colligitur. Primùm, quia operiatur cœlum, nec lumen det suum terris; quod in si-
Matth. 24. gnum iudicij protulit Dominus Christus Iesus, quando in potestate & maiestate magna ad iudicandum venerit. Deinde per desertionem omnium, quia omnia quæ in suum ministerium hic praui habuerunt, contraria habebunt, cœlum potissimùm & terram a quibus sicut nec ab homine subsidium aliquod sentient. & tertiò ex publicitate punitionis,quam ad gentium, & totius mundi exemplum, in montibus & collibus locis eminentibus super terram posuit; vt publicum illū subterraneum carcerem, omnibus prauis constitutum, sanè exponeret. & quartò quod allegoricè hîc Dominus loquatur, vt quod per historiam, Spiritum intendat, planum facit. quod in fine sermonis dixit: interfectis hominibus & iumentis, purissimas aquas futuras, & flumina oleo fluxura: per illud quidem doctrinam Euangelij significando, cùm suo sanctissimo aduentu in carne, mundi Dominus iudicium fa-
Ioan. 12. ceret, ad quod naturalis lex respiciebat, & Scriptura vt pædagogus disponebat. per hoc autem, charitatis fluenta per dilectionem Dei, in ipsos proximos (quæ oleo in Scriptura comparantur) decurrentia: non solùm prædicationem ipsam Euangelij communicando, sed & bona ipsa opum & diuitiarum, in subsidium, quæ per flumina

flumina ab vno loco ad alium labentia, significantur. & aptè sic quidem, post fluenta sacramentorum memorata: Nam sicut fluminibus Nili vitæ necessaria incolis subministrabantur, ita communicatione bonorum inde captorum, cibi altrici facultate parantur. nec pertinaci, & historiæ capitoso, olei flumina aliquando decurrerũt.

Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens. Fili hominis cane carmen lugubre super multitudinem Ægypti, & detrahe eam, ipsam & filias gentium robustarum ad terram vltimam, cum iis qui descendunt in lacum.

EXPEDIT prædicatoribus nonnunquam sermonem totum ad reges conuertere, exemplo Ezechielis instructi à Domino, qui Pharaoni supra tota oratione loquutus est. nunc autem collecta multitudine decima quinta die mensis, quæ prima azymorum erat, si mensis memoratus fuit primus: aut si septimus, ad festum tabernaculorum celebrandum, ad eam carmen etiam lugubre sumere iubetur, id est, sermonem habere tristem, ad luctum & mœrorem prouocantem. Carmen autem est totam plebem & multitudinem Ægypti, cum filiabus magnificorum ac illustrium quarumcunque gentium, in profundum inferni detrudendam, ac deiciendam forte. Etenim mors illa, & vastatio per regem Babylonis, quam sustinuerunt, secundum mortem inferni, hoc loco aperte significauit; quod plane Spiritus sanctus innuit, cùm terram vltimam & lacum eum appellat. Primum enim peccatores in terram descendunt, quæque terræ corpori consentanea amplectendo: deinde cum in sepulchris conduntur, & tandem in vltimam terram, quæ medium mundi est, vbi carcer inferni est constitutus. Quam vltimam terram. amplius explicando lacum eam appellauit, quando ait: cum descendentibus in lacum, planè infernum intelligens: tum ex phrasi, cum descendentibus inquit; insinuans plures illic non descendere: at in foueam & sepulchrum in vniuersum omnes homines per mortem corporalem descendunt. tum etiá, quia ex sententia Hieronymi, lacus hoc loco idem quod cisterna sonat, quæ quia aquas refrigerat, & omnem adimit calorem, infernum significat: ac proinde, has nullus nisi peccatores in scriptura fodere dicitur, vt Ozias rex leprosus qui turres superbiæ ædificauit, & lacus fouit: ac de similibus inquit Hieremias: Foderunt sibi lacus, id est, cisternas, quæ aquas continere nó possunt. & plane Dauid suum plangens peccatum, dicit: Assimilatus sum cum descendentibus in lacum. Qui enim aliquibus assimilatur, plures dissimiles intelligit: at si sepulchrum & sepulturam intelligeret, cui non erat assimilatus? Cum ergo peccatú plangeret, his dicit se assimilatum in vita, qui punitionem illam postremam subinnt, & qui ad eam per peccatum properant. 2.Paral.26. Hierem. 2.

Quò pulchrior es descende, & dormi cum incircuncisis, in medio interfectorum gladio cadent; gladius datus est. & attraxerunt eam, & omnes populos eius, loquentur & potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliaribus eius descenderunt, & dormierunt incircuncisi interfectique gladio.

NVDVS enim prout in proprio corpore gessit quisque à Domino iudicabitur, nõ genus, non potentia, non nobilitas, non diuitiæ, non fauores, quæ in hac vita, delicta & peccata apud iudices & gubernatores hominum obtendere atque obducere solent, cuiquam ibi patrocinabuntur. sed nudi & his omnibus spoliati, & etc. tricious manifesti. (vt dixit etiam quidam prophanus mox legislatores Minoem, & Rhadamantum venerando iudici Domino comparebunt, ea profectione discernentur. Plato in Gorgia.

Quapropter, inquit, quo pulchrior & elegantior es rex Ægypti, siue quasque alias fueris, vt gladio inimicorum per mortem corporalem casurus, ita & in infernum cruciandus descendes: vbi quo splendidior tibi in peccando fuisti, ita tormenta maiora patieris, iuxta illud: Quantum glorificauit se in delicus, tantum date ei tormentorú. Apocal.18.

Porro, quoniam nobiles ægre ferre solent cum plebe & cæteris hominibus cõnumerari: cum incircuncisis, & in medio rursus interfectorum. & tandem duces & fortes

hominës in bello, & potentissimos quosque principes, apud [illegible] suspici, æstimari, & cel[illegible]rari o[illegible]nixe in vita studuerunt, cont[illegible]tores habe[illegible] qu[illegible] & gloriam suam expr[illegible]b[illegible]abunt, & dicteriis insultab[illegible]nt. Q[illegible]niam hi omnes incircūcisi, at, descend[illegible] u[illegible] [illegible]rnum cum aux[illegible]tor[illegible] [illegible]is. Vbi vero cortice historiæ vides prostratum [illegible]gypti regem cum sua multitudine, & alios principes gentium corpo[illegible] al[illegible] a Domino, [illegible] gladius & potestas ad efficiend[illegible] N[illegible]uchod[illegible]nosori regi Chaldæorum commissa fuit: ita & in infernum omnes detrusos esse spiritaliter, ad animarum c[illegible]cia[illegible]m manifeste docet. c[illegible] & strage B[illegible]bylo[illegible] a præuent[illegible]s, excipientes regem Ægypti cum suo populo, irrisores & insultatores futuros esse, prædicit, quod [illegible] sepul[illegible]ra corporum, omnino ne[illegible] [illegible]t int[illegible]ligi. Sed di[illegible]c[illegible]tatem ingerit, quando dicit Ægypti regem descensurum cum circuncisis, & deinde principes alios ge[illegible] [illegible] tui ibi deturbat[illegible], qu[illegible] in[illegible]cuncisi fue[illegible]: [illegible]m in populo gentium non circunciderentur, nec [illegible]lus absque Christi I[illegible]su fi[illegible]e contingere po[illegible] [illegible]x qu[illegible]iam argumentum [illegible] ad [illegible] naturali absque a[illegible]oan[illegible] [illegible]mines posse saluar[illegible] [illegible]nonal[illegible]d fecisse Christum le[illegible]um, nec E[illegible] det[illegible] [illegible]m a[illegible] [illegible] natural[illegible]m [illegible], h[illegible] reducere. quod [illegible] ç auctori at[illegible] c[illegible] solum [illegible] plur[illegible]us co[illegible], præsertim M[illegible]tano & [illegible]per ang[illegible]stissimo Tr[illegible], & pl[illegible] Romanorum decretis. Verum nec ex hoc loco oc[illegible]sione [illegible] de[illegible] [illegible] dctum[illegible]r. difficu[illegible] [illegible] c[illegible]dit Hie[illegible]onymu[illegible], quod spi[illegible] [illegible] cst [illegible] tropo de peccatoribus impœnitentibus intra [illegible] & p[illegible]p[illegible]ium in[illegible] g[illegible]um d[illegible]it [illegible] qu[illegible] iter ac non baptizari, [illegible], & [illegible] gladio dæmonum in inf[illegible] t[illegible]a[illegible]entur. qu[illegible]adm[illegible]od im hæ[illegible] [illegible]s, [illegible] stati, Sathanæ item & [illegible]ferni, [illegible]. Alij dicunt, [illegible] sianus non omnes gentes tempore [illegible] periisse, quæ erant extra p[illegible] [illegible], [illegible]d quæ inci[illegible]cun[illegible] fue[illegible]ant corde quod [illegible] on pl[illegible]cet, [illegible] al[illegible]; Chri[illegible] fide nulli vnq[illegible] patere potuit aditus a[illegible] nisi ipsam intelligit per circuncisionē cordi[illegible] naturali disponent[illegible], a D[illegible]mino dona[illegible]: semper enim supernaturale donum necessarium fuit ad animum in Deum at[illegible]llendum, ipsumque am[illegible]tia con[illegible]du[illegible] n[illegible]c na[illegible] [illegible]tas homin[illegible], ne[illegible] al[illegible] legis [illegible]ructi[illegible], quantumuis integra [illegible] v[illegible]uam præstare suffecit: Quoniam intra limites natu[illegible] semper man[illegible] [illegible] e[illegible]d [illegible] a[illegible]e, ne[illegible] ad id al[illegible]ate pot[illegible] [illegible] [illegible]onum [illegible]d gloriæ [illegible]perc[illegible]s, supra naturam constitu[illegible] fuit. Qua[illegible]pr[illegible] & [illegible] supernaturali dono [illegible] m[illegible], [illegible] in Deum eleuatus fuit. Qu[illegible] & Scriptura [illegible] non siluit, dicēdo: C[illegible]t De[illegible] hominem rectum, id est, [illegible]litudine [illegible] a se erectum & ad diuina corrob[illegible]tum. ex ipsa enim constitutione naturali curui sunt hominis [illegible]s in c[illegible]p[illegible] pr[illegible]m, cu[illegible] pr[illegible]res dat[illegible] sunt. A[illegible]a verò ad diuina, & [illegible]ra propensa. quod & ethnicus dixit: Anima semper ad optima deprecatur. Vbi vides animam a[illegible] immortal[illegible] con[illegible]on[illegible] [illegible]rare [illegible] vero, vt e[illegible] corporis ing[illegible]um, ad corruptionem properare: quod & [illegible] explic[illegible]us etiā di[illegible], a[illegible] qu[illegible] mort[illegible] d a corr[illegible]pt[illegible] separari. sed ex [illegible]ostris, beatu[illegible] Augu[illegible] ap[illegible]te [illegible], absque iustitiæ don[illegible] in con[illegible]ne hominis cur[illegible] & se[illegible] ip[illegible]m [illegible] [illegible] quip[illegible] eandem ca[illegible] nō ex[illegible] [illegible] a[illegible]siniam esse, ta[illegible] post pecc[illegible]cœpi[illegible]e nasc[illegible] qu[illegible] ne[illegible] ne ita creatus est Ad[illegible]m, neque a[illegible] [illegible]m [illegible] ex quibus [illegible] ipsa natura magistra, hæretici dis[illegible] digito la[illegible] [illegible] ni redem[illegible] mihi planius [illegible]us literæ v[illegible] [illegible] nam [illegible] stationem ob[illegible] derisores apud inferos ext[illegible] [illegible] nomi[illegible]ar di[illegible], quia mortui sunt gladio [illegible]. Nam tanquam aditum a[illegible] Dei co[illegible]nitionem eo tempore circuncidi [illegible] populo numerari intimat. Quapropter & dans præceptum Abrahæ [illegible]cisionis, omnem seruum vernaculum & emptitium, & omne quod [illegible] sua non esset, circuncidere iussit: vt insinuaret sane [illegible]tes circu[illegible]as, quæ saluari vellent, & cunctas aduenientes circuncisione recipiendas fore. atqui

quòd

Eccles. 7.

Aristot. 1. Ethic.

Arist. lib. 2. de Anim. Aug. epist. 7. ad Marcellinum.

Gen. 17.

quòd non fecerint, illis Dominus hic exprobrat, & damnationem quam incurrerint, manifestat. imò idem inculcando dixit: Descende cum incircuncisis. non supponendo ipsum fuisse circuncisum: nec corde, nec opere, sed mortem æternam animæ indicans cum cæteris qui circuncisi non erant, quia a communi damnatione Gen 17. cæterorum, & à lege lata, qua masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit anima illius de populo eius, non erat Pharao excipiendus, quantumuis rex foret, & florentissimo statu degeret. hæc enim lex data fuit in tempore legis naturæ Abrahæ. atque hinc omnibus fuit promulgata. quamobrem vniuersalem propositionem præmiserat: Circuncides omne, quod non est ex stirpe tua. Vnde ab hac lege nemo excusari potuit, nisi forsan ignorantia, qua finitimi neutiquam laborare potuerunt, ob quod sic à Domino reprehenduntur.

Ibi Assur, & omnis multitudo eius, in circuitu illius sepulchra eorum, omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio, quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci, & facta est multitudo eius per gyrum sepulchri eius, vniuersi interfecti, cadentesque gladio qui dederant quondam formidinem suam in terra viuentium.

POTERAT Pharao spem protendere, quòd quam plures potentissimos reges, & propè innumeros sui moris populos haberet, quos in omni necessitate auxiliatores futuros confidebat. & item quòd dij sui, quorum omnium sua causa erat, ipsum tuerentur, ac defenderent. quod dux Senacherib aliquando populo Iudæorum obsesso, dicebat: An ignoratis quæ ego fecerim, & patres mei cunctis terrarum populis? nunquid præualuerunt dij gentium omniumque terrarum liberare regionem 4. Reg. 18. 2. Paral. 32. suam de manu mea? quis est de vniuersis dijs gentium, quas vastauerunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, vt possit etiam Deus vester eruere vos de manu mea? quod fastosus & ventosus sane quisque peccator, in multitudine diuitiarum suarum, & in idolo suæ superbiæ confidens dicit, diem sui casus nunquam recogitans. Quapropter omnes morte violenta corporali casuros, & secunda animæ, in inferno, vltima terra, & lacu, prius sepeliendos annuntiat. Atque in primis Assyriorum regem, & potentiorem cum omni suo populo, in sepulchris, siue locis tormentorum, ipsis conuenientibus, recenset. Vbi aduerte sepulchra data fuisse interfectis gladio, sicut & regi: vt plane intelligas loca & mensuras tormentorum in inferno hic designari, cuique accommodatas. si enim de casu in bello solum meminisset, superflueret sepulchrorum memoria: siquidem inhumata bestiis & volatilibus, (vt probe ante dixit) relinquuntur. Deinde voluptatum ac socios criminum in hac vita in inferno tortores, ac carnifices futuros prædicit. Hac quippe ratione, populi, qui delectationi & delicijs regi in hac vita seruierant, in circuitu eius ad conspectum, vt sic magis tristetur, collocantur. Et tertiò causam suæ miseriæ subiicit, quòd terrori & formidini fuerunt terræ viuentium, id est, quoniam populo Dei timorem incusserunt, molesti, ac importuni fuerunt bellis & iniurijs. Vide quanta eos maneant tormenta, qui Ecclesiam Dei continuè affligunt & dilacerant: imò & ipsos prauus Christianos, qui studiosos ac iustos infestant, persequuntur, ac in omni vitæ momento scandalo ipsis esse procurant. terram enim viuentium hic Ecclesiam appellari astruit Diuus Hieronymus, vt hæreticorum, ait, conciliabula mortuorum esse iudicentur. & pulchrè sane; vt non solum horum conuentus, sed & gentium, aggregationes mortuorum etiam censeantur. siquidem extra Ecclesiam nulla est salus, nec æternæ vitæ aditus vllus; omnes quandoquidem qui sunt in peccato mortui sunt, dicente Domino adolescenti: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos: Math 8. & rursus venit hora, & nunc est, quando mortui, id est, qui in peccatis sunt, audient Ioan. 5. vocem filij Dei, &c. Et Paulus de deliciosa vidua dixit. Quę verò in delicijs est viuēs 1. Timot. 5. mortua est in carne viuens, spiritu mortua est. in quem locum Augustinus sic legit: quæ verò in delicijs est, mortua est. Græci ita distinguunt, ait, vt duo contraria coniungant, viuens mortua est, quasi dicas: viuens non viuit. Propterea Hilarius: Apostolus scit quasdam mortuas viuere, id est, dum viuunt iam esse mortuas; carne viuens vidua, mortua est spiritu. nec existimandi sunt viuere qui carni, non Deo viuūt, cum extra pietatem vita non sit.

Ibi Elam, & omnis multitudo eius per gyrum sepulchri sui, omnes isti interfecti ruentesque gladio, qui descenderunt incircuncisi in terram vltimam, qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam, cum iis, qui descenderunt in lacum, in medio interfectorum posuerunt cubile eius in vniuersis populis eius in circuitu eius sepulchrum illius. Omnes hi incircuncisi interfectique gladio, dederunt enim terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam cum his, qui descenderunt in lacum, in medio interfectorum positi sunt.

SECVNDO loco Elam, id est, regem Persarum cum suis populis annumerat; qui & morte violenta ceciderunt, & incircuncisi descenderunt in inferni lacum, portantes ignominiam suam. Elam equidem, teste Hieronymo, ascensus eorum interpretatur. atque ita Persæ in superbiam Sathanæ ascendentes, semper in vita, sua elatione immaniter incusserunt timorem terræ viuentium, vt supra explicatum est: iactabant se circuncisos esse, vt gloria populi Dei non carerent, non tamen erant, sed incircuncisi mortui sunt, & omnibus vitiis implicati in infernum sepulti: hoc de circuncisione dicit Hieronymus. Quod si non placet, dic exprobrare illis, quòd non fuerint circuncisi. Vnde planè absque alio examine in infernum detrusi sunt, vt qui fidem non haberent, nec charitatis, & pœnitentiæ operibus, cordis peccata mundassent. Et rursus, quoniam inter nationes varias gloriosi habiti fuerunt, ignominia, confusione, deiectione, cum his etiam, quos ipsi interfecerunt, tormentis succumbunt. Quapropter portare ignominiam suam, & in medio interfectorum positos esse dicit: quòd & communem inferni locum non mediocriter hîc intelligi persuadet. in eo siquidem æquantur & coadunâtur victores & victi, non autem quando hi interfecti sunt, illi verò euaserunt. Præterea, quia ditioni Assyriorum, Persæ connumerabantur (vt hic Hieronymus docet) qui potentissimi fuerunt, & deliciosissimi, vt supra narratum est: Ad hoc Spiritus sanctus alludens, per angelos (intellige prauos) iustitiæ Dei exequutores, cubile siue lectum appositum esse dicit, tormentorum scilicet, vniuersis populis eius, id est, pro ministerio, quod omnes populi eius, in vita suppeditabant: aut vniuersis populis eius spectantibus, quo grauiora illi tormenta redderentur. neque ipsi spectatorum solùm personas gerebant. nam simul etiam suas luebant pœnas. Quocirca subdit: & in circuitu eius sepulchrum illius, hoc est, circunfusi erant, sua item tormenta patientes. Et sepulchrum pro sepulchris positum est, singulare pro plurali, Hebræorum more. Vbi superbi & deliciosi reges cum suis fautoribus discant ministerium, quod ipsos in Inferno expectat, & stipendium quod eorum asseclas, & assentatores manet.

Ibi Mosech, & Thubal, & omnis multitudo eius in circuitu eius sepulchra illius. Omnes hi incircuncisi interfectique, & cadentes gladio, quia dederunt formidinem suam in terra viuentium, & non dormient cum fortibus, cadentibusque, & incircuncisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos super capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viuentium. Et tu ergo in medio incircuncisorum contereris, & dormies cum interfectis gladio.

Gen. 10. MOSECH serpens interpretatur, & Thubal orbis siue mundanus, filij fuerunt Iapheth, & ab illo Cappadoces, ab isto Itali aut Iberi secundum alios descêderunt. atque ob id loco principum & regum ponuntur, quos sepultos in inferno cum sua multitudine circunfusa, propter rationem positam, narrat. Ceciderunt item sicut præcedentes incircuncisi: insinuans populo Dei, qui in sinu Abrahæ collectus expectabat in quiete aduentum Domini: ob hoc, connumerari non posse, iuxta promulgatum edictum: Masculus cuius præputij caro circuncisa non Gen. 17.

fuerit,

fuerit, peribit de populo meo, &c. nam populi huius in expectatione detenti, potissimum mentio fieri videtur. Causam etiam exhibet suæ dãnationis, quia infesti fuerunt terræ viuentium, id est, populo suo: in quo cætera eorum flagitia includuntur. Notat tamẽ omnes fortes, quos tanquã heroes celebrabat, ac colebat gẽtilitas, licet non morte violenta in bello, sed naturali, & cum pompa sepulti sunt: similiter & in inferno iacere, quia incircuncisi fuerunt, & terrorem incusserunt terræ viuentium. Et quoniam iniquitates omnes, in ossibus, hoc est, in fortitudine & robore, tot labores bellicos, ob suam gloriam sustinentes, perpetrarunt. Nec confidentia in propriis armis, & malitia sua dicendo: Non est qui videat me, vt me possit scilicet prohibere, poterit eos liberare: nec diligentia rursus, qua insomnes noctes transibant, capitibus armis suppositis, eos quicquam ad euasionem lacus infernalis adiuuit. Vt hinc quos Deos venerandos & colendos assumeret, gentilitatem doceret; & Pharao sibi prospiceret, & aliorum malo cautus, vitam suam ad Dei laudem infrænaret. Quapropter in malitia perseuerantem, morte violenta & non naturali, vt illi quos deorum numero referebant, cum incircuncisis conterendum, ac confringendum, bello prædicit, vt Deum sibi loqui intelligat futura prædicentem.

Ibi Idumæa & reges eius, & omnes duces eius qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio, & qui cum incircuncisis dormierunt, & cum his, qui descenderunt in lacum.

IDVMÆA ab Edom dicta, quod Esau quoque nomen fuit, regio Syriæ connumeratur, quę iuxta nomen suum, quod populus terræ aut sanguis vertitur, bello semper vixit, terrenis inhians, neque ob id sanguini hominum parcens, in inferno sepulta est. Quia eius duces & reges cum omni fortitudine sua, & exercitu feroci nõ obstante, positi sunt inter occisos gladio: & tandem cum incircumcisis etiam in terra vltima & inferno sepulti. Meminit autem solùm ducum: vt in vniuersum à princi- Gen.36. pio, quando Esau cœpit habitare Seir, gens & posteritas eius, quæ primùm ducibus, deinde regibus (vt refert Scriptura) gubernata fuit, infernorum incola intelligatur.

Ibi principes Aquilonis omnes, & vniuersi venatores, qui deducti sunt cum interfectis pauentes, & in sua fortitudine confusi, quia dormierunt incircuncisi cum interfectis gladio, & portauerunt confusionem suam cum iis, qui descendunt in lacum.

TANDEM Babylonios, & principes omnes Chaldęorum, cum Sidoniis qui enumeratas omnes prouincias sub Syria superauerant, pœnas in inferni ignibus dederũt. ob certitudinem prophetiæ de re futura acsi iam executioni mandata fuisset, loquitur: & vt rem etiam magis, ad cauendum præsentem faciat. Hi siquidem omnes deducti per mortem violentam in bello cum interfectis, id est, similiter vt illi quos ipsi interfecerant, incircuncisi etiam, cum reliquiis gladio raptis in infernum descẽderunt: & bene verbo, deducti, vtitur, nam impiorum mors via est, qua ad infernum iter arripiunt. Quomodo autem hi terrori atque formidini cunctis nationibus fuerunt, & sua fortitudine confisi subiugare mundum præsumpserunt, magnaque gloria & nomine semper victuros & triumphaturos sperarunt, omnia his contraria cõtigisse, narrat. vt mundi ventosas pollicitationes hinc omnes principes discant: quãdoquidem hi cum formidine sua (quam scilicet aliis intulerunt) & cum confidentia roboris sui, qua cùm in mediis conatibus destituerentur, omnisq; desereret fortitudo, maximo pudore suffundebantur, & loco gloriæ omnem ignominiam ac cõfusionem iuxta sui nominis interpretationem portantes, deiecti & prostrati à sacro vate referuntur.

Vidit eos Pharao, & consolatus est super vniuersa multitudine sua, quæ interfecta est gladio, Pharao, & omnis exercitus eius, ait Dominus Deus. quia dedit terrorem suum in terra viuentium, et dormiuit in medio incircuncisorum cũ interfectis gladio, Pharao et omnis multitudo eius, ait Dñs Deus.

Hæc omnia Prophetæ prædicare iuſſit Dominus Pharaoni, vt vel timore, qui
primum pœnitentiæ gradum præſtat, ad ſe reuerteretur, Deumque ſic agnoſceret,
1.Petri 5. ſub omnipotentiq; manu eius humiliaretur. Etſi enim multis aliis viis Deus homi-
nibus abſolute manifeſtari poſſit, reſpectiuè tamen ad probandum diuinos honores
non dæmoni nec vllie creaturæ eſſe exlubendos (quòd nullam diuinitatis rationem
participent) vnum argumentum eſt, idque violentum: noſſe ſcilicet futura omni-
nò extra cauſas ſuas poſita. hæc enim cognoſcere proprium eſt Dei, qui in ſua pote-
Matth. 9. ſtate, & præſcientia omnia habet, & cauſas & eorum euentus. Atque hinc Chriſtus
Ieſus redemptor noſter probans ſe eſſe Deum in murmuratione Phariſæorum,
quando paralyticum ſanauerat, cogitationes quas in corde verſarent aperiendo, o-
ſtendit. per Prophetam hoc idem corroborauit, dicendo: Priora ex tunc annuntia-
Eſaiæ 48. ui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: tempore operatus ſum, & venerunt:
ſciui enim, quia durus es tu & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea: prædi-
xi ex tunc antequam venirent; indicaui tibi, ne fortè diceres: idola mea fecerunt
hæc, & ſculptilia mea, & conflatilia mea mandauerunt. Futura enim poſita, latent
Daniel. 2. omninò dæmones; vt circa interpretationem Nabuchodonoſor, ipſi arioli & magi
confeſſi ſunt. Quapropter enarrata omnia, multò antè futura hic reuelauit Domi-
nus Pharaoni. Verùm quia ferreus erat, non audiuit: viderat enim iam Hieruſalem
Eſaiæ 19. vaſtatam, ſicut prædictum fuerat per Eſaiam, quando hæc Ezechiel nuntiabat. & è
veſtigio ſuam deſtructionem timere debebat, quæ ſimiliter prædicta fuerat. Vidit
Eſaiæ 19. tamen malo ſui capitis: nam gladio cecidit. & cum omnibus recenſitis in inferno
ſepultus eſt. Sed & ibi conſtitutus eum vniuerſa deſcripta multitudine lætatus eſt.
in quo non mediocris oritur difficultas, cum nullum apud inferos ſolatium ſit.
Lucæ 16. imò & diuitem illum legimus Abrahamum rogantem, vt fratres ſuos admoneret,
ne ad illum tormentorum locum deſcenderent. non ergo ſociis damnati lætantur.
Quod Hieronymus approbare videtur, cum complices peccatorum in hac vita tor-
menta augeant maiora, cui ſeruierunt. hoc enim probat diuitis petitio. Dicendum
ergo eſt, lætatum fuiſſe, dum videret vniuerſam multitudinem dictarum gentium
ſimilis vitæ & cultus deorum. atque ita prophetiam irriſit, & Dominum contem-
pſit, maiores animos ad ſuos errores conſectandos concipiendo. quò enim multi in-
Pſal 109. clinant, lætum iter ſolet agi. ſed cauendum eſt: Nam proculdubio hæc via ad per-
ditionem ducit: ob quod dictum eſt; Côquaſſauit capita in terra multorum: id au-
tem quod ſequitur, deſcendere cum incircuncíſis, quia terrorem dedit in terra vi-
uentium, refert Hieronymus ad regem Ægypti cum ſuo pópulo, qui populo Dei in-
feſtus fuit, ſicut cæteri, & ſic incircuncíſus periit. & per tropum quinque ſenſuum
furiam fugere nos admonet, qui vitam animæ indomiti, tollunt. ob quod dicit:
quinquies, terræ viuentium, in hoc Catalogo perditorum regum, meminiſſe.

CAPVT XXXIII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra cùm induxero ſuper eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouiſsimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem, & ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem quiſque ille eſt, ſonitum buccinæ non obſeruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum, ſanguis ipſius ſuper caput eius erit, ſonum buccinæ audiuit, non ſe obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit. Si autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſaluauit. Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus non ſe cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidē in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris exquiram. Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me: ſi me dicente ad impium: Impie morte morieris, non fueris locutus, vt ſe

custo-

custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. sin autem annunciante te ad impium, vt à viis suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur, porro tu animam tuam liberasti.

POST longos sermones cum gentibus habitos, nunc iam oratio Prophetę ad populum Israël conuertitur, docentis, prædicatores & pastores ita exteros admonituros, vt proprias oues & subditos, qui suæ sunt curæ traditi non deserant: ne ipsi neglecti peccent. Primùm enim sua salus cuique commissa est: quod in sua persona obseruauit Paulus, dum aliis prædicando, timens, nec sui oblitus, dixit: Ego castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. (1.Cor.9.) Torpescere enim solet cor, cùm omnino in externo opere atque in instrumento suo positum, ad se per meditationem mysteriorum Dei & sui cognitionem non recurrit. Suos autem alloquens sic à Domino, vt de officio Episcopi, deque Dei misericordia & iustitia in conuersione & iustificatione peccatoris, est instructus: & tandem de immodica populi confidentia, neglectuq; auditionis verbi Dei sic edoctus disserit. Docuerat enim terrore (qui primus gradus ad Dei cognitionem & pœnitentiam est) ad eos agere, qui populo Dei non fuerant annumerati, nec cælestis doctrinæ pascua in eo degustauerant. Eos verò (qui tot diuinis beneficiis cumulati, eius fidem profitebantur: ob quod & amoris amplexu, atque dulcedine charitatis ad ipsum toto anhelitu properare debuissent, tantùm abest, vt malo per timorem reuocandi venirent, imò quòd similiter ac ethnici pauore negotiarentur, pudefieri debuissent) non nisi obedientia pastorum, Dei misericordia & diuini verbi dulcedine sollicitat. atqui quoniam à timore armorum & hostium, ad amorem paternum migrat oratio, sub rei bellicæ similitudine officium Episcopi gregi superintendentis explicat. Etenim imminentibus hostibus, vigil vnus è populo constituitur, qui videns inimicos appropinquare buccina personet, sicque suos ad defensionem & confugium admoneat. Quod si præstiterit, & quisque captus fuerit tanquam negligens suæ vitæ, ipsi sua nex tantùm imputatur: si verò vigiliæ præpositus in officio defecerit, neque hostium accessum buccina personuerit, & captus sit, quia deses, suæ calamitatis reus habetur, & ipse ob officij negligentiam similiter. Perinde ergo dicit Dominus Episcopo in militia Christiana: qui cùm prædicare destiterit, & sermonibus corripiendo & exhortando, vti tuba clangente, ab erroribus, à peccato & vitio peccatorem reuocare non curauerit, in culpa erit, sicut casus. & vterq; iudicium Domini subibit. Si verò docuerit, admonuerit, corripuerit, & ipse sui negligés perierit, sibi imputabitur, & Episcopus quòd suum impleuerit officium, liber erit. (1.Cor.3.) quia vniuscuiusque Episcopi ac prædicatoris opus, ignis tribulationis probabit: & cuius opus integrum & constans manserit, superædificatum opus mercedem accipiet: si autem succubuerit, atque defecerit impœnitens, condemnabitur; prędicator verò saluus erit, igne tamen tribulationis pressus, videns rebelle opus. Sed aduerte aliqua ex hoc loco. Primùm hostium gladium, semper Domini voluntate & speciali prouidentia ad nostram admonitionem & correptionem surgere, & ad feriendum accedere. sic enim ait: Terra, cùm induxero gladium super eam, & cæt. deinde Episcopum non generis nobilitate se efferentem, nec diuitiarũ potentia superbientem, sed officij peritia & virtutum ornatu longe præfulgentem, etsi è media plebe, eligendum esse. Vnum enim de nouissimis constitueris, ait Dominus, in vigilem. (Iacobi 2. Aug. in ep. 29 ad Hieronymum.) Quod tractans beatus Iacobus, vt Augustinus explicat, electorem reprehendit, qui in ecclesia Dei pauperem stare cum vilipendio dixerit, diuitem verò sedere. hoc est, sedem, & magisterium ob diuitias in ecclesia dederit. Tertiò officium Episcopi esse attende, Dei verbo & oratione gregi superintendere, vt in doctrina Catholica purum & castum eum conseruet, ac pro sua virili à peccatorum maculis retrahat: quod oratione à Domino obnixè petendum est. Nam qui calcato mundo & breuibus huius sæculi diebus, suppetias à Domino petierit, lætabitur, & videbit lapidem stanneum in manu Zorobabel. hoc est, videbit fortitudinem Christi tu- (Zachar 4.) entis & defendentis ipsum, sicut stannum cætera metalla defendit ab iniuria ignis in manu sua. Secundariò verò conuenit (quod & per alios facere debet) funes

peccatorum, qui per lites ex inuidia, auaritia, superbia contorquentur, disrumpere. & tandem per mortem hic, æternum inferni supplicium non intelligi docet; quod ex eo manifestum est, quod patriarchas & iustos ad suum populum colligi cùm è Num. 31. medio tollerentur, dicit Scriptura. deinde quòd externas gentes quæ Dei doctrinæ non assueuerant, lacum, vltimam terram dixit nuper recepturam: hîc autem quando populo suo loquitur, lacte suæ doctrinæ enutrito, mortis nomine sepulchrum ipsum significat: vt qui temporalem occubitum, nô mortem, sed ad populum suum colligi existimarent. Vnde & in Euangelio somnum eum Dominus appellauit.

Tu verò fili hominis dic ad domum Israël: Sic loquuti estis, dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo viuere poterimus? dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini à viis vestris pessimis, & quare moriemini domus Israël? tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit; & impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. & iustus non poterit viuere in iustitia sua in quacunque die peccauerit. Etiamsi dixero iusto, quòd vita viuet, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium, & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei, iudicium & iustitiam fecit, vita viuet. & dixerunt filij populi tui: Non est æqui ponderis via Domini, & ipsorum via iusta est. Cùm enim recesserit iustus à iustitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. & cùm recesserit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium, & iustitiam, viuet in eis. & dicetis: Non est recta via Domini, vnumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis domus Israël.

VIDE misericordiam, & iustitiam erga suos Domini. quidam enim, vt qui non aliud, quàm peccare in vita didicerant, tot iniquitatum & peccatorum sarcinis onustos se inspiciendo, desperantes dicebant: Contabuimus in peccatis, præclusa est nobis via salutis: quomodo viuere & remissionem assequi poterimus? & ius ad vitam illam reassumere quæ nunquam finienda est? quibus sub iuramento promittit Dominus gratiam & remissionem peccatorum, adiiciens desiderium suum, quod est, non vt pereat peccator & moriatur, sed vt conuertatur à via pessima per pœnitentiam veteris vitæ. Rom. 6. Vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis, & ipse à peccatorum sepulchro, in nouitate vitæ ambulet, vt dicebat Paulus. Quare, verbi sui pignore dato, conuersi præcipit, & deliquium eorum obiurgans, dicit: Et quarè moriemini, & inferni fauces patiemini? atque ampliores animos & spiritus ingeredo, suum ingenium explicat: peccatum nempe, non peccatorem odit. Quapropter in quocunque ipsum inuenerit, siue in eo qui tota vita iustitia ambulauit, cecidit tamen: aut in eo, qui ne à limine iustitiam salutauit, peccatis omnino subditus, neuter impœnitens liberabitur. neutiquam iustitia præterita iusto suffragante. quia æque per vnum ac per multa peccata Deus ab anima expellitur, & charitas & gratia, quæ ipsi nos coniungit corrumpitur. Vnde discipulus ille, Domini simillimus, peccati stragé Iacob 2. perstringens, dixit: Qui præcepta Domini seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. & si ita sit, quòd magis peccator sit, qui in pluribus offendit, & minus qui in paucioribus, vt longiùs hanc Apostoli sententiam beatus Augustinus Hip- Aug. epist. 29. pon. Episcopus ad Hieronymum explicat. imò quod amplius est, & amplissimű peccatoris

catoris ſolamen, quod iuſtitia iuſti lapſi, nec pœnitentis, obliuioni erit apud Dñm, quia nulla reputabitur, quantum ad mortis euaſionem: iniquitas autem peccatoris quantumuis maximi, pœnitentis tamen, facientisq; iudicium, & iuſtitiam, hoc eſt, tanquam reum ſe condemnantis, proximoque ablatum reſtituentis, non nocebit ei, quia peccata quæ peccauit, non imputabuntur, ſiue non commemorabuntur in commiſſo, vt pro illis damnetur: quoniam pœnitentiæ falce omnia metuntur, cùm vnum ſine reliquis dimitti non poſſit, propter oppoſitionem & contrarietatẽ, quam cum gratia ſingulum quodque ſicut omnia ſimul gerunt. Quod ſi de eo qui poſt aliorum pœnitentiam lapſus fuit ſit ſermo, plane docet hic ſanctus: peccata dimiſſa per recidiuam non reuiuiſcere, vt de nouo imputentur. Quod apprimè notandum eſt. atque rationem Dominus ſubdit: Iudicium, inquit, & iuſtitiam fecit, id eſt, condemnationem eorum, & ſatisfactionem etiam peccati, quã iuſtitia exigebat. Quare vita, ait, hoc eſt, certe gratiam accipiet, quæ vita eſt animæ, & ius æternæ gloriæ. Verùm aduerte quod dicit: ſi dixero iuſto: vita viuet, &c. & ſimiliter, ſi dixero impio: morte morieris, &c. Vbi dicere Domini, non eſt ſuam beatitudinem, aut damnationem, alicui ſpeciali reuelatione renunciare: ſed tantùm ſecundum præſcripta iuſtitiæ dicere præmium, quod iuſto eſt repoſitum, & inferni mortem, atque ſupplicium, quod ex lege poſita, peccatorem manet. Quæ lex quia ineuitabiliter adimplebitur, ea phraſi vtitur, vita viuet, de iuſto loquens: & ruſſus de impio, morte morietur: quæ tantum valent apud Hebræos, ſicut certè ille viuet, & hic certe morietur. hanc autem confidentiam iuſtus accipere poteſt ex lata lege, quam adimpleuiſſe ſibi certus videtur: & etiam vita ipſa abſque mortali lapſu diu acta. Vnde intumeſcere ſolẽt quidã, & laxis habenis ſuo ſpiritui ſe credere, atq; ita in grauiſſima peccata incidere, vt quibus iam omnia liceant: quos illuminatos vulgò appellant. Hos igitur Dominus arguens, omnes iuſtitias eorum obliuiſci ſe dicit, ſi in peccatum inciderint. Vt nullus de propitiatu peccatorum ſine metu viuat, vt inquit Sapiens: Eccleſ. 5. neque quiſquam ex confidentia iuſtitiæ ſuæ ita audax fiat, vt ſe coram Deo iuſtificare præſumat. perinde ergo dicendum eſt de ſententia impij, qua dictum eſt: morte morieris. Sed etſi reuelatio ſpecialis alicui fieret de ſua damnatione, adhuc pœnitentiam agere tenetur, (quicquid nonnulli ſenſerint,) & in nouitate vitæ cum Dei adiutorio niti pro viribus ambulare, certam ſperando ſalutem, quam hic Dominus pollicetur, ſi pœnitentiam egerit, quantumuis certè illi reuelatum ſit: morte morieris. Ioan. 3. exemplo etiam Niniuitarum, quibus facta eſt ſimilis reuelatio, & tamẽ per pœnitentiam mortem euaſerunt. omnes enim huius mundi reuelationes quilibet ſub conditione accipere tenetur: ſi in eodem ſtatu ſcilicet impœnitens ſemper permanſerit: intelligens contrarium bonitati diuinæ repugnare. Ex quibus quis non colligit, indeficientem miſericordiæ fontem nobis Deum eſſe? neque ad iuſtitiam exercendam manum admouere vnquam, niſi exorbitantibus ſceleribus, nos eum millies prius prouocauerimus? Propterea ſubdit: qui dicitis, & in dicterium apud vos euaſit, Non eſt æqua via Domini. Attendite quàm temerè, & abſque ratione. Dicebant enim ſe à Domino repudiatos, & venditos eſſe, nec curam illorum agere, quòd gentibus ſeruire, & calamitoſas miſerias ſubire permitteret: non attendentes inundationem ſuorum peccatorum vindictam petere, inſignemque punitionẽ. Eſaiæ 50. Vnde per Prophetam de ipſis ſimiliter querebatur Dominus, dicens: Qui eſt libet repudij matris veſtræ, quo demiſi eam; & quis eſt creditor, cui vendidi vos? ſed hominum tale eſt ingenium, vt intuitum noſtrum in alios proiicientes, à noſtris iniquitatibus amoueamus: & dum nos miſeros alios felices, nos afflictos, alios liberos videmus, vt à nobis culpam ablegantes, imò & propriam innocentiam defendentes, iniuſtitiæ ilicò Deum arguimus, quod ſi non verbis, factis ſaltem, aut ſenſibus. vide humanam malitiam! quam taxans Dominus, obiurgando dixit: Quid autem vides Math. 7. feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?

Et factum eſt in vndecimo anno in decimo menſe in quinta menſis tranſmigrationis noſtræ: venerat ad me, qui fugerat de Hieruſalem, dicens: Vaſtata eſt ciuitas. manus autem Domini facta fuerat ad me veſpere, antequam veniret qui

ret qui fugerat, aperuitque os meum donec veniret ad me manè. Et aperto ore meo non silui amplius. & factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israël, loquentes aiunt: Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram. nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem. Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis, & oculos vestros leuatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis, nunquid terram hæreditate possidebitis? stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, vnusquisque vxorem proximi sui polluit, & terram in hæreditatem possidebitis? Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Viuo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent, & qui in agro est, bestiis tradetur ad deuorandum: qui autem in præsidiis, & in speluncis sunt, peste morientur. & dabo terram in solitudinem, & desertum, & deficiet superbia fortitudo eius, & desolabuntur montes Israel, quòd nullus sit qui per eos transeat: & scient, quia ego Dominus, cùm dedero terram eorum desolatam, & desertam propter omnes abominationes suas, quas operati sunt.

FASTOSAM hominum cōfidentiam in robore & diuitiis, titulo promissionis & misericordiæ diuinæ hic deprimit. Tanta est Sathanæ astutia, vt religionē ipsam, & misericors Domini ingenium ad capiendas animas suis laqueis obtendat. atque vsqueadeò persuasos suis imposturis habet, vt nouo roboris modo suos custodes, prælatos, & prædicatores, Dominus munire indigeat. Et vt ordinem literæ sequamur, hoc primum dicamus. attende: qui in captiuitate cum Propheta erant, nunquam in animum inducere potuerunt quantumcunque a Prophetis diceretur, Hierosolymam vastandam, nec audire volebant Prophetam hoc prædicantem, existimantes totam religionem sic in interitum ire, promissionesque & verbum Domini deficere: quod blasphemum est. Quapropter ad corroborandum animum Prophetæ, vespere in initio diei (ab ipso enim crepusculo noctis Hebræi diem incipiebant) afflatu diuini spiritus reuelata fuit sibi ciuitatis Hierusalem vastatio. Quare adueniente eiusdem rei nuncio manè, completam videns suam Prophetiam, non amplius siluit: sed maiores animos ad prædicandum, & diuina elogia inuulganda concepit, populo iam è sua opinione prostrato in hac re, vt in cæteris sic seipsos decipere arbitrarētur. atque in simili etiam deceptione tenebantur, qui e gladio in ruinosis, & vastatis illis locis relicti fuerant. Ad id autem, Domini promissionem Abrahę factam allegabant: illam terram nempe daturum sibi in possessionem: quod cùm vnus esset, nec solus terram replere posset, in suis posteris promissionem accipiebant. Atqui cum reliqui mortui & exilio mulctati essent, & eo numero ipsi restarent, qui terram inhabitare sufficerent, & verbum Domini non posset deficere, in suam possessionem ciuitatem reseruatam fuisse, non dubitabant. hic mihi apparet sensus huius literæ: Nam argumentari Iudæos: si Abrahæ vno existenti in hæreditatem & possessionē data fuit, à fortiori nobis, qui plures sumus: (vt omnes communiter exponunt) insolentissimorum argumentum est, & infimè omninò de Deo cogitantium: non aliud, quam sua manu & arbitrio terram illam hominibus, solum vt possideatur donare: ad quod plus ipsi valerent quòd plures, quàm vnus Abraham. His ergo denunciare iubet Dominus Prophetę, omnino desolandos nemine dempto, siue in ruinosis habitent, siue profugi in campis errent, siue in speluncis absconsi permanserint: nam illos gladius, istos bestiarum & volucrum edacitas, & hos tandem pestis absumet: terraque omnino deserta & desolata manebit, vt non sit, qui montes illos, vbi Hierusalem constituta fuerat, pertranseat. Atque ita, inquit: scient Dominum, eiusque ingenium, peccata abominans, clarius percipient, cum propter abominationes eorū ciuitatem suam & templum desolauerit. Quas specialius recenset Dominus, cùm illorum explodit argumentum, asserens terram eam ipsis possidendā per Abraham promisisse in sui obedientia manentibus: sed quòd sceleribus & flagitiis eā retinere

Genes. 17.

vellent,

vellent, & tanquam rem gratam illi faciendo manibus iniquitatibus plenis, sequi ipsum glorientur: & rursum quod pignore sui verbi sustinere ipsos obnoxius sit, & cohonestare, & si illi & voluptatibus viuant: impium fuit ob [illegible] quod eis hæreditatem iuste meruerint. Ait ergo: [illegible] vos transgressi estis legem, cum sanguinem comedendo, in me etiam peccastis, idola & immunditias vestras adorando, & in proximum homicidia perpetrando: Atque hęc facientes terram meam possidebitis? minimè, inquit. neque in hoc vestra quiescit malitia: quod cum sanguinem fratrum non funditis, voluntas tamen non deest, nam ad id parati estis veluti gladiis præcincti. Abominationes quascunque nefandas, & plurimum bestiales voluptates sectamini, neque hac re proximis parcitis, eorum vxores polluendo: & hæreditate possidebitis terrã? minime. Etenim non hæreditates, non possessiones, sed neque vitam ipsam largitur nobis Dominus, vt simus, sed vt rectè & studiose in eius obsequium viuamus, & vt eius amore attracti peccatum odiamus. hoc siquidem docens primum homicidam Cain tam acerba pœna puniuit, quia primum exequebatur lex, vt homines à simili scelere terreretur, vt dicit Theodoretus: postea namque homicidæ non ita grauiter fuerunt puniti. & ob eandem, inquit, causam in tam leui materia, vt in alicuius arboris fructus vnius arboris, cum omnes alii paterent, ostendi potuit, vt facile vitare peccatum posset, quod tam intimo corde Deus abominatur, & tam graui manu vdmissum a primo homine pœna insectatus est. Quocirca maxime detestatur Dominus eos, qui [illegible] misericordiam & promissiones obtendunt, vt peccata sua defendant: quales in hoc loco numerantur, se exhiberant, & similiter eos, qui [illegible] & sui non [illegible] gratia ipsum sequuntur: de quorum numero erat ille, qui Dominum Iesum [illegible], dicit. Magister, sequar te quocunque ieris. Cuius auaritiam reprehendens dixit: neque reponam bona habere, vt faciunt vulpes in cauernis; neque domum, quã valde nes carere [illegible], cum suos habeant nidos. & in vniuersum omnes à se reiicit Dominus, qui [illegible] ac ipsam sua commoda curant: quos hoc loco taxat. imò & qui non propter ipsam abstinentiam colunt, sed propter terrenum finem, & qui propriam vitam ostentant. sic enim ait: Cum ieiunaretis & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? & cùm comedistis & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? & expressius bonus magister Christus proprio ore, dicens: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Gen. 4. Theodore. in quæstionibus super Genesim. Math. 8. Zachar. 7. Luc. 12.

Et tu fili hominis, filii populi tui qui loquuntur de te iuxta muros, & in ostiis domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite & audiamus qui sit sermo egrediens a Domino, & veniunt ad te quasi si ingrediatur populus: & sedent coram te populus meus: & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt eos: & auaritiam suam sequitur cor eorum, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui dulcique sono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea: cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient, quia prophetes fuerit inter eos.

SATIS cordis duritiam, & saxo intractabiliorem, quando nec [illegible] ciuitatis nec templi casu commouebantur, qui residui fuerant, demonstrauit. Nunc vero quomodo ad suos sermones [illegible] habeant captionem, exprimit Dominus. Ait ergo [illegible] momentum in hoc posuisse, vt diligentissimos Prophetæ auditores se exhiberent: cùm ostiis domorum, & iuxta muros, vbi tunc [illegible] erant, nunc autem in plateis, & compitis [illegible] cemus, & aliis locis, quibus [illegible] utionis gratia conueniunt: quod primum [illegible] erat: se mutuo commonentes, & [illegible] ad Prophetam audiendum. Atque ita totus populus refertim, & cum magna frequentia concurrebat. Sed cuius rei gratia? non vt facerent, sed vt sermones suos [illegible]; tantùm scilicet curiositatis causâ dicentes: Videamus, qui sit sermo egrediens à Domino? quod cùm nostris temporibus [illegible] malo nostro venerit, [illegible] crebius hîc reprehendimur, qui tot ac tantis beneficiis diuinis cumulati, non studio

cognoscen-

cognoſcendæ voluntatis di inæ, in Scripturis ſanctis, eas legimus (qui ſcopus debet eſſe Theologi, vt docet Auguſtinus) ſed curioſitatis in plurimum, quę pietati venenum exiſtit. Curioſitatē verò, gloriam popularem, & item rerum ſcientiam, quę ad nos non attinent, appellat Auguſt. illam vitare docet ſententia Pauli: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem: illam verò hic, antidoto eiuſdem Apoſtoli vt non contemplemur quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. & rurſus, Auguſtinus Dioſc uum curioſum amicum ſic taxat: ego vellem te arripere de medio ionum delicioſarum tuarum, & conſtipare inter curas meas, vt vel diſce ter curioſus, vel ad curioſitatem tuam cibandam, ac nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas, vel maxima cura eſt reprimere, ac refrænare curioſos. Vnde & populus concionatores eos celebrat, & nunquam ſuſpicere deſinit, qui melius palatum demulcent, ac auribus delicatius arrident, iuxta prophetiam beati Pauli: Erit, ait, tempus, quando ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi ſtros prurientes auribus. Eos verò qui eam doctrinam prædicant, qua a ciuis his eorum corda expurgent, infauſtos & ſeueros habent, ne dicam ione atque eorum rationes memorant, & ore accipiunt, tantum vt in aliorum gratiam f ſtiu referant. quod Prophetæ contigiſſe hic dicit Dominus: Itaque vt iudices, & non vt auditores & verbi factores, conueniunt. Alius etiam finis ad audiendum Prophetæ concionē cogebat, recreatio nempe, & ſuauis temporis lapſus. Erat quippe i ci vatis ſermo eis quaſi muſicum carmen, ſeu amatoria cantio, ac ſi tu, inquit Dominus, dulci voce perſonans, muſicum inſtrumentum ſcite pulſares, ſiquidem aures ſuauitate implere non actione manus occupare intenderent. Verùm quantum aberrent, Prophetiæ exitus docebit, qui iam venit, id eſt, inſtat, & in procinctu eſt. Caueamus ergo & nos finem, mortemque ipſam inſtare videntes, vt non auditores tantum, ſed factores verbi nos exhibeamus; nec conſuetudo tot ac tanta bona verſandi animos obduret, pretioſiſſimaq; bona & cœleſtes margaritas negligere faciat, vt eius ingenium eſt. quod & de naturalibus rebus teſtatur Auguſtinus, dicēs: Quid autem non mirum fecit Deus in omnibus creaturæ motibus, niſi conſuetudine quotidiana viluiſſent?

Aug. lib. 1. de moribus Eccleſiæ ca. 25. & in li. de vtilitate credendi ca. 7. 10. 6.
Ad Gal. 1.
2. Cor. 4.
Aug. epiſt. 56.
2. Tim. 4.
Iacobi 1.
Aug. epiſt. ad Voluſianum 3.

CAPVT XXXIIII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens. Fili hominis pro ta de paſtoribus Iſraël, propheta; & dices paſtoribus: Hæc dicit Dominus Deus: æ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. nónne greges à paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & qu erierat, non quæ is, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. & di erſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt, errauerunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.

Thob. 3.

TEMPESTATEM ſequitur tranquillitas. poſt enarratam Hieruſalem vaſtationem, reliquiarum eius ſuperbiam, & captiuorum obduratam malitiam, aptiſſimè accuſatio prælatorum, & cuſtodum populi Dei, ſimulque abiectio ſequitur. quorum omnium loco, vnus ſuffectus Chriſtus Ieſus, per humanę carnis diſpenſationē ſuum populum viſitat, redimit, ac liberat: & quo pacto prælati, & eius officij ſucceſſores forma gregis facti ſuum munus m are beant, docet. ſub typo autem paſtoris, gregis, & ouium, vt oculis rem magis ſubiiciat. familiariſſima quippe omnibus res eſt paſtorum ita erga oues, ouiumq; viceuerſa ab ipſis paſtoribus iugis dependentia. P terea etiam lectoris tædio, ac faſtidio, varietate medetur: quádo eorq s caſtra deſcripſerat, vigilis & ſpeculatori officio ſubmittendo, nunc oues paſt uram ef flagitantes, f at. Quoniam autem quæ ab homine eiuſdem ordinis & officij dicuntur,

1. Pet. 5.

cuntur,attentiùs à classicis excipiuntur,& diligentiùs memoriæ,vt seriò dicta mandantur,& qui dicit,cautior redditur,ad Pontifices,Scribas,& Pharisæos,quibus tunc cura populi commissa erat,arguendos,eorumque abiectionem prædicendam Ezechielem delegit,vnum de pastoribus esse commemorans.qui per eos,eadem Ecclesiæ Episcopis,& Prælatis obiicit. Est ergo officium præfecti curæ plurium ,indulgentia personæ & proprio cómodo neglectis,muneri demandato intendere. Hoc enim Arist. 3. Polit. vel ratione,& natura ipsa ducti vsqueadeò intellexerunt Philosophi, vt magistratus ipsos seruos publicos appellarent. quin ne cum tanto grauamine, Rempubl. administrassent,quòd suam propriam amitterent,diu in publico officio detenti,leges statuerunt,quibus trimestres, semestres,aut annuos tantùm magistratus obirēt, vt sic onera partirentur, & in bonis propriis non minuerentur, longiori tempore communibus intenti. Quod & Dominus Iesus diuinitùs explicuit, dicens: Non veni Matth. 20. ministrari,sed ministrare. Et rursus,In medio vestri steti sicut qui ministrat. Vnde & Luc. 22. suos Apostolos informabat. Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester mi- Matth. 20. nister. & nomen denique hoc idem admonet: Curam enim ab eo, quod cor vrgeat, dici refert Guilielmus Parisien. Deinde ad huiusmodi præfectum attinet, Guilielmus secunda parte primæ partis de vniuerso fol. 179. in virtutis officio subditos continere. Ob quod cùm virtutis proprium sit, velle agere, & oblata materia ad actionem propellere, sicque agendo cæteros ad simile hortari, in præficiendo, alicui curæ. cùm peritiæ officij sufficiat, summè virtus spectanda venit. Quod beatus Paulus exercens,dicebat: Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam. tertiò itidem humanitas, atque lenitas in ipsa conuersatione 1. Cor. 9. & vitæ habitu necessaria est: vt humilibus, abiectis, & miseris, aditum ad negotia, & vitæ relationem præbeant. Deterret enim supercilium, potentia furens, superbia condecorata dictans: Quod sane iudicium manifestum est ad honorem, non ad onus,(quod Christiana simplicitate gaudet) extendisse manum. & cùm ad honoris amplitudinem,non ad onus leuassent oculos, perinde dignitatem ac febricitantes aquam sitiuisse dimisso onere, amplectendo honorem, elegisse non Deo,sed mundo placere. Quos beatus Apostolus notans aliquando dixit: Omnes quærunt quæ Phil. 2. sua sunt,non quæ Iesu Christi. Ad hæc etiā a seruitute Dei eos reiiciens de se dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Cùm has igitur tres partes Præ- Galat. 1. positi & Pastoris officium requirat, ac si his contraria Dominus præcepisset, custodes suos effecisse queritur: primum benè curando curem, lac, id est, crassitiem & pinguedinem bonorum gregis comedebant,& seipsos,non gregem pascebant. Indumenta ex lanis contra iniuriam temporis, ac vestes mutatorias ad deliciandum, conficiebant,& crassum omne ad sui indulgentiam occidebant: quia tantum propria commoda captando fortunas magnas & amplam supellectilem ex grege sibi procurabant. Rursus tanta gregis & subditorum obliuio eos tenuit, vt non solùm ad ampliores virtutis gradus eos promouere non curarent, verùm debilis, infirmi, confracti seu claudi, abiecti, & perditi nullam curam habuerunt; vt consolidaretur, sanaretur, malagmate alligaretur, è fouea extraheretur, & pro ratione morborum, cuique mederetur: & denique errans ad gremium & caulas reduceretur. Tanta præterea superbia tumuerunt, auaritiæ inhiarunt, vt imperiosos & asperos humilitatis & lenitatis loco, se exhiberent, ac potentiam in subditos exercerent. Ex his autem, quæ mala ouibus obuenerint, inquit Dominus, res ipsa demonstrat: in dispersionem qua erant venerant bestiis terræ, id est, immanioribus gentibus prædæ factæ sunt,& in montibus,vniuerso colle,& per planicies & faciem terrę,grex meus omninò est dispersus. hoc est, dæmonibus in montibus & collibus adorando idola, & in conuictu communi, vt in planicie conuersantes, millibus peccatorum contra se & proximos seruierunt. Quæ in Ecclesia Dei pastorũ & Episcoporum negligentia vtinam iuxta prophetiam hanc non contigissent. ab vnitate fidei Catholicę deficiens grex Domini dispersus est,& bestiis terræ, id est, dæmonibus animarum voratoribus, per innumeras hæreses,in magnis & Christianissimis olim regionibus traditus. Atque quo pacto inconsutilis Domini tunica sic scissa est? in montibus, id est, scientiæ tumoribus, in vniuerso colle, hoc est, in vberrimis pascuis auaritiæ, quæ montis superbiæ cementum & radix est. in collibus enim frequentiores, & teneriores herbæ adnasci solent. & per faciem seu terræ superficiem propriis voluptatibus indulgen-

indulgendo, vtique vagi & ſine paſtore errando ſciſſi, & ſeparati ab Eccleſia, in tantam diſperſionem venerunt.

Propterea paſtores audite verbum Domini: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quòd non eſſet paſtor, neque enim quæſierunt paſtores gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant: Propterea paſtores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requirã gregẽ meum de manu eorũ, & ceſſare faciam, vt vltrà non paſcant gregem meum, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltrà eis in eſcam.

PROCVLDVBIO abiectionem Synagogæ, & Domini aduentum in carne ad Eccleſiam ædificandam, hoc loco vaticinatur. Primùm ergo per caſum paſtorum, in eorundem punitionem ob narrata crimina abiectionem illius populi prædicit. Ego quo aduerte hic paſtorum nomine vniuerſos magiſtratus, iudices nempe, reges, & Sacerdotes, & quoſcunque alios qui in ſpiritualibus & corporalibus populo illi præfuerunt, intelligi: qui omnes ab officio, vt memoratum eſt, defecerant, demptis paucis, qui Deo placuerant. Quapropter hac triplici gubernatione deficiente, Chri- Matth. 1. ſtus Ieſus iudex rex & ſacerdos aduenit, qui cõſummatã gubernationis formam gereret. ob quod tres illas teſſara decadas memorauit beatus Euangeliſta. Præterea aduerte antequam ſententiam ſuam paſtoribus intimet, bis repetiſſe: propterea paſtores audite verbum Domini. in principio ſcilicet narrationis criminum, & in fine antequam orationem finiat, quod vt attentos & cautos eos reddat, facit: & quia in vniuerſum ſub typo illorum tam, reges quàm Epiſcopos & quoſcunque alios popu- Apoc. 2. lo præfectos, ſimilis moris hic argui, vult nos intelligere. quos etiam à dignitate deturbabit, & amouebit candelabrum de loco ſuo, vt dixit per beatum Ioannem. In numero enim, ſiue numeroſè, vt dicit Eſaias, conſtituit, ſiue protulit Dominus or- Eſaiæ 40. bem. Quare cum qui diu expectatus ſui officij exercitio non concinit, vt melos integrum, & debitum in Eccleſia reſonet, è medio tollitur, rationem ſui redditurus, & alius eius loco ſufficitur. Eſt item attendendum iuramentum ſuæ ſententię Dominum præpoſuiſſe, quod eam ineuitabilem ſignificat, vt quanti æſtimet præpoſitos ſuis officiis intentos eſſe, declaret. Viuo ego ait. quaſi dicat: ſicut verum eſt me viuere, ita verè exequutioni mandabitur quod dicam. aut non habear pro Deo, ſi non ita futurum ſit. & quæ eſt ſententia ſic iurata & contra paſtores lata? Ecce ego ſuper paſtores, ait, &c. ipſe enim Dominus carne aſſumpta in medio paſtorum apparebit. non iam, inquit, iudicem mittam, qui præcedentis rationem exigat, & populum ſal- 1. Pet. 5. uet: nec regem, neque ſacerdotem, ſed ego ipſe, vt explicuit beatus Petrus, dicens: Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo, & cùm apparuit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam, in medio, inquit, paſtorum homo factus apparebo: & ſuper ipſos: quia ſummus paſtor & Dominus, aut contra ipſos quia paſtores redarguturus. Quod autem is ſit ſenſus Prophetę, particula, ecce, præpoſita, quæ magnitudinem rei denotat, inſinuat, & ipſa ratio apertè: quoniam de aduentu per flagellum & punitionem intelligi non poteſt, cùm vaſtata eſſet iam Hieruſalem, & omnis principatus ſolo ęquatus, & ipſi miſeri captiui: quod tota ſequens litera planiùs idem manifeſtat. Et quid adueniens agit? primùm cum paſtoribus, deinde cum grege rationem habet. Cum paſtoribus, quia eos ceſſare faciet. antiquabitur, inquit, & peribit ordo iſte Reipub. & magiſteria, & ordo veſtrorũ ſacerdotum, ne vltrà ſeipſos paſcant titulo paſcendi gregem meum. & requiram, inquit, gregem meum de manu eorum. quod ſua ſanctiſſima prædicatione fecit con- Ioan. 10. tra Scribas & Phariſæos ſermonem conſerens: & præcipuè quãdo ſe oſtium ouium protulit: quotquot autem ante ipſum veniſſent, fures fuiſſe & latrones probãdo. atque inſuper ſe eſſe bonum paſtorem, qui animam ſuam pro ouibus poneret, qui

verò

verò fugientes,faucibus lupi oues relinquerent, mercenarios. Quo autem modo Ioan.10. cum ouibus dispersis se gerere debeat,iam aperit.

Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas sicut pastor visitat gregem suum,in die quo fuero in medio ouium suarum dissipatarum.sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis,& caliginis,& educam eas de populis,& congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ in pascuis vberrimis pascam eas,& in montibus excelsis Israël erunt pascua earum. ibi requiescent in herbis virentibus,& in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.ego pascam oues meas,& ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducã, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum erat consolidabo; & quod pingue, & forte,custodiam,& pascam illas in iudicio.

PRIMVM requisiturus suas oues in propria persona pollicetur se visitaturũ eas, eo amore,charitate & beneuolentia,qua pastor comparet in medio ouium,quando huc atque illuc timore luporum dispersæ sunt.qui dies infortunij & calamitatis pastori dicitur,& nubis ac caliginis ipsis pecoribus, quia tempestate & obscuritate noctis,sic infestari ac dissipari soleant. & quid faciet? Primùm omni diligentia apposita inuestigabit oues suas.requiram,inquit,oues meas.quod & fecit,nonaginta nouem,id est,nouem choris angelorum relictis, eam quæ perierat venit quærere, id est,humanum genus,vt refert sacer Euangelista: inuentas autem eripit & liberat de Luc.15. omnibus locis quibus errauerant in die caliginis: & educit de populis, quibus captiuæ tenebantur,& congregat atque inducit in terram suam. quibus sacrosanctæ fidei Catholicæ mysteria manifestè Dominus obumbrat, vt latè deducit Rupertus Super Mat. li. 3. fol. 94. Abbas,diuinam suam prædicationem,dum oues suas requirit: eius sanctissima mortem, dum eas a locis inferni ac dæmoniorum captiuitate, quorum typum gentes gerunt, eripit: eius gloriosissimam resurrectionem,qua ius ad cœlestes sedes contulit,dum in terram suam reducit: ædificationem & coadunationem Ecclesię,legibus fidei,spei,& charitatis,dum eas in vnum ouile congregat. Dicit autem in die nubis & caliginis eas dispersas fuisse: quòd sub figura ouium,quæ obscuritatibus magnis disgregari solent,tempus illud legis intelligit, tenebris peccati omnino plenum, in quo sub pastoribus enarratis,errauerant: quod diem nubis & caliginis appellat. Et beatus Paulus noctem, quando dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Roman.13. Abiiciamus ergo opera tenebrarum,& induamur arma lucis. Congregato autẽ grege quid restat? pastus vberrimus quo sustentetur: quem ita abunde prouisurus Dominus pollicetur: quòd in montibus,in riuis, id est, collibus, per quorum decliuia riui oboriri solent,& herbæ circum graciles & vberrimæ adnasci,& in sedibus terrę, id est,in campestribus & cunctis habitationibus terræ: & tanta denique bonorum copia constituentur,quòd pratis virentibus caulas,vbi requiescent,habebunt. Hæc autem pascua,sancta Dei Scriptura est;& veluti montes omnibus expositi, ipsa Ecclesiæ diuina Sacramenta; è quibus veluti è collibus riui diuinæ gratiæ in sustentationem fidelium promanant: & ipsæ denique doctrinæ & expositiones sanctorum prædicatorum,quibus diuina pascua cunctis habitatoribus terræ præparantur. Atqui quoniam in Ecclesia Catholica hęc pascua continentur, ter montium Israël mentionem fecit: memorata pascua in montibus Israël primum, deinde in montibus excelsis Israël,& tertiò super montes Israël designando.quasi diceret, in monte illo excelsissimo Ecclesiæ, totiens per montes hos Israël cum frequenti vsqueadeò suæ vbertatis memoria,in Scriptura obumbrato.Et iure nomen Israël illi conuenit, quòd præualens aut dominans cum Deo vertitur, & impositum est ab angelo Iacob,ex quo in lucta illa celebri præualuit: designãs sanè in ipso Ecclesiam, quæ cun- Gen.32. ctis impetiis,& regnis terræ superatis, dominans & præualens toto orbe regnat. At

quid oues,pecus tam debile in virentibus pascuis absque pastore facient?nō,inquit, vt hactenus mercenarius,sed ego Dominus illarum pastor ero.ego,ait,ad pascua ducam,& ad caulas reducam,& eas accubare faciam: adimplés perspicuè quod Ecclesiæ nomine Dauid cecinerat: Dominus pascit me,& nihil mihi deerit,in loco pascuę ibi me collocauit,&c. Et tantam mei gregis,inquit,curam geram,quòd ouem perditam quæ perierat requiram; abiectam,propulsatam, siue errabundam reducam; claudicantem,siue confractam ligabo; infirmum pecus seu debile corroborabo, & consolidabo,pingue & forte custodiam,id est,contumeliosos & iniuriosos homines in alios veluti oues pingues,quæ alias à pascuis depellunt,custodiam,siue compescā meæ doctrinæ virga,ne proximis infesti sint: atque ita in iudicio & iustitia regam & pascam. Prætereundum tamen hic non est, quòd defectiones pastorum recensens, ab infirmo,ægroto,confracto,abiecto,crescens oratio ascendit,debilitatem & infirmitatem eorum insinuans: nunc verò omnipotentem Dominum, sapientissimum medicum,& absolutissimum pastorem promittens,viceuersa,& inuerso ordine defectuum,seriem à grauiore, & ab eo quod magis vrget, vt peritissimus medicus descendens,narrat.perditum enim recuperare,& quod perierat requirere,id est,genus humanum redimere, propriæ suæ personæ erat.cætera autem officia ministerialiter exercere, Apostolorum & Episcoporum succedentium, atque Sacerdotum munia erant,quibus populus efficaciter per prædicationem Euangelij,& sacramentorum administrationem,redemptionis Christi Iesu Domini nostri participes fieri debeat.

Psalm. 22.

Vos autem greges mei, dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus, & pecus arietum, & hircorum. Nónne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper, & reliquias pascuorum vestrorum conculcastis pedibus vestris: et cùm purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbastis: & oues meæ iis, quæ pedibus vestris conculcata fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum. pro eo quòd lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.

SCANDALOSVM conuictum,& inuidiam corrodentem,in suo grege abominatur Dominus, quæ in iniuriosam concertationem homines propellunt: ditiores & potentiores,vt æqualem minimè patiantur: vnde tenuiores & imbecilliores, & humiles & pauperes contemnunt,ac pro nihilo ducūt, & scādalo illis sunt semper in vita. Etenim cùm suprà,pastores quantum ad ea quæ ex officio tenebantur,reprehenderat,nunc eosdem sub similitudine arietum & hircorum,quantum ad conuictum & rationem omnem viuendi cum aliis, cum liuore & inuidia, obiurgat, sub residentiæ intimatione.dicit ergo huius iniuriosi conuictus se rationem exacturum. Ac primùm scandali nota eos inurit,quòd cùm omnem doctrinam & virtutem inuertant,vt suauia cuncta & quæ placida ipsis sunt,accipiant: Hæc eadem suis pedibus conculcata & perturbata ad vitæ pastum & potum, aliis ministrant. Deinde liuoris eos arguit, quòd solidiores & potentiores in Reipublicæ gubernatione, imbecilliores à quouis honore & honestiore sede, non solùm ab assequutione impediant,sed ab ea deiiciant,ac deturbent: perinde ac pingue pecus, à pascuis optimis, & limpidis aqualibus macilentum expellere omni ratione curat. Vnde metaphoram sic prosequitur: quemadmodum solent arietes & hirci vt fortiores, & agiliores,reliquo gregi ante euntes,obseruata pascua & gracillora quæ nulla bestia attigerat, prius carpere: & quæ pedibus conculcant, aliis relinquere, ac similiter clariores & puriores aquas, vt qui primi ad eas conueniant, bibere, cœno & luto inuolutas cæteris relinquentes: imò quando æquo pede simul selectiora pascua, & desiderabiles aquas attingunt, quæ fortiora sunt, nunc lateribus impellendo, nunc humeris propulsando, nunc cornibus impingendo, & ventilando, donec foras eas à pascuis, & aquatilibus eiiciant; ita in rationali grege suo dicit Dominus, hoc iudicij lance inspiciendo inuenit: cùm doctrinam legis,in optima pascua,& puriores

riores aquas in potum haberent, ſuis propriis affectibus ſuperbiæ, auaritiæ, inuidiæ, & cæterorum ſerpentis brachiorum ac pedum, aliis conculcarunt, & deturbarunt, quando ſuis prætenſionibus ea ſeruire fecerunt. quod & hæretici nunc faciunt, qui prophetia hac potiſſimum notantur; cùm Euangelij ſancti ſententias puras & ſynceras, quales in ſe ſunt, excipiunt: deinde infectione ſui deprauati guſtus eas contaminant, & corruptas ad deceptionem aliis proponunt. Atqui vt à ſynceris Eccleſiæ paſcuis & aqualibus deiiciant, nullis armis, potentiæ parcunt, impellendo, propulſando, & toto robore ac fortitudine, vt cornibus potentiam ſuam exercẽdo. Quapropter inquit Dominus: Ecce ego iudico inter pecus & pecus, id eſt, Ecce ego iu- Ioan.9. dicaturus accedo inter pecus & pecus. In iudicium, inquit, miſit filium ſuũ in mundum, vt qui credunt, ſalui fiant. loquitur ergo de demiſſione filij ſui in carne, ac ſic inter pecus & pecus iudicaturus: clariùs adhuc aduentum Chriſti Ieſu prænunciás, quàm cùm dixit: Ecce ego ſuper paſtores, &c.

Saluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, & iudicabo inter pecus, & pecus, & ſuſcitabo ſuper eam paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Ego Dominus loquutus ſum.

EXPRESSIVS adhuc, qui iudicaturum ſe gregem ſuum protulerat, quomodo id faciet declarat, ſaluando nempe populum ſuum, ne ampliùs ſit in rapinam tyrannis Iudæorum principibus. & hoc eſt, iudicium, quod faciet inter pecus & pecus. Et ne id de more antiquo, ab oppreſſione gentium per ſaluatorem aliquem futurum ſuſpicarentur, per aduentum ſanctiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti id facturum promittit, cùm dicit. ſe ſuſcitaturum paſtorem vnum, qui paſcet eas, & erit in paſtorem. quem ne ambiguus ſit, ſuis proprietatibus depingit. appellat eum Dauid: quia ex ſemine Dauid deſcenſurus, ſicut ipſi fuerat promiſſus. Vnde beatus Euangeliſta Matth.1. generationem eius recenſens, inquit: Liber generationis filij Dauid: appellat etiam ſeruum, quia ſecundum humanitatem minor futurus patre, vt promiſſionem hanc adimplens factus homo teſtatus eſt, dicẽs: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia Ioan.14. vado ad patrem, & pater maior me eſt. Et rurſus: Non veni facere voluntatẽ meam, ſed eius qui miſit me, Patris. Propterea ad eorum protectionem ſe in Deum pollice- Ioan 6. tur, vt diſtinctius percipiatur de quo loquatur. Dixerat enim per Moyſen: Ego ero Leuit.26. eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Dicit autem Chriſtum Ieſum principẽ futurum in medio eorum: quia ſic eum nominauerat Eſaias, principem pacis, &c. Eſaiæ 9. atque tandem, in medio eorum, vt verè fratrem noſtrum, ſecundum aſſumptam humanitatem, notificet. Vnde ſub eodem notionis ſigno à præcurſore Ioanne ma- Ioan.1. nifeſtatus eſt, dicẽte: Medius autem noſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: & poſt reſurrectionem ſuam ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & in medio doctorũ, reſpon- Ioan.20. dens, atque interrogans eos, inuentus eſt in templo, iuxta vaticinium Dauid: Deus Lucæ 2. Pſalm.85. ſtetit in Synagoga Deorum, in medio eorum Deus diiudicat: & per Moyſen; Pro- Deuter.18. phetam de gente tua & de tribubus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. ad quem locum alludens, verbo ſuſcitabit, vſus eſt. Vnde ait: Ego Dominus loquutus ſum. ac ſi dicat, Ego iam olim hoc promiſi, quod & nunc confirmo & adimpleo, qui deficere in verbis meis non poſſum. Eſt ergo apertiſſimum de Chriſto teſtimonium, cuius ſacratiſſimo aduentu iudicaturus, & redempturus erat Deus pater populum ſuum.

Et faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra. qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus, & ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore ſuo, & pluuiæ benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum ſuum, & terra dabit germen ſuum, & erunt in terra ſua abſque timore, & ſcient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & erucro de manu imperantiũ ſibi. & non erunt vltrà in rapinam in gentibus: neque beſtiæ terræ deuorabunt eos, ſed habitabunt confidenter abſque vllo timore.

Esaiæ 52.
Esaiæ 9.
Ioan 14.
Ioan. 10.
Esaiæ 14.
Roman. 8.
Plato in Cratylo
Lactantius 2 libr. Aug. lib. 9. de ciuitate Dei.
Matth. 12.
Psalm. 117.
Psalm. 86.
Psal 149.

QVÆ autem bona Domini Iesu opera accrescent, annumerat, ciuium lex, erit pactum pacis, id est, Euangelium. sic enim dixerat Esaias: Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, annuntiantium bona, &c. item abũdantia pacis orietur simul, & sic Christus Iesus dixit, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. & iterum discipulis surgens a mortuis: Pax vobis. Conditio ciuium erit lætari seclusa cura, & absque vllo timore & terrore, quia liberi per mortem Christi Iesu à bestiis terræ, id est, dæmonibus, & à iugo imperantium, siue imperio dominorum, vt dixerat Esaias. qui enim à miserrima seruitute & atrocissima captiuitate, vt inferni carcere liberi erunt, qui non lætentur, tripudient, & saltibus suam fœlicitatem significent? non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba pater. Vide quam bonæ spei, & fortis fiduciæ nos facit Apostolus Paulus. Vnde cùm dicit infra: & erunt in terra sua absque timore in spe pacis: transtulerunt. 70. pacis, nempe illius supernæ, quæ omne desiderium superat. Quare sub tanta spe nullus timori locus restabit. quod significans, pacem hanc animorum per securitatem habitantium in saltubus in medio bestiarum intimat: quoniã & si aër plenus dæmonibus circum nos ambiat, opera tamen ipsius Domini Iesu in cruce redempti, absque timore vorationis eorum est habitatio. deinde quantum ad rationem vitæ in omnibus motibus & actionibus absque eorum timore cum spe cœlestium agetur: & tertiò, absque eorum terrore. Est enim proprium dæmoniorũ, exterrere & pauefacere. dicuntur enim auctore Eusebio à δειμαίνω, quod est exterreo, pauesco. Quare à proprietate voluit per bestias terræ hic dæmones significare, quos nomine bestiarum frequenter meminerat in aliis Prophetis. etsi a δαίω, quod est scio, secundum alios dicatur, vt auctor est Plato in Cratylo: quem sequitur Lactantius in secundo libro; & Augustino placet. Post passionem item Domini, eiusq; gloriosam resurrectionem, non vt Domini, sicut antea consueuerant perstrepent, à suo regno & iurisdictione depositi, sed habitabunt homines Christiani confidenter. Vt qui non amplius erunt in rapinam gẽtium, neque in vorationem bestiarum terræ, eruti de manu imperantium, & contritis catenis iugi eorum libertate omnino donati. gentes autem, exercitus dæmoniorum referre non est dubium, cùm corpus ipsius diaboli sint, cum illo dispergentes: Nam qui non colligit mecum, ait Dominus, dispergit. Vnde amplius in earum rapinam non futuras oues hic dicit, quia nullum ius habent ad homines incarcerandos in infernum, nisi ipsi se eis dederint. Est præterea pacis & lætitiæ animorum in Scripturis passim hæc decantata securitas: Vox exultationis & salutis, ait Dauid, in tabernaculis iustorum. & alibi: Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te. & rursus: Exultationes Dei in gutture eorum, gladij ancipites in manibus eorum: Tempore enim Machabæorum maximè Iudæi fortitudine bellica valuerunt.

Psalm 67.
Psalm. 42.
Hebr. 12.
Matth. 6.
Psalm. 83.

LOCVS autem habitationi constitutus, Sancta mater Ecclesia est, quæ montis appellatione nobis manifestata fuit, vt eo loco: Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. Vt quid suspicamini montes coagulatos? & iterum de vi lucis & veritatis diuinæ, cui acceptum refert in Ecclesia Dei esse, dicit: Ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Et Paulus: Accessistis ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem & multorũ milliũ angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis. Et hoc denique Christus Iesus significans, in montem primùm prædicaturus ascendit, & aperiẽs os suum dixit: Beati pauperes spiritu, &c. Quapropter hic in circuitu collis suas oues collocatas dicit. sic autem grege constituto, quid deest, nisi alimoniæ, & pastuum fertilitas, cum sui pastoris præsentia gubernatrice? de quibus sic inquit: Ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, &c. id est, sic in ecclesia constitutis dabo benedictionem meam qua nutriantur, crescant, & multiplicentur in progressibus virtutum; iuxta illud regij vatis: Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Syon. Et deducam, ait, imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt, id est, imber & pluuiæ, quæ vegetabunt spiritum in eis, erunt. ac perinde lignum agri dabit fructum suum, & terra dabit germen suum. Nam tam maiores, quàm minores populi iustos fructus, & germina reddent, irriguis fontibus sacramentorũ, & pluuiis cœlestibus doctrinæ sacræ, Euangelij &

gelij & gratiarum imbribus iugiter irrorati. Etenim de eo, qui populo pręfectus est, diligenti in moribus, doctrina, & officio potissimum, dixerat Dauid: Et erit tanquam Psalm. 1. lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in Math. 3. tempore suo. sicut de contrariis & ipsemet Dominus: Iam securis ad radices arboris posita est: arbor, quæ non fecerit fructum excidetur, &c. destructionem sanè procerum Synagogæ intimans. & item, quòd terra pluuiis grauida variis herbarum & germinum fœtibus vestiatur, oculis continuè subiicitur: Ad cuius similitudinem communem terram populi Christiani germina virtutum proferre prænuntiauit etiam Dauid: Etenim benignitatem dabit Dominus, & terra nostra dabit fructum Psalm. 84. suum. & alibi: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra Psalm. 66. dedit fructum suum, id est, protulit terra nostræ carnis Deum iam hominē factum. Tali autem germine pullulato, quid reliqua terra non germinabit? semper resonabit Dei laudes & confessionem omnibus operibus vitæ suæ.

Et suscitabo eis germen nominatum, & non erunt vltrà fame imminuti in terra, neque portabunt vltra opprobrium gentium, & scient quia ego Dominus Deùs eorum cum eis, & ipsi populus meus domus Israël, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, & greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.

TANDEM in metaphora perstans, quale germen sit, quod terram prolaturam promisit, explicat. germen inquit esse nominatum, id est, filium Dei hominem factum, Christum Iesum redemptorem nostrum. germē est, quia selectissima planta, vt ipse testatus est: Ego sum vitis vera, & vos palmites, &c. & nominatum deinde, Ioan. 15. quia ore omnium toto orbe vetus Deus, & homo celebratus. Item planta est celebri nomine, vt textus Hebræus habet, quoniam celebre nomen, & famā nobis Christianis peperit: Vnde & ab eius nomine Christiani appellamur. Est insuper lignum, seu planta vitæ, de qua dixit per beatum Ioannem: Vincenti dabo edere de ligno vi- Apoc. 2. tæ, quod est in paradiso Dei mei, &c. ob quod qui eius fructibus stomachum assue- Amos 8. fecerit, nunquam famem audiendi verbū Dei persentiet. Psalm. 73. Cuius oppositum ob sua scelera vaticinatum fuit Iudæis. Item per Dauid dicentem: Nō est Propheta, & nos iam non cognoscet amplius. quod & opere completum omnino post mortem Christi viderunt. Terrenis enim hominibus, & voluptatibus imperantium dominorum Esaiæ 14. subiectis, cœlestis hæc fames diuini pabuli contigit, qui ita stimulis conscientiæ excruciantur, vt quò se vertant nesciant, neque portabunt vltrà opprobrium gentium. Quoniam Ecclesia Dei nunquam gentibus, neque earum imperio subiacebit, ne quando dicant gentes, ait Hieronymus, vbi est Deus eorum? semper enim vsque ad Psalm. finem sæculi, hac aut illac concussa, libera permanebit: non vt Iudæorum populus, qui millies expugnati fuerunt ab Amonitis, Chaldæis, & cæteris, & tandem à Romanis omninò vastati fuerunt. Quorum omnium rationem subiicit Dominus: quia scient, quòd ego Dominus cum eis, id est, videbunt me & probabunt me hominem factum: hoc enim sonat, Ego Deus eorum cum eis. quod nomen primum prophe- Esaiæ 6. ta indidit, dicens: Et vocabitur nomen eius Emanuel, quod est, Nobiscum Deus, Math. 1. vt interpretatus est beatus Math. & beatus Ioannes idem commemoratis testatus est, dicens: Et tabernaculum Dei cum hominibus. Et contra etiam scient, quia po- Apocal. 21. pulus meus domus Israël, id est, domus præualens, & dominans, quæ est Ecclesia Dei Romana & Catholica. Atqui quoniam sub metaphora plantæ, germinis, & pastoris de Christo locutus est, aperiens parabolam, dicit: Vos greges pascuæ meæ homines estis, & ego Dominus Deus vester: vt quæ dicta sunt de arietibus, hircis, & ouibus, de hominibus dicta esse intelligantur. atque vt tenaciter memoriæ adhæreāt, subscribit, dicens: Ego Dominus Deus quam subscriptionem homo factus mutauit, subscribens: Ego Iesus. Apoc. vlt. Poteris etiam aliter vaticinium hoc intelligere, vt sit sensus: nunc ad Synagogam vti iumenta ad magalia congregamini. de quibus & Ioël Ioel 1. dixit: Computruerunt iumenta in stercore suo, &c. Cæterum adueniente Christo, quando carnalia sectari desiueritis, ad Ecclesiam Dei aduocati, non bruti animalis

& iumenti, sed hominis appellatione dignabimini. etsi per iumenta gentes, per homines Iudæi in Scriptura sæpe intelligantur. vt regius vates accepit quando dixit: (Psalm. 35.) Homines & iumenta saluabis Domine, in mundum scilicet homo factus adueniẽs Quod & Rabi Rahmon sentit super illud Hieremiæ: (Hier. 31.) Et seminabo domum Israël & domum Iuda, semen hominis, & semen bestiæ. semen hominis ait, hi sunt Israëli & semen bestię, hi sunt conuersi gentium, de quibus apud Iob Baldad Suites dixit: (Iob 6.) Quare reputati sumus sicut bestiæ?

CAPVT XXXV.



Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciẽ tuam aduersum montem Seir, & prophetabis de eo, & dices illi, Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum, atq; desertũ. Vrbes tuas demoliar, et tu desertus eris, et scies quia ego Dominus: eo quòd fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israël in manus gladij in tempore afflictionis eorum in tẽpore iniquitatis extremæ. Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur, et cùm sanguinem oderis, sanguis te persequetur. & dabo montem Seir desolatum, & desertum; et auferam de eo euntem, et redeuntem; & implebo montes eius occisorum tuorum. in collibus tuis, et in vallibus tuis, ac in torrentibus interfecti gladio cadent. in solitudines sempiternas tradam te, et ciuitates tuæ non habitabuntur. et, scietis, quia ego Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos; & notus efficiar per eos, cùm te iudicauero; & scies quia ego Dominus audiui vniuersa opprobria tua, quæ loquutus es de montibus Israël, dicens: Deserti nobis ad deuorandum dati sunt. & insurrexistis super me ore vestro, et derogastis aduersum me. verba vestra ego audiui. Hæc dicit Dominus Deus: Lætante vniuersa terra in solitudinem te redigam, sicuti gauisus es super hæreditatẽ domus Israël, eo quòd fuerit dissipata, sic faciã tibi. dissipatus eris mons Seir, et Idumæa omnis: et scient, quia ego Dominus.

CONDOLERE iustis & afflictis, & potissimùm amicis, & coniunctio naturæ, & pietas ipsa humana ferre videtur. Cæterùm inimicis compati, collamentari, ipsis benefacere, vindictæq; affectum temperare, Dei donum specialissimũ est; vsque adeò, quòd vt ab hominibus exciperetur, intonantis Christi Iesu vox hæc necessaria fuit: (Math. 5.) Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Ad hoc igitur opus & quoduis aliud Deo gratum efficiendum, ipsis etiam in gratia Deiq; amicitia existẽtibus, summopere conuenit, spiritum deuotionis, facilitatis, & prõptitudinis exercendi, quæ Deo placent, obnixe ab ipso petere. Si quidem nec comes assiduus est spiritus iste deuotionis ipsis iustis, sicut nec spiritus prophetiæ ipsis Prophetis. Vnde in quouis sermone factum esse verbum ad prophetam legimus, vt bene hîc adnotat Hierony. solùm enim spiritus iste diuinis semper excitatus gratiis in Christo permansit, vt B. Ioannes Baptista testatur, dicens: (Ioan. 1.) Vidi spiritum descendentem quasi columbã de cælo, & mansit super eum. Etenim etsi super alios, spiritus Domini descendat, nõ semper tamen manet. Rogandus est ergo Dominus à prædicatore specialiter cũ pro suggesto se dicturum præparat: rogandus item & obnixè precandus à quolibet, pro dono hoc assequendo, cùm opus gratum illi offerre curat: & à nobis omnibus, vt affectum charitatis nobis donet, cùm inimicos persequi, & confectari, lacessiti sumus. Quanti autem Dominus faciat non solùm studiosis afflictis commiseteri, sed etiam iniustis & peccatoribus præsertim cùm à Domino flagellantur: præsenti capite audi, quæ contra montem Seir, siue Idumæam, habitationem & descendentiam Esau iubet Dominus Prophetæ inuulgare. (Gen. 35.) fuit enim Esau vir rufus, & pilosus. atq; ita Seir mons hispidus & pilosus vertitur, & mons est in Idumæa: ab Edom, id est, Esau accola eius nomen accipiens: Cui Dominus vastationem imminere dicit, propter inimicitias, quas cum Israële gessit; propter superbiam item, qua in vastatione Israël & Iuda intumuit, dicendo: Hæ duæ gentes, & duæ terræ meę erunt, & hęreditate possidebo

sidebo eas. atque propter vindictam quam sumpsit, dicēdo: Deserti & vastati sunt montes Israël, & nobis relicti in cibum: & denique quòd verbis iactantiæ, ait Dominus, insurrexistis contra me, & derogastis aduersum me verba vestra, id est, multa verba superbiæ euomuistis contra me, quæ ego audiui, dicit Dominus: derogare enim verba contra aliquem, est verbis eum iniuriosis, & minus decentibus prouocare apud Hebræos. Ecce indignationis Domini causas contra Idumæam. Vide iam iustitiam vindicantem. Primùm enim vrbes demoliendas dicit, ita vt non in posterum habitentur, sed in solitudinem & desertum desolatæ maneant: nec sit qui ad hunc montem colendum eat deinceps aut redeat, iuxta illud: quoniam non intellexerunt opera Domini. Et opera manuum eius: destrues illos, & nō ędificabis eos: Psalm.27. quod grauius flagellum est, cùm cæteris regionibus reædificationem concesserit. Erat autem Idumæa sanguinaria. quare sub metu, ne & eius sanguis funderetur, iure etiam consanguinitatis, eos amare, inquit, debueras, vt partes & posteros Iacob fratris tui. Quapropter quod formidas super te veniet, & occisioni te tradā, & sanguinem contra te vertam, quia sanguinem odisti, quem diligere debueras. Aut si mauis: nisi temperes te ab effusione sanguinis, & homicidas pnnias, proculdubio occideris, & sanguis tuus effundetur; atq; tanta copia, quòd montes colles & valles sanguine tuorum occisorum implebo. Vide magnitudinem stragis. Sed adhuc eam auget ex animi ira, qua sumitur vindicta, & ex communi applausu eam spectantiū. Nam eo zelo, quo tu odisti: Israëlem contra te ego faciam, atque hoc non vindictæ gratia, sed vt sic notus sim eis, & scies quia ego Dominus, qui audiui quæcunque in me locutus es. Et insuper cùm te in solitudinem redigam, tragœdiam spectantes, magno gaudio perfundentur: eo nempe quo tu affectus es, quando vastari Israël vidisti.

CAPVT XXXXVI.

TV autem fili hominis propheta super montes Israël, & dices: Montes Israël audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatē datæ sunt nobis, propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus, Pro eo quòd desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis gentibus, & ascendistis super labium linguæ, & opprobrium populi, propterea montes Israël audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis, parietinis, et vrbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ à reliquis gentibus per circuitum.

SVB typo liberationis Israël à captiuitate, & reductionis ad proprias sedes & terram, redemptionem à tyrannide dæmonis, & ædificationem Ecclesiæ Spiritus sanctus hic primùm docere intendit, quod clarè in discursu capitis videbitur: Nam in hac re totus Propheta versatur, atque pro magnitudine nuncij attentionem petit, montesq́ue Israël per prosopopeiam audire iubet, attentasq; aures porrigere. Et quoniam lętissimum nuncium afferebat, ad id inuulgandum occasionem sumit ex re, quæ maximè illos angebat, nempe quòd in eorum casu omnes gentes lætarētur, maximoq́ue cum gaudio illis ruinam suam insultarent: quod potissimum Edom hostis, & inimicus capitalis faciebat. Fuit enim Esau ab ipso partu diaboli typus & figura. Vnde & in egressione primus esse voluit, & tota vita primas partes contra Iacob & Israël habere conatus est. Quamobrem quia peritissimus est, & contra fragilitatem hominis potentissimus, non aperto marte, & facie ad faciem certamen Israël, & Iacob cum illo iniit, sed diuino consilio subterfugiendo corpus, vt dicunt. Nam ipso materno vtero supplantauit: cùm eius insidias timeret primogenituræ eius, præsentiam vitando, in Mesopotamiam se contulit: ditiorq́ue inde rediens, cùm ipsi occurreret in via, aliò cursum cum suis gregibus direxit, societatem eius vitando. Fuit ergo planè Iacob inimicus, & ita Idumęi eius posteri populo Dei Israël: atq; ita diabolus sub eius typo in præcedenti capite significatus: ob quod cū omnes gentes cum populo Dei inimicitias gererēt, de ipso solū dictum est: eo quòd fueris inimicus sempiternus. idq; potissimū declararet in die postremæ afflictionis eorum,

id est,

id est, cùm Deus opera eorum puniret, culmen malitiæ iam attingētia, nec amplius toleranda. item, quòd cum Deo de dominio decertaret, quandoquidem Israëlem & Hierusalem hæreditate possidere contendebat, tanquam rem primogenituræ suę à Iacob vsurpatam, sciens ibi esse Dominum, populumque Dei esse, eumq; habere Dominum, & patronum: & deniq; in eo quòd in perditione & vastatione Israël, ingenti gaudio pei fusus est, quod est dæmonis proprium ingenium, in perditione hominum lætari. Atque ita per Prophetam dicit Dominus: mōtibus Israëlis, loco pro accolis sumpto, quia inimicus de vobis dixerit sibi applaudendo: Euge, altitudines sempiternæ in hęreditatem datæ sunt nobis. Quæ vox superbi cuiusque est sibi gratulantis prosperitatem aut dignitatem, quam assequutus est. Quapropter in capite alieno periculum facito. & vide contra Dominum insolentiæ magnitudinē: quòd irridendo, videtur montes illos sempiternas altitudines appellare, non quòd ita sentiat, sed quoniam in æternum sedes illas Israëlitis promiserat Deus. Hæc autem vox irrisionis verborum Domini, nónne dæmonis propria est? proculdubio. In eo etiam, quod in rei temporalis amplificatione sibi lugere præcepit, suum ingenium nō minus ostendit. Psalm.79. Sic enim illius exercitui imprecatur Dauid: Auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi euge, euge. & altissima quæque amare, proprium est dæmonis. Quod beatus Ioannes exprimens, præmia promulgat à Domino, his qui nō Apocal.2. cognouerunt altitudines Sathanæ. Propter superbiam igitur hanc inimici, & quòd ipsi tanta calamitate & miseria prostrati essent, & item quòd super labium linguę essent, id est, communis loquela & fabula ad irrisionem, dęmonis populo essent. quod Thob.3. sic prædixerat Tobias: Quoniam nō obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem & captiuitatem, & mortem & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. qui ergo sic angustiati iacebant, suam erectionem, & illorum casum audiant. Et quoniam sub reædificatione Hierusalem vrbis, & habitatione omnium locorum quæ depopulata fuerant, Ecclesiæ ædificationem intelligit in aduentu Christi Iesu. in qua non solùm sapientes & maiores, qui Rempublic. gererent, & nobiles, vulgares item homines: sed cuiusuis moris & conditionis, quantumuis peccatis vulnerati, dilacerati, & dissipati per Christi mortem reparandi & erigendi erant. montibus, collibus, torrētibus, vallibus, & ruinosis quibusque locis, nuncium audire iubet.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei loquutus sum de reliquis gentibus, & de Idumæa vniuersa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, & toto corde, & ex animo, & eiecerunt eam vt vastarent, idcirco vaticinare super humum Israël, & dices montibus, & collibus, iugis, & vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, et in furore meo loquutus sum: Eo quòd confusionem gentium sustinueritis, idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego leuaui manum meam, vt gentes quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent: Vos autem montes Israël ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israël. propè enim est vt veniat, quia ecce ego ad vos, et conuertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem, et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israël, et habitabuntur ciuitates, et ruinosa instaurabuntur, et replebo vos hominibus, et iumentis, et multiplicabuntur, et crescent. et habitare vos faciam sicut à principio, bonisque donabo maioribus, quàm habuistis ab initio, et scietis, quia ego Dominus. Et adducam super vos homines populum meum Israël, et hæreditate possidebunt te, et eris eis in hæreditatem, et non addes vltrà, vt absque eis sis. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dicunt de vobis: deuoratrix hominum es, et suffocans gentē tuā, propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis vltrà, ait Dominus Deus, nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam

quam portabis, & gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus.

SVSPENSVM tenet populum, & antequam consilium suum notificet, igne zeli vehementer iratum contra gentes, & vniuersam Idumæam Dominum declarat, quod depopulatis Iudęis terram illam ex toto animo & corde, & cum contemptu Iudæorum in hæreditatem sibi polliciti sunt: ita vt hac intentione populum illum vastarent, atque eiicerent. Quapropter & indignationem hanc Dominus mõtibus, iugis, collibus & vallibus annunciare iubet, dicẽs: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, & in furore meo loquutus sum. & quid est, quòd sic ira percitus sit Dominus? nempe quòd castigatio, quam Dominus fecerat, in irrisionem & fabellam, fuisset gentibus, & ignominiam & confusionem illarum Israëlitæ sustinuissent. Sic enim oratione ipsa populum suspendere, auditores erigit, attentosque maximè reddit. Deinde indignationem iudicis cum parte insultante & irridente nostrum infortunium, animos patientium lenit, & vehementer solatur. Postremò hîc disce, & Dominum sui honoris prospectorem non ignauum esse: quandoquidem suo nomini hîc consulit, indignationem suam proferendò, eaque gentes plectendo, quòd populo insultarent: cuius ductor & protector ipse erat, vt suprà expressit Propheta, dicens: Cùm Dominus esset ibi. Quapropter quantumcunque spiritus vel corporis assultibus continuis graueris, magni fac semper te in populo Dei esse, in eoque te Dominum plantasse: quæ vna ex potissimis ratio est, vt te clamantem audiat. Quod & Dauid nõ prætermisit, cũ angustiis suorum peccatorum premeretur, ora- Psalm. 129. tionem ad Dominum fundens, tandem conclusit: Quia apud te propitiatio est, & copiosa apud Deum redemptio; & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. Et præterea perpende, quantum commoueatur, obduratione eorum, quos in fratris punitione, suam voluntatem docere, bonum admonere, & exhortari intendit. Etenim zelo conuersionis gentium, vt sibi in maioribus peccatis agenti consuleret, in conspectu earum, imò per earum manus suum populum delinquentem puniuit. at ipsi terrenorum cupiditate sic magis accensi, rebelliores se Domino prębuerunt. Quamobrem inquit: Ego leuaui manum meam, &c. id est, sub iureiurando statui (in cuius signum manum siue digitum, modo nostro loquitur, leuaui) eos vastaturus, vt confusionem suam portent: vosque reducturus ad patriam, vt ramos vestros proferatis, fructusque vestros afferatis. Atque hoc & illud quàm citissimè. nam propè, ait, est vt veniat. At verò qui tantopere iustitiam zelat, non emendatos reducet, præmiis afficiet, & ad bona vocabit? minimè quidem. Quia ecce ego, ait, ad vos, & cætera. quasi dicat: efferuescente iam ira, propitius ad vos venio; & conuertar, scilicet gratias meas, auxilia spiritus impartiendo, quibus arabimini, & sementem ad multiplicationem vestram, more subactæ terræ, accipietis. Quod tempore Zorobabel, & Neemiæ (vt historia Esdræ legitur) fa- 2. Esdræ 4. ctum est. Vbi pauci tanto ardore & zelo honoris Domini, templum & ciuitatem reædificare curarunt. Quod cum omni hostium contradictione, altera manu ædificantes, altera arma tenentes, opus suum absoluerunt. Ex quibus veluti ex semine tota terra hominibus repleta est. Et quoniam ad montes Israël loquitur, hominibus qui terram colant in omni pace, & quiete, & iumentis, quæ pascua carpant, implendos omninò dicit, vsqueadeò multiplicatio omnium futura erat; vt tẽpore Machabæorum completum legitur, quando sedit vnusquisque sub vite sua, & 1. Mach. 14. sub ficulnea sua, neque erat qui eos terreret.

VERVM Ecclesiæ florentem statum, ad quam Apostolorum prædicatione multi ex Iudæis pœnitentia ducti confluxerant, Spiritum sanctum hîc obumbrare, primumque intendere luce clarius ex ipsa litera colligitur. Atque principiò multiplicatio ex semine terræ procisæ iniecto: hoc enim Christum Iesum esse prædixerat vates illustris, dicens: Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis se- Esaiæ 1. men, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Nec enim Domini propitiatio, conuersio, atque vera pœnitentia vsque ad Christum fuit. Deinde, quod habitandam terram eam dicit, sicut fuit à principio, quando duce Iosue introductus est populus, & maioribus bonis, quàm ante cumulandã: quod minimè in terrestri illa Hierusalem impletum fuit, cùm sine rege, & tributarij semper fuerint. & rursus promittit Israël montibus, quòd absque suis habitatoribus Iudæis nunquam erunt.

erunt. Ait enim: & adducam super vos homines, populum meum Israël scilicet, qui possidebunt te, & non addes vltrà, vt absque eis sis: id est, in æternum te ô terra possidebunt: neque ipsis Iudæis orba eris, quia non ipsi vastabuntur. Quod constat factum esse de Iudæis per Titum & Vespasianum post mortem Christi Iesu: & tandem quia dicterium, quo inter alia, gentes eam terram compellabant, erat: deuoratrix hominum, & suffocans gentem tuam: vt præ nimia vbertate, idem exploratores Iosue retulerunt. simile ei quod ancilla filiæ Raguelis obiecerat, luxuriæ eam notando: Nunquid me interficere vis interfectrix virorum tuorum? Id enim operatur immodicus deliciarum vsus, regione ipsa suppeditante aut largo patrimonio, aut inflammata omnino cupiditate, vt seipsos homines destruant. Vnde & Ethnicus ille, cum Academiam ad cultum animorum erigere pararet (vt refert Hieronymus) in loco non satis salubri nec delicioso fundauit. Pollicetur ergo Dominus huic solo quòd non vltra necabit homines & comedet: quandiu enim terra tam ferax & vbera omnium est, & finitimos ad sui possessionem inuitat, & sic suos accolas interficit propter accensionem affectuum carnalium, qui eos absumunt: quod renunciatione bonorum saltem affectu, & vitæ parsimonia, Christi mandatis in Ecclesia est adimpletum. & quòd tandem nunquam gentium ignominiam portaturum populum dicit; de Ecclesia solum intelligi potest, nunquam suis legibus fidei, spei, & charitatis cum sacramentorum medicinis, vsq; ad consummationē sęculi, defectura. Quod expresse de ipsa cecinerat Propheta, dicens. Et non adiiciet vltra, vt transeat per eam incircuncisus. Proculdubio ergo hic est sensus literæ intentus per reductionem populi Israel ad suas antiquas sedes. Quapropter magnitudinem rei commendans, vt quæ solius Dei sit, sic totis gentium agminibus prostratis, & in captiuitatem redactis, in libertatem asserere, dicit: Et scietis quia ego Dominus, qui scilicet simile faciendo eduxi de Ægypto, & in hanc terram primùm repugnantibus gentibus, collocaui.

Num. 13. Thob. 3. — Plato in li. contra Iouinianum. — Esaie 52.

Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, domus Israël habitauerunt in humo sua, & pollucrunt eam in viis suis, & in studiis suis: iuxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me, & effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, et in idolis suis polluerunt eam, & dispersi eos in gentes, & ventilati sunt in terras, iuxta vias eorum, & inuentiones eorum iudicaui eos, & ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretis de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt, & peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israël in gentibus ad quas ingressi sunt.

TAM cordi Domino erat populus suus, vt tanquam qui intimè ei patienti condoleret, nunquam ab ore amoueat peccata, ob quæ vsque adeò miserè affligetur. Dicit ergo vitia, quibus cùm sua libertate propria terra gauderent, obambularunt, studia pessima quibus mentes suas semper occuparunt, & sic contaminati sunt, vt horrorem conspectui Domini ingererent: perinde ac menstruata mulier tota sanguine conspurcata atque fœda viro suo, ob quod abstinere cogitur. Similiter ergo per punitionem & calamitatem necessarium fuerit Domino, se ab illis subducere, & ad tempus deserere, donec flagellis purgaretur. Et homicidia item connumerat: quæ omnia indignationem suam, id est, feruorem ignis tribulantis effudisse in eos coëgerunt. contraxerunt præterea eadem mala, idolis quibus patriam suam polluerunt atque prophanarunt. ob quæ extra proprias sedes eos dispergendo, ventilando seu dissipando, inter gentes peregrinari fecit: adeò enim Dominus idololatriam abominatur, vt exilij vagatione, & captiuitate ob eam populus mulctetur: cùm alia scelera aliis punitionibus citra patriæ desertionem corrigerentur. & meritò quidem, cùm omnis hæreticus, quia perdidit fidem, extra Ecclesiam omnino fiat: peccator autem quantumuis aliis flagitiis obnoxius, fidelis sit & intra Ecclesiā maneat. Quod planè videtur hic Dominus insinuare: quandoquidem aliis flagitiis effusione suę indignationis,

dignationis, idololatriæ verò dispersionem, & dissipationem inter gentes assignat. Ad gentes, præterea relegatos non quieuisse dicit, sed mores antiquos sequendo, nomen sanctum suum polluisse atque prophanasse. Liberauerat eos Dominus sua infinita potentia ab Aegyptiis & aliis gentibus, sua doctrina, sicut indulgentissima mater vti lacte nutriuit: vnde Domini sanctitas & maiestas toto orbe inter gentes celebris erat. Quapropter cùm à timore & educatione tanti domini & parentis degenerantes, sic temerè vixissent, sinistrè de Deo sentire cœperunt: tum etiã, quòd Deum, qui sic eos contra sua iussa & constitutas leges viuere permittebat, non sui prouidum, imò imbecillum existimabant, qui intra suas sedes nec continere, & nec ibi punire potuisset. Atque hoc & illud significat quòd irridendo ore impuro apud eos versabatur: populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Quod vtinã non Indi nunc, non Barbari dicant: Nos fideles qui morum & religionis magistri esse debemus, in quo officio nos Dominus Iesus posuit, laxis habenis mundum colere, vitia persequi, & auaritia omnia commutare videntes. Nam proculdubio vt illos, iuxta vias nostras, & studia adinuentionum nostrarum iudicabit, & animaduertet nos Dominus. Quod si dissimulare videtur, ad id tempus & ad illud flagellum quod sibi placitum fuerit, præparat: non quod sui honoris & nominis obliuiscatur. sed tanta est Domini bonitas, quòd suæ gloriæ & famæ interim & ad tempus detrahi suffert, vt commodum nostræ salutis & iustificationis reportet. bonitas enim Dei patientia, & longanimitas, teste Paulo, ad pœnitentiam nos adducit. ad Rom. 2. Ad quem modum hic suo nomini pepercisse dicit, transplantando Israëlitas apud gentes, à quibus ob id blasphemabatur: vt eos lucrifaceret, & tanto flagello erudiret. tempore autem nostræ correptionis & sui consilij expleto, suo nomini & honori consulit: vnde sequitur.

Idcirco dices domui Israël: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam domus Israël: sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus ad quas intrastis; & sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum, vt sciant gentes, quia ego Dominus, dicit Dominus exercituum, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, vt adducam vos in terram vestram.

DICERENT Israëlitæ, satis pœnarum exoluisse, ideo tempus miserendi aduenisse, iustitiamq; postulare, vt eos eripere complaceat. Quibus respondens Dominus, falsos esse dicit, neq; eorum iustitia excitatum, sed sua misericordia motum, liberationem & reditum ad patriam promittere. Psalm. 106. Nã propter nomen meum: misericordiam scilicet meam, famam, & gloriam nominis mei, id faciam, ait: vt à pollutione, prophanatione & blasphemia, qua vestri causa inter gentes inuritur, vindex, faciam. sic enim id sanctificabo, & honori ac gloriæ meæ consulã. & cognoscent gentes, quia ego Dominus, cùm vos libertate asserendo in conspectu earum sanctificatus, & meas iniurias vltus fuero. Tantæ enim curæ gentes Deo fuerunt, quòd vt ipsum agnoscant nullum non lapidem mouit: etenim post publicum gymnasium, ipsis in suo populo instituit non semel & iterum apud Ægyptios olim, & nunc apud Chaldæos, sed millies apud omnes nationes, citra omnem spem humanam, populũ suum liberando, suam omnipotentiam declarauit. & rursus, tam charos suos habere demonstrat, vt misericordia semper eos præueniat, nec iustitiæ æquilibrium, ad nostram subuentionem expectet. Nam quantumuis fibrias extendamus, omnia opera nostra ex nobis quasi pannus menstruatæ sunt in conspectu Domini. Esaie 64. Quare non ob eorum merita, sed ob suam misericordiam eos liberat. & nullis nostris existentibus meritis filius Dei datus est nobis, & paruulus natus est nobis. Esaie 9. Itaq; homo factus nostræ salutis opus in cruce operatus est. quod hoc loco libertate illius populi à captiuitate Babylonica manifestissimè delineatur.

Effundam super vos aquam mundam, & emundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum

pideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini; & habitabitis in terra quam dedi patribus vestris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, & saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.

Hoc loco quòd obscuriùs significauerat per libertatem & reductionem Israëlitici populi, libertatem Ecclesiæ a tyrannide diaboli, & redemptionem per Iesum Christum planè asserit. Quoniam autem in Ecclesia primum quod cõsideratur, est eius regeneratio: deinde eiusdem gubernatio in vitæ progressu, tertiò copia necessariorum ad vitam, & tandem fructus, atque prouentus in tanta sublimitate electorũ spectatur. Primùm ergo regenerationem per baptismum promittit, & gratiam Sacramentorum iustificantem, qua à peccatorum inquinamentis, sicut à sordibus corpora aqua, mundantur: Aqua enim Baptismi sacramenti sicut consepelimur cum Christo in morte ipsius, ita & nos à morte peccati, sicut ipse à morte corporis, resurgimus. De qua regeneratione dixit Christus Iesus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. & eius Apostolus Paulus hoc mysterium tractans, inquit: Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. In Baptismo enim sicut omnis culpa, ita & totus pœnæ reatus aboletur, & noua omnino nascitur creatura. Et ab idôlis, inquit, mundabo. quoniam ab idôlis, quæ gentes antea adorabant: & à mundi idôlis, honorum scilicet & dignitatum magnatum, quæ nullus pro conditione humana & peccati strage non suspicit, auocando, omnem hominem erigit, præter recalcitrantem. Quod exprimens Apostolus ait: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, & non quæ super terram. ob quod spiritum nouum donorum largitorẽ, ilicò se daturum subiungit, in visceribusque ac præcordiis fidelium impressurum: vnius inquam doni, quoad cœlestia & diuina propendat: Qua ratione iure spiritus nouus dicitur contra eum, quo ab antiquo & ipso peccati æuo, terrena tantum ambiuit. alterius verò doni, quo animi humani duritia plusquam saxea emollita, cor carneum reddatur, id est, docile & morigerum. Quo dato, inquit, faciam vt operemini, siue vt faciatis. Vbi Augustinus, cum inquit faciam, vt faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis: & dabo cor carneum, vnde faciatis: cor obediens vnde faciatis. & paulò suprà: Certum est nos facere cùm facimus: sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Quoniam autem sic regeneratis, adminicula ad huius vitæ sustentationem desiderantur, gubernatorem magistrum, & protectorẽ, spiritum sanctũ promittit. Vnde adiicit: & spiritum meum ponã in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, &c: atque ita vt media præcordia discipulorũ occupauit in die Pentecostes, ita & in medio eorũ, igneas referens linguas, apparuit. Is autẽ vt magister cœlestis doctrinę illuminatione & gratię suę instigatione suaui, faciet in præceptis Dñi ambulare, iudiciaq; eius custodire. Vt pater autẽ & protector in Ecclesię terra, promissa Patriarchis per aduentũ Christi inhabitare faciet, vbi populus Dei per adoptionem erit constitutus, secundũ illud Pauli: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterũ in timore, sed spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. & ipsi erit Dominus in Deum, paterna nẽpe viscera ostendentem & declarantem. Tertiũ quod desideratur, est libertas & necessariorũ sufficientia, quæ tribuit Dñs dicendo: *Et saluabo vos ex omnibus inquinamentis vestris, &c.* Vltra hoc quod peccatum animã commaculat, & deturpat, in seruitutem & captiuitatem dæmonis redigit. (qui enim facit peccatum seruus est peccati.) ob quod libertatem pollicendo, cùm antea mundabo, nunc saluabo dicit ab inquinamentis vestris, & annonam non defecturã affirmat. & si necessaria ad corporis victum superabundanter sit prouisurus, non tamen de his primum sermonem instituit, sed de annona & sufficientia bonorum spiritualium, nempe verbi Dei, quod animabus fidelium cibus & alimonia existit, secundũ quod dixit Dominus: Cibus meus est vt faciam voluntatem patris mei. & de eius

Roma. 7.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Coloss. 3.

Augustin. libro de gratia & libero arbitr. cap. 16.

Act. 2.

Roman. 8.

Ioan. 8.

Ioan. 4.

penuria

penuria dixerat antè: immittam famem & sitim non panis & aquæ, sed audiendi verbum Dei. Hanc ergo famem omnino à sua Ecclesia depulsurum certos nos facit, imo promitit, in magna abundantia multiplicandum: quia vocabo, inquit, frumentum. Cùm enim Dominus homo factus suam prædicando vocem edidit, Euangelium execuit, quod Ecclesiam suam docuit, & docendum eius Apostolis eorumq; successoribus tradidit vsq; ad finem mundi. & quoniam principes & gubernatores Reipubl. ad solam suam vocem & imperium, frumenti copiam haberi, & multiplicari facit: nostro modo se accommodans, de re spiritali loquens, ait: Vocabo frumentum, &c. quod autem frumenti nomine Euangelium & verbi Dei prædicatio intelligatur, iplemet Dominus Iesus explicuit, agricolæ illius diuersas terræ partes seminantis parabolam edisserens: inquit enim, semen est verbum Dei, &c. & deniq; eius Apostolus Ioannes, in distractione illa tritici denario vno, &c. Lucæ 8. Apocal. 6.

Et multiplicabo fructũ ligni, & gemmina agri, vt non portetis vltrà opprobriũ famis in gentibus, & recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumq; non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ & scelera vestra.

FRVCTVS virtutis & prouentus, qui in Ecclesia ex prædicta cultura prouenîet, enarrat. ferent enim virtutis & charitatis opera fideles, quos arbores siue ligna & campum, siue agrum multigenis plantis per ornatum dicit. quod Propheta de Ecclesia vaticinans, dixerat: Et ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & comedent fructus earum. & infra, vt de Ecclesia se loqui planum faceret, de Synagoga ait: Secundũ enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt. Ad quod Christus Iesus noster alludens dixit Pharisæis: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, aut facite arborem malam, & fructus eius malos: arbores & plantas agri supponens homines appellatos esse. Atqui quoniam de fructu dilectionis Dei super omnia potissimum loquitur: quæ idololatriæ (quæ inuentio & superstitio gentium fuit) omnino contraria tunc fuit, vt beata Cicilia virgo & martyr testata est, dicens ad Tiburtium: Hodie fateor meum esse propinquum, qui dilectione Dei te ostendisti esse contemptorem idolorum; & omnino per Christum exterminanda erat. atque adeò subdit: vt non portetis vltrà, seu non feratis opprobrium famis in gentibus. non enim de captiuitate aut vastatione in bello est sermo, vt dictum est, sed de alimonia & sustentatione spiritus. Porro quoniam fulcimentum virtutis, vitij odium existit, & studiosæ vitæ stimulus, fuga est inhonestioris atque inordinatæ: & diuinæ iustitiæ satisfactio, beneuolentiæque numinis requisitio, peccatorum pœnitentia, & collacrymatio est: futura hæc omnia vt quotidianus panis in Ecclesia, prædicitur. Quare cùm vias pessimas, siue vitia & studia non bona, siue desideria, & prauas mentis occupationes in mentem venerint, displicebunt omnino, atque detestabuntur: tam quæ contra naturæ legem commissæ sunt, quas iniquitates appellat Hieronymus; quàm quæ contra præcepta & mandata Domini posita: quæ peccata & scelera nuncupamus. Esaiæ 65. Math. 12.

Non propter vos faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super viis vestris domus Israël.

QVONIAM ingenium hominum est, cùm è calamitate aliqua in prosperitatem assurgunt, & cum e profundo peccati in Dei gratiam, aliquando exercitio operum pœnitentiæ, cristas erigere, superbire, suæ industriæ & viribus propriis cum Dei obliuione plus nimio tribuere: huic morbo obuians duo in memoria semper habere vult, non propter sua merita ereptos, cohonestatos & liberatos, sed propter Dei misericordiam & bonitatem. Quapropter dixit Dominus Iesus: Cùm feceritis omnia quæ debuistis facere, dicite serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus. Alterum est quòd peccatorum memoriam reuocantes, super ipsis erubescamus & confundamur, quòd talia, Dominum offendentes, commiserimus; acceptum Domino referentes, & quòd ea euaserimus, & quòd non reincidemus, cùm ex nobis non ad bonum aspiremus; est enim humilitas, beneuolentiæ Domini custos. Lucæ 17.

Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, & inhabitari fecero vrbes, & instaurauero ruinosa, & terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, dicent: Terra illa inculta, facta est vt hortus voluptatis, & ciuitates desertæ & destitutæ, atque suffossæ munitæ sederunt. & scient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificaui dissipata, plantauiq; inculta. Ego Dominus locutus sim & fecerim: Hæc dicit Dominus Deus. adhuc in hoc inuenient me domus Israël, vt faciam eis. multiplicabo eos sicut gregem ouium, vt gregem sanctum, vt gregem Hierusalem in solennitatibus eius. sic erunt ciuitates desertæ plenæ gregibus hominum; & scient, quia ego Dominus.

BONA ad quæ redituri erant Iudæi vt bono animo sint, specialius recenset; ea autem dicit esse inhabitationes vrbium quæ relictæ fuerant, reædificationes ædificiorum, quæ fuerant; & cultus terræ tam vberes quòd prætereuntes præ admiratione dicent: Terra inculta, ecce facta est hortus voluptatis: & insuper gentes, quæ superfuerunt post vastationes commemoratas, cognoscent, inquit, quia ego Dominus: eo quòd volui dissipata reædificare, & sic delitiosè plantare inculta, & omnino sterilia facta. sed insuper post redundantiam opum & diuitiarum, quam memorauit, adhuc in hoc exauditurum eos dicit, quòd mirum in modum populum multiplicabit. Nam vt gregem ouium ipsis hominibus, ita & ipsos homines multiplicabit: & vt greges ouium quæ Deo consecrabantur, & quæ in Hierusalem concurrebant in victimas offerendę, in præcipuis solennitatibus, quæ propè infinitæ erant, absq; numero illis festis infulta multitudine hominum cum suis victimis ibi confluente: multo ergo maiori numero se homines multiplicaturum pollicetur. sed, nunquid de opibus, de multiplicatione hominum tanta cura est Deo, an potiùs de virtute, de sanctitate, de religione? maximè quidem. Etenim, vt sæpe diximus, fœlicem Ecclesiæ statum per reductionem Israël ad suam patriam significat. quippe qui iumentorum & bestiarum more viuebant, doctrina Christi in hominum rationem ascensuri erant. & sic vrbes & ciuitates inhabitaturi: animarum potentiæ & facultates insultibus peccatorum dissipatæ, pœnitentia atq; timore erant reparan-[Coloss. 3.] dæ, imò mortificandæ, vt dicebat Paulus: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam, quod est idolorum seruitus: Euangelij doctrina proinde, rationẽ & intellectum hominis colẽdos esse, perindeatq; agrum ab agricola, qui iustos fructus ab eo percipere studet. [1.Cor.3.] Hæc enim bona Apostoli & successores Euangelij prædicatores, procisa cordiũ terra plantant, ac rigant. Deus autem supremus agricola incrementum quotidie donat: atq; ita vt hortus voluptatis, vbertate bonorum spiritalium Ecclesia existit: ita vt gentes mirentur, dicentes: Inculta terra hortus voluptatis facta est. nonne hoc dixerunt ad Ecclesiam tanta frequentia ad eam homines concurrentes, vt totum istum orbem occuparent, temporibus Aug. Hierony. Ambrosij, & aurei illius sæculi hominum? proculdubio. Quòd si nunc non conueniunt, nostra incuria & desidia in causa est: quòd ita inuerso religionis ordine, vt exteros homines cum sacri Euangelij iniuria & eorum offensione à Christiana religionę potius abiiciamus, quàm ad eam inuitemus. Prætereuntis enim nomine, gentes intelligit: iuxta illud vatis: Et non dixerunt qui pręteribãt, Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine [Psal.118.] Domini. Appellatur autem Ecclesia hortus voluptatis, quia sic antè in scriptura nũcupata est: Hortus conclusus soror mea sponsa mea. & rursus: Surge Aquilo, ve-[Cantic.4.] ni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata eius. & in memoriam reuocans paradisum illum, à quo per peccatum eiecti sumus, in quem per æquiualen-[Apocaly.3.] tiam gratię, nos Ecclesia restituit, vnde & eo nomine eandem censuit beatus Ioannes, dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitę quod est in paradiso Dei mei. Deinde expressius concursum gentium ad Ecclesiam pędicit, cum ad eius cognitionem venturas affirmat: videndo opere compleuisse quę locutus fuerat de Ecclesiæ reędi-

sicæ reædificatione, per reductionem & liberationem Israëlitarum ad suas sedes, diuino solo consilio & potentia: iuxta vocem illam gentium, Sicut audiuimus, sic vidimus,&c. & tandem in Ecclesia omnimodam virtutis,sanctitatis, & religionis culturam passim & in omni hominum frequentia perspiciendo: Nam cùm hoc à Domino potissimùm requirent, se exauditurum promittit: iuxta illud Domini Iesu, Petite & accipietis, vsque modò non petistis quicquam in nomine meo,&c. Quod nos docens: fidelium multiplicationem, ouium copiosissimæ fœturę, assimilauit. Nam dum gregis meminit, facit se pastorem, qui Christus est, vt suprà probatum est. De grege igitur Ecclesiæ proculdubio sermo est. Ouis quidem animal simplicissimum & omnino imbecille est,quales suos Christianos exoptat Dominus.& insuper non quibusque ouibus,sed sanctis,id est, consecratis ad Dei sacrificia & oblationes. Nec tantùm, quæ consecratæ erant, sed quæ post dedicationem, ad Hierusalem mactandæ in Dei honorem diebus festis, & magnæ solennitatis conuenerant. quę omnia Ecclesiæ multiplicationem aptè insinuant: de qua dixerat Dominus per Prophetam: Ego qui alios parere facio,nunquid sterilis ero? & alibi de hac generatione Christi per fidem disserens,ait: Generationem eius quis enarrabit?

Psalm. 47.
Ioan. 14.
Esaiæ 66.
Esaiæ 53.

CAPVT XXXVII.



Acta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & misit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circunduxit me per ea in gyrum. erant autem multa valdè super faciem campi, siccaq; vehementer. & dixit ad me: Fili hominis: putasnè viuent ossa ista? & dixi: Domine Deus tu nosti. & dixit ad me; Vaticinare de ossibus istis, & dices eis.

MAGNAE res sunt,quę nobis hoc capite vaticinantur: siquidem ad ea prædicanda,subductum Prophetam à corpore,eiusq; negotiis omninò, spirituq; prophetico per considerationem mentis eleuatum fuisse in cœmeterium cum mortuis, ossibusque mortuorum agentem, ipso initio, ostenditur. & ita est,quod res magnas spiritus, & omninò supernaturales sic statu supernaturali prædicit, & libertatem Ecclesiæ per Christum Iesum, ac Iudę cum decem tribubus Israël,& gentibus, qui tantopere desiderabant, futuram vnitatem in Ecclesia,vinculo pacis & charitatis cõpactam. Primùm ergo quod subobscurius in pręcedentibus insinuarat, distinctiùs hîc manifestat,per reditum,nempe,& libertatem Iudęorum; Ecclesię libertatem à tyrannide dęmonis & seruitute peccati per Christum intelligere,quod statim ex visione colligitur: nam quorsum cùm vita corporali valerent Iudęi captiui, eos ossibus comparat mortuorum? & omnia per gyrum contemplari iubet, vt nec vnum excipiat: & multa valdè esse dicit, vehementerque sicca? nisi quòd vniuersum populum Iudęorum mortuum spiritualiter, perinde ac illos quorum ossibus cœmeteria plena sunt: idq; vetustate peccati,longaq; consuetudine peccandi,vt ossa nimis sicca nullum penitus humorem ex vita cui seruierant indicantia, sed penè terra facta, ossis speciem iam deperdi. Interrogat autem Prophetam,si ea existimet posse viuere? vt respondeat ipse: Tu nosti Domine; cognoscendo planè: vt hominis mortui imbecillitatem,ad vitam corporalem resumendam, ita ad vitam animæ & spiritus, nisi Domino cooperante,& efficiente. Quibus prędicatorem eximiè instruit, vt quæ ad suam gloriam populo velit dicere, se à corpore eiusq; negotiis auocãdo, abstinentia & diligentia orationis Dominum roget: & quæ dicenda suppeditauerit, diligenter euoluat, atq; inspiciat. atq; tandem se tantum ministrum, Dominum autem auctorem,& sui verbi plantatorem intelligat. Instructus ergo Propheta ait.

Ossa arida audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & dabo super vos neruos, et succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuetis, & scietis, quia ego Dominus. & prophetaui, sicut præceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodq; ad iuncturam suam, & vidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt. & extenta est in

eis cutis desuper, & spiritum non habebant. & dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. & prophetaui sicut præceperat mihi, ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè.

HOC item idem non minus planè manifestat: quod resurrectionem corporum futuram (quam sibi ex fide notissimam supponit) in argumentum & persuasionē resurrectionis animæ à peccato, & liberationis à iugo dæmonis assumit. vt enim mors corporis, mortem animæ per proprium peccatū sequuta est, eiusq; indiuiduus monitor existit: ita & corporis resurrectio, animę resurrectionis indicatrix existit. & quadam correlatione se mutuo respiciunt. resurrectionem autē corporum, notissimā Iudæi habuerunt; tum ex Iob, iterum pellem suam, qua tunc pariebatur, circun- Iob. 19. Daniel. 12. dandū dicente: in carne propria visurum Deum: & Daniele asserēte: Multi qui dormiunt in terrę puluere, resurgent isti in vitam æternam, & isti in opprobrium & cōfusionem perpetuam. & aliis locis. Tria autem à peccatore exigit Dominus, vt eum libertate suę gratię donet: & fidem promissionis, qua pollicitus est libertatem, & remissionem peccati, eam per pœnitentiam affectāti, & cognitionē sui ex propria officina: & deniq; imbecillitatem ac impotentiam ad se à peccato expediendum, diuinamq; gratiam suis virtutibus assequendam. Nam hæc omnia à populo illo requisiuit, vt in libertatem per Christi Iesu mortem assereret: sub figura tamen libertatis illius à captiuitate Chaldæorum, & reditus ad proprias sedes, & regionē. Fuit enim, vt inquit Cyrillus super Esaiam, imò & B. Paulus ad Gal. 3. Lex & prophetarum prędicatio magisterium quoddam & pædagogia, qua inuitatione, & promissione fluxilis rei ad virtutem, ad exercitium literatum & ad amorem scientię attrahere curarunt: non aliter quidem, quàm matres, quę vt ad suam voluntatē filios prouocent, & ad suum amorem alliciant, pomum, ficum, & alia interdum huiusmodi tradunt; non vt eos similibus sustentent, sed vt eorum voluntatem ad maiora appetenda lucrentur. Ita sanè otium pædagogi fuit, & indulgentia matris, populum illū libertate tēporali donare, frugibus suæ terræ perfrui concedere, quibus ad animæ redemptionem & diuitias spiritus assequendas assurgeret. Primùm ergo in promissione Domini spē iubet habere. Quare eam per Prophetā innotescere iubet, dicendo: Ossa arida audite, &c. Deinde infirmitatē, & nihil hominis, vt ita dicam, considerare aduertit, dum præter spiritum & animam viuificantem corpus, nihil aliud hominem, esse ostendit, quàm ossium cumulum, sic ordinatè dispositorum, atq; neruis, vt funibus fortibus circumligatorum, carne insuper tectum, & cute, ad pulchri- Iob. 10. tudinem & honestatem, obductum quod Iob significanter & diuinitùs antea dixerat: Pelle & carnib^{9} vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Quod si hoc cōsideret homo, quomodo suum nihil non despiciet: idq;, & id quod est, ad ipsum cōtinuè tendere, vt animę prospiciat? hoc diuinè docet nos Spiritus sanctus in refabricatione corporis, per resurrectionem, hîc oculis supposita. Cui vt reintroducit spiritum & animam, vt sic homo resurgens viuat, sic primùm cùm homo genitus est, eam creat, Genes. 2. (vt in Genesi dicitur) Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c. Sic ergo viuētem vita naturali dicit populum Iudæorum, quem antea ossa arida nimis ob vetustatem peccati, quantum ad vitam spiritualem, appellauerat: ita enim dicit:

Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc vniuersa domus Israël est. ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscisi sumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & inducam vos in terram Israël, & scietis, quia ego Dominus cùm aperuero sepulchra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris popule meus, & dedero spiritum meū in vobis, & vixeritis. & requiescere vos faciam super humum vestram, et scietis, quia ego Dominus loquutus sum, & feci, ait Dominus Deus.

QVOD tertio loco Dominus à suis exigit, est humilitas, cognitio propriæ infirmitatis

mitatis & imbecillitatis ad bonú, citra Dei iuuamen prosequendum. est enim via diaboli superbia. Quapropter iter Domini alterum extremum, humilitas & abiectio. Hanc etenim rem vt mundi fastú, superbiam, & elationem prosterneret, humilis, pauper, & mansuetus nasci voluit, & exéplar imirandum proposuit, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth.11. Quocirca confitentibus hic Iudæis propriarú virium infirmitatem, dicendo; Ossa nostra aruerunt: & nullá confidentiam in humano auxilio habere, dicendo, Periit spes nostra: & deniq; tanquá palmites à vite, & ramos ab arbore abscissos, à protectione Domini ob sua delicta abscisos, & à propriis sedibus relegatos, Dominus subuenit. Etenim humanis omnibus auxiliis deploratis, cùm homines nó aliud, quàm mortem restare arbitrantur, afflictis in eo sperátibus solùm succurrere consueuit. vnde primum potentiam & imperiú Chaldæorum vastaturum per Prophetam minatur: vt factum fuit per reges Persarum. Qua occasione vsus suum populú liberauit. nam hoc est effringere eorum potestatem, & tumulos ac sepulchra Iudæorú aperire. illorum siquidem dominio & potestate tanquá tumulis & sepulchris mortui detinebantur. quòd & captiuitaté illam mortem animarú significare apertissimè demonstratur. Tumulus quidem, & sepulchrú ad mortuos referuntur, quòd cùm corpore viuerent, quid aliud, quá animarum mortem intelligendú restat? & tunc cognoscetis, ait, quia ego Dñs. imperium quandoquidem, cui nullú par erat in orbe, quæ potentia, anno & tépore multo ante signato auerteret, nisi diuina valeret? & rursus ob eandem causam repetit, cùm eduxerit eos à tumulis & sepulchris: id est, libertate asseruerit, quietemq; in sua patria dederit, cognituros eos Dominú, quoniam æquè diuina potentia, pro sua voluntate in Chaldæorum destructioné & Iudæorum liberatione relucet. verùm quoniam de liberatione à tyrannide peccati, per redemptionem Christi Iesu, primùm intendit, non prætereundum duxi, quod in hoc loco & aliis, quibus toties repetit, & cognoscent quia ego Dominus Deus; de cognitione Dei loqui, homine népe facto. Tunc enim Dominus cognitus est speciali ratione, cognatus népe, frater & amicus noster, quia hoc habitu nostram operatus est salutem & redemptionem. tunc item infinita Dei misericordia cognita, & hominibus approbata est, quando familiariter eum audiebant. quem vsq; adeò timuerant audire, vt dicerent Moysi: Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Exod.20. Nam per fidem semper Iudæi eum cognouerunt Deum. Facit etiam ad hoc quòd completo mysterio incarnationis Domini, & post eius admirabilem ad cœlos ascensionem, apocalypsim, & prophetiam, beatus Ioannes subscripsit hac nota, Ego Iesus. ante incarnationem verò, & tempore legis, dicta & oracula Prophetarum semper firmauit dicendo: Ego Dominus: aut, Hæc dicit Dominus Deus.

Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, sume tibi lignum vnú, et scribe super illud Iudæ, & filiorú Israël, & sociorum eius. et tolle lignum alterum, et scribe super illud, Ioseph lignum Ephraim, et cunctæ domus Israël, sociorumq; eius. & adiunge illa vnum ad alterum tibi in lignum vnú, et erunt in vnionem in manu tua. Cùm auté dixerint ad te filij populi tui loquentes: Nónne indicas nobis, quid in his tibi velis? loquere ad eos: Hæc dicit Dñs Deus: Ecce ego assumam lignú Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israël, quæ sunt ei adiunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Iudæ, & faciam eas in lignum vnum, & erunt vnum in manu eius. Erunt autem ligna super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.

SVB similitudine & parabola Ecclesię vnitatem per Christum Iesum Dominú nostrum, iussu Domini vaticinatur Propheta, ex Iudæis Israëlitis, & gentibus. nam cùm de Iuda quæ amplectebatur tribum Beniamin, & Leuitas, liberras decantata sit: vt planè per hanc reductionem, Ecclesiæ redemptioné intelligere significaret, Israëlitarú confluxum ad Iudam prędicit. qui tamen non conuenit, ante Christum, neq; etiam post, secundum terrestrem & temporalem habitationem, cùm adhuc in montibus, vbi busque Medorum seruire dicat Hieronymus. Vbi videant suum exitum hæretici, qui figurati per decem illas tribus sub Ieroboam, à Iuda, id est, ab

Ecclesia Christi Catholica recesserunt. nisi enim ad Iudam, hoc est, ad Ecclesiam per confessionem Catholicę fidei redierint, actum est de illis. nam in montibus Medorum, id est, habitationibus dæmoniorum, apud inferos perpetuò seruient. & tandem in fine capitis confluxuras gentes ad regnum, & Ecclesiæ imperium dicit. Nam cùm ad sanctitatem homines omnes suapte natura aspirent, cùm in populo meo Israël, inquit, eam viderint, cognoscent me sanctificatorem: id est, hominem factum, qui omnem sanctitatem tribuero: confitebuntur insuper & me sequentur in Ecclesia mea & regno. Ad hanc igitur vnitatem significandam, in tabella iubet Prophetę scribere, domui Iudæ, & in altera tabella, domui Israël, siue Ephraim, aut Ioseph. His enim tribus nominibus decem tribus appellabantur. Primò, quòd plures essent quàm Iudæi nomen antiquum totius populi sibi reseruarunt. Alia verò duo nomina ratione Ieroboam principis discessionis, qui fuit filius Nabath, de tribu Ephraim, qui fuit filius Ioseph Patriarchæ. Rursus has duas tabellas siue ligna in vnum colligare & iungere iubet, atquę vna manu tenere. Figura est & typus vnitatis duorum populorum, & aptissima quidem. Primum enim Scripturę mysterium signatur, quæ memoriæ & perpetuitati deseruit. Nam qui passionis Christi Iesu nostri participes fuerint, in memoria Domini erunt, iuxta illud: In memoria æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit: simul vt eorum menti idem sacramentum commendaret, atque ita sub spe redemptionis Domini semper viuerent. Et in tabella siue ligno aptè describitur: quia in ligno crucis omnia pacificauit, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Iunguntur q; deinde in vnum: quia in vnitatem Ecclesię conuenturi erant per Christum, qui fecit vtraque vnum. & in vna manu, non duabus Prophetæ tenentur: quia potentia vnius Christi Iesu nostri (quem Propheta referebat) mysterium hoc complendum erat. Vnde & in figuram illius, quòd Dominus prædicádo facturus erat, vt proposito ænigmate & parabola populo, postea rogantibus discipulis enarraret: hîc in typum obiecta similitudine, quærenti explicationem populo reserare iubet. In prædictione autem huius figuræ duo sunt aduertenda: Vnum quod dicit: Ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim &c. vbi notatur, quòd tribus Ephraim e qua fuit Ieroboam, Israëli semper imperauit: vt hęreticorum posteri priorem hæresiarcham ducem semper sequuntur, vt quotquot hæreticorum nostro tempore sectæ sunt, Lutherum semper agnoscunt suscitatorem omnium elapsarum hæresum. Alterum est, quod ligno Iudę adiungitur lignum Ioseph, & Ephraim non econtra: quia Catholicæ Ecclesiæ fidem Christi verè confitenti, omnes hæretici adiungendi sunt per confessionem eiusdem fidei, modò ad Christi hæreditatem reduces esse velint. atqui quoniam Ecclesiam in scholam publicam omnium qui ad cœlum ascendere cupierint, posuit, ligna sic descripta & vnita, oculis omnium proposita, tenere manu sua iubet.

Psalm. 111.

Paulus ad Coloss. 1.

Paulus ad Ephes. 2.

Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndiq; & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Israël. & rex vnus erit omnibus imperans. & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, neq; polluent vltrà in idólis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis, & saluos eos faciam de vniuersis sedibus suis in quibus peccauerunt, & emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.

EXPLICAT quibus rationibus vnitas dicta populorum conciliabitur: tresque recenset, conuictum, vnitatem regis, & vnius Dei cultum. Etenim vt naturalis vita absque communicatione, sufficienter saluari non potest, vt rerum commutationibus, & commerciis, indigentia horum, & illorum excrescentia ad vitam æquetur, siue temperetur; ita & spiritualis vita in exercitio virtutum, & vnius legis cælestis, nempe fidei, cum suis asseclis, spe, & charitate custodia minimè retineri potest, absque simili in suo genere commercio & conuersatione: quare ex dispersione gentium Israëlem tandem adducendum ad suam humum, vbi primùm cum

tribu

tribu Iuda habitauit,& per hoc vtrumque populum ad Ecclesiam accessurum promittit. Deinde pluralitas principum legitimę gubernationi omnino obest. Nam & populos diuidit, dum vnus vnum, alius alium affectar, populum sic ad diuersa trahentes: & varios ac diuersos mores longe proseminant, dum iste has, ille alias leges & statuta condit, vt exemplo fuerunt Ieroboam, & Roboam populum Dei diuidentes, atque ad varios mores & cultus pro vniuscuiusque libito suos trahentes. Quapropter, inquit, vnus rex tantum erit, nec ampliùs duo erunt regna. Tertiò quòd super omnia adunat, & omnino dispersa congregat, vnius veri Dei cognitio & cultus existit: Est quippe naturale multitudinis & pluralitatis in eam vnitatem colligi, à qua profluxerat & dimanauerat. Quocirca cùm vniuersale principium, & illud vnum quo posito omnia ponuntur, & quo sublato omnia tolluntur, vt dicebat quidam, Deus sit: suauiter in eius cognitione & cultu omnes homines congregantur. vnde facta congregatione cessatura idôla & Israelis abominationes dicit, & liberaturum siue emundaturum insuper, ab idôlis & abominationibus, quibus & in Babylonia & illis sedibus dispersi, idôla colendo nomen sanctum Dei polluerant, atque prophanauerant. atque hoc continget, quando erit mihi populus, ait, & ego ero illis Deus. quod intelligi nequit, nisi per assumptam humanitatem, quando apparuit factus homo, & Ecclesia eius tanta misericordia coadunata est in vnum populum, sicut nec præcedentes immediatè promissiones. Quoniam in ea vnus rex tantùm est Christus Iesus noster. Quare de temporali vno rege non est sermo: nec ante ipsum etiam idôla cessarunt. Plato in Parmen.

Et seruus meus Dauid rex super eos; & pastor vnus erit omnium eorum. in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea, & habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri, & habitabunt super ipsam, ipsi & filij eorum, & filij filiorum eorum vsque in sempiternum, & Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.

Religionem, vitam, & situm Ecclesiæ narrat; hæc nullatenus de reductione materiali ad sedes antiquas intelligi possunt: quoniam nec rex Dauid, qui iam prætericrat, surrecturus iterum ad regendum erat: neque tempore illo tam accurata, vt hîc describitur, illius populi fuit institutio. Est ergo apertus sermo de Ecclesia quæ Christi Iesu pascuis cœlestibus fuit pasta, & tanta expensa à lupis & bestiis nociuis redempta & defensa, vt animam suam posuerit pro ouibus suis. Quapropter pastor hic prænunciatur. & proprio ore id ipsum testatus est, dicens: Ego sum pastor bonus. Est item rex eius spiritalis, secundum quod ipse dixit: Regnum meum non est de hoc mundo: officium regis directione, gubernatione, & defensione animarum gerens. ad quod insinuandum ilico post regis appellationem, pastoris nomine magis temperato, notatur. Appellatur autem Christus Dauid seruus Dei patris, prænuncians appellationes quibus in Euangelio nuncupatur vt quando dicitur illi: Fili Dauid miserere mei. & iterum: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, & aliis pluribus locis: quia ex domo & familia Dauid, vt promissus fuit, descendit. & seruus item compellatur, quia minor patre secundum humanitatem. De vita autem Ecclesiæ sic vaticinatur: quòd iudicia Domini docebit, & lumen viæ, & gressus vitæ dirigendo suggerens. ita enim post peccatum per propriam in seipsis hominum confidentiam ratio hallucinata est, vt cœca & tenebris ignorantiæ obruta, absque Deo æstimetur. Quare, vt cœcus directore tanquam lumine, ad ambulandum indiget: ita & homo luce cœlestis doctrinæ: vnde quia à Deo emanat, nomine iudiciorum intimatur. mandatorum autem: vt nobis complenda, proponitur, & præcipitur. Quapropter subdit: Et mandata mea custodient. Vbi cura & vigilantia qua mandatis Domini obseruandis intendendú est, notatur: ex qua eorum exequutio sequitur. Quamobrem & facient ea subiungitur. Nunquam enim Ecclesia absque his vitæ partibus inuenitur, etsi plures in se contineat fideles, qui à recto tramite per peccata deuient: Quos reducere ad fru- Ioan. 10. Ioan. 18. Marci 10. Matt. 1.

ad frugaliorem vitam semper est sollicita. De situ autem non quidem materiali, sed spirituali ita loquitur.

Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob.

HABITATIONEM promittit in terra, quam dedit Iacob, & quam Patriarchę inhabitarunt. quod de terra spirituali vt dixi, id est, de benedictionibus Patriarchis factis & in Ecclesia complendis, manifestè intelligendum ipsemet textus sacer docet. Primùm quòd ipsos Israëlitas eorumque posteros vsque in sempiternum eam terram habitaturos dicit: ita quòd ab ea nunquam expellendi venirent, cuius contrarium non post multos annos contigit. Item quia in sempiternum princeps super eos Dauid Dei seruus promittitur, quod nisi de Christo intelligi non potest, vt dictum est. Quod expressè Angelus de Christo interpretatus est, dicens: Et dabit illi Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius Lucæ 1. non erit finis. Ecce, vbi mentionem inserens Iacob & Dauid, & perpetuitatis, quæ hîc promittitur: hunc locum planè interpretari visus est.

Et percutiam cum illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis, & fundabo eos & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, & scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israël cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

DE fune & vinculo, quo vnitas corporis Ecclesiæ colliganda erat, differit, quòd est charitas. Super autem hæc omnia charitatem diligite, quod est vinculum pacis, Coloss. 3. dicebat Paulus. Atqui quoniam finis præcepti est charitas, vt idem Apostolus do- 1. Timot. 1. cuit: basis autem charitatis pax cum Deo existit: tot sæculis propter irritationem peccati exoptata, antequam adueniret, & antequam Christus Iesus noster cum sua morte sacrosancta effecisset: ideo Euangelium, quod eius vitæ, & diuinorum mysteriorum enarratio est, fœdus pacis appellatur. Vnde & Angeli hominibus gratulantes natiuitatem Christi pacem hominibus cum Deo decantarunt, dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas, Dei nempe, quam verbo suo incarnato & nato in mundo, gerebat hominibus. Christus deinde salutatione pacis suos solatus est, post suam resurrectionem dicendo: Pax vobis, atque Ioan. 20. iterum, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus Lucæ 14. dat, ego do vobis. huius autem pacis nuncium & testimonium æternum, Euangelium existit, vt nomen pacis & fœderis iure retineat: Qui autem hanc pacem operatus sit, statim explicat Dominus: nempe fundando eos, & Ecclesiam super Christum firmissimam petram. ita siquidem Paulus id celebrat: Fundamentum aliud 1. Cor. 3. nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus: & ite- Ephes. 2. rum, Non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum, & domestici Dei fundati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo lapide angulari Christo Iesu. in quo multiplicatio fidelium superædificata est, & creuit in templum sanctum Dei. Deinde hoc mysterium amplius explicando sanctificationem suam in medio eorum daturum dicit, & tabernaculum suum cum eis futurum pollicetur. Christus etenim Iesus noster quantum ad sanctitatem, quam in mundo operatus est, ad omnium redemptionem, accommodatè satis sanctificatio in medio populorum posita dicitur, siue sancta aut templum, vt alij transferunt. suo e- Matt. 26. nim sacrosancto corpore (quod templum ipse appellauit) nostram sanctificationem operatus est. & tabernaculum item Dei, secundum assumptam humanitatem: Ita Apocal. 21. enim explicuit hunc locum B. Ioannes. Et erit tabernaculũ meum cum eis, de Christo differens. & aptissime quidem: nam id tabernaculum peregrinationis, ante ædificationem templi, sicut post ipsum templum Christi figura, in peregrinatione huius vitæ mortalis omnino extitit; iureq; optimo sic nuncupatus est: Nam vt domo & tabernaculo homines cõquiescere solent, ita & in Christo homine, Deũ patrem quie- Matth. 4. uisse testatus est, dũ in Baptismo dicit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. & iterũ in transfigurationis mysterio, & per Prophetã, refertur, etiã Matth. 12. à Mattheo, Puer meus dilectus quẽ elegi, in quo bene cõplacui animę meę. Efferbuit

enim

enim ita æterni patris, in verbi sui vnigeniti incarnatione: vnde sanctificatio & tabernaculum aptissimè dicitur, quia ad redemptionem & coadunationem in Ecclesia, tam gentium quàm Israëlitarum venit. Vnde cum vocatione gentium clauditur textus.

CAPVT XXXVIII.



T factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, principem capitis Mosoch, & Thubal, et vaticinare de eo, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & Thubal, & circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis vniuersos, multitudinem magnam, hastam, & clypeum arripientium & gladium, Persæ, & Æthiopes, & Libyes cum eis omnes scutati, & galeati, Gomer & vniuersa agmina eius domus Togorma latera Aquilonis, & totum robur eius, populiq́; multi tecum. Præpara, & instrue te, & omnem multitudinē tuam, quæ coaceruata est ad te, & esto eis in præceptum.

NATVRAE hominum omnino consentaneū est, postquam vota sua assecuti fuerint, & ad suas sedes exules reducti, rerumq́; potiti, otio & ignauiæ indulgere. vnde peccata omnia scaturiunt, & in eorum pœnā ab hostibus prouidére Domino interturbari, affligi, ac multoties perdi solent. Quapropter constructa Ecclesiæ acie in superioribus vaticiniis, mala quæ eam ambitura erant, plus nimio Christianis hominibus confidenter & securè agentibus, iam vaticinatur, & exitus simul ac pœnas, quas hostes, sic in eam furentes, sustinebunt. Ob quod statim in initio iubet Dominus Prophetam faciem suam contra eos obfirmare, id est, ad eos sermonem animosè, & vultu indignante conuertere, Dominumq́ue & Deum omnipotentem manu graui & vindicanti ad eos venire, quo & soletur Ecclesiam, tanto antè tempore cognitione & præuentione muniendo. Mala enim præmissa, aut industria & sagacitate declinantur: aut ineuitabiliter futura, minus feriunt: & hostes, [B.Greg. in Luc. cap. 21.] vt sibi consulant, absque Domini nutu & permissione, rem hanc non aggressuros sciant, & ob scelera & flagitia commissa, & excessus in executione mandati pro sua libidine non impunè tandem discessuros. Principio igitur adnotare oportet, quòd etsi plures numerentur hostes, ad Gog tantùm & Magog aduentus Domini iracūdus intimare iubetur. Pro quo aduerte (quod & in nostris commentariis super Apocalyp. notauimus) diabolum post exercitum suum inuisibilem, sensibilem alium & visibilem gerere, ex paganis, Iudæis, hæreticis conflatum. Nam etsi praui & scelerati homines, intra Ecclesiam illi seruiant, ad eiusq́ue ditionem pertineant, non tamen exercitum hunc componunt, quia pro eo non pugnant, sed tantum captiui & vinculis astricti peccati, ipsi seruiunt. Qui enim non est mecum, inquit Christus Dominus noster, contra me est; [Luce 11.] & qui non colligit mecū, dispergit, id est, in dispersione & factione dæmonis est. Huius ergo visibilis exercitus cōtra Ecclesiam ab ipso initio consurgentis, etsi plures reges duces fuerint, supremus tamen dux, rex, & imperator Antichristus in fine mundi adueniet. qui cùm sui corporis membris tanto tēpore dimicando, Ecclesiam obtinere non potuerit, vltimum assultum sua ipse persona cum innumerabili exercitu eam omninò vastaturus, faciet, quod in suum caput recidet. Is ergo Gog dicitur, iuxta interpretationem beati Ioannis, & eius exercitus, Magog. [Apoc. 20.] & aptè quidem iuxta interpretationem nominum: quippe Gog, tectum vertitur; Magog verò detectum. Antichristus quidem oraculis Scripturarum tectus est vsque ad finem seculi, quo aduentante prodibit: & tanquam de domo sua & tecto totus memoratus exercitus eius, tyrannicum imperium procurans, egressus est, & semper exibit. Vnde quia sathanas horum imperator & caput existit, Gog & Magog, id est, Antichristū cum innumerabili exercitu postquā mille annis transactis solutus erit, vt dicit B. Ioan. loco citato, ex quatuor angulis terrę, congregaturus asseritur. Primū ergo non præter Domini voluntatem, sed ipso permittente

exercitum

exercitum hunc colligendum prędicit, cùm ait: circumagam, & ponam frænum in maxillis tuis. instructio enim & vmbratile bellum, exercendum, ad vires explorandas, & artem militarem excolendam, vt ad vsum sit cùm ea opus fuerit, hic significatur. flectere enim equum pro equitis arbitrio, ipsumq́; peritè circũagere, equumq́ue infrænare vt morigerum se præbeat, artis militaris studia sunt. Etsi omnes expositores punitionem & animaduersionem hoc loco præoccupent, quod mihi non probatur, cùm infrà eius specialiter meminerit. pręsertim quòd statim de progressu ad bellum agit, quem instructio & militum exercitatio semper præcedit. Deinde cùm ait: & educam te, & omnem exercitum tuum, &c. exercitus munitionem, equis omniq́; genere armorum præfulgentem significat: quam non citra eius ordinationem, & cognitionem futuram dicit, sicut nec instructionem, siue institutionẽ. Quapropter se rei prouisorem exhibendo, verbis primæ personæ vtitur, circumferam, inquit, & educam. Tertiò, gentes adiutrices commemorat, Persas, Æthiopes, Libycos, Gomer, & Thogorma latera Aquilonis, quę gentes sunt. omnes autem Gog applaudent dicendo: Accinge te, scilicet ad bellum, & cuncta quæ ad id necessaria sunt para. nam manus adiutrices, quasi dicant, semper tibi præbebimus: ita vt sit vox copiarum ad bellum concurrentium; suum primum regem animando. Nisi velis, quod Hieronymo placet, ironicè à Deo dictum esse, quasi dicat: Tempore hoc induciarum extende neruos vt lubet: visitaberis tandem, & omnium pœnas lues. Hic tamen dubitatione non caret, quare Gog & Magog gentes illas Mosochitas & Thubalitas adiunxerit; seorsum autem, & quibusdam interiectis, aliarum nationum meminerit? quod non sine mysterio factum arbitrari licet. Augustin. 20. de ciuitate Dei, c. 11. D. Augustinus arbitratur Gog & Magog non esse nomina gentium, sed diaboli esse propria, & alligatione, & solutione eius illi esse imposita, quòd tectus & inclusus fuerit in gentibus. Peractis verò mille annis, quia liberiùs in bellum contra Ecclesiam prodire permittetur, Magog siue detectus dicitur, qui ab odiis & internis discordiis exiens, apertè toto impetu ad arma procedet. Gen. 10. Atqui quoniam Cappadoces, qui à Mosoch filio Iaphet descenderunt, & Itali (etsi alij Iberos, seu Hispanos intelligant) à Thubal, Iaphet itẽ filio, originem duxerunt, bello maximè insignes sunt. hinc Gog siue sathanas tota furia arma arripiens insigniores, ad id gentes primò sibi assumit. Vnde Thubal mũdanus siue confusio vertitur: Mosoch autem, attrahens vel sepiens. alias verò gentes, quæ non tanti armis æstimarentur, separatim recensuit. at cùm in sacris literis 1. Par. ca. 5. Gog nomen esse viri legatur, Iohel nempe: cur gentem ab hoc descendentem nomen sui capitis retinere non dicemus, sicut de Mosoch & Thubal dicimus? Igitur etsi verum sit quod B. Augustinus asserit nomen esse sathanæ impositum ab eius incarceratione insigni, non tamen obstat, quin nomen sit alicuius regis præfecti alicui Hierem. 7. genti Aquilonari, cui potissimùm inclusus sit sathanas per merum & absolutum imperium, & in eam tanquam in exilium sit relegatus. Quod & Augustinus libro citato sentit, pręcipuè cùm dicat Scriptura, Ab Aquilone pandetur omne malũ. Quãdoquidem non solùm de exercitu Babylonico, sed de omni alio, quod Dei Ecclesiam insectabitur, & quem ille Chaldæus significauit, intelligẽdum sit. Quapropter maximè mihi probatur, gentem significari post Paludem Mœotidem aquilonarem cõmorantem, cuius rex hoc nomine gaudeat, qui apprimè sathanam ipsum relegatum designet, vnde & sibi nomen adaptatum est. Atque hinc Mosech & Thubal, siue Cappadoces, & Itali, quia ad Aquilonem vergunt, cum Magog suo principe, aut regis, siue capitis horum principe, simul annumerantur. Deinde verò, quoniam à quatuor ventis sathanam congregaturum Apoc. 20. exercitum dixit B. Ioannes, gentes alias in tres partes orbis respicientes hic intelligere est necesse: Persas versus orientem, Æthiopes meridionales, Libyes siue Mauros occidentales. Tertiò item poteris dicere (cùm ita sit, quòd ad signandas tres orbis plagas, aliæ etiam gentes poterant commemorari) has numeratas fuisse, quòd infestissimo odio Ecclesiã Dei prosequatur, quod est sathanę primum studium & votũ. His etenim gentibus Turcę imperium dilatatũ est. & quæ gens Ecclesiæ infestior, & immanior? Quod fortasse erit, quoniam Tartari illi a quibus Turcæ descendunt, Christianos vastantes suo imperio initium dederunt. vnde inimicos animos contra ipsos semper gerendo, Christianos expugnando, eorũ sedes occuparunt, totumq́; suum imperium, quod tam latè patet, ex eorum

terris maiori huius orbis parte diffuderunt. Quocirca fortasse his adiungit Gomer, & Thogorma, id est, Galatas & Phryges seu Germanos, vt alij volunt, ad latera Aquilonis cum magno robore populorum. Ille enim fuit filius Iaphet, à quo Galatas descendisse dicitur: iste verò Somer, à quo Tygranei, qui à Græcis Phryges dicuntur, denominati sunt, quibus hæreticos designare videtur. quas partes primùm occuparunt & occupant, qui intestino odio Ecclesiam Dei Catholicam & plusquam capitali prosequuntur. Atque quoniam primùm à gentibus, deinde ab hæreticis Dei Ecclesia concussa fuit, & semper premitur, hinc vltimo loco isti inter eius hostes connumerantur.

Post dies multos visitaberis, in nouissimo annorum venies ad terram, quæ reuersa est à gladio, & congregata est de populis multis ad montes Israël, qui fuerunt deserti iugiter. Hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi.

BENIGNITAS Domini, antequam aduersarij bellum committant, vt furiam temperent, ab inceptoque desistant, eorum prostrationem prædicit. nec more hominum vincentium, eos vastaturum, quin potius fauturum, amplexurum, & ad Ecclesiam suam, quam contriuerant, reducturum annunciat. Est enim ingeniū Domini perditam ouem omni via & studio quærere, etiam habenas suæ voluntatis laxando, vt tandem luto & peccati cæno, omninò immersus ad cor redeat, manum Domini postulando. De Agogo, de Antichristique exercitu tria hic Dominus vaticinatur: primùm, populi visitatio eis miserendo, in nouissimo annorum, id est, in fine seculi tempore quo Christus Iesus noster cum Elia, & suis, opitulaturus Ecclesiæ, cōtra Antichristi robur adueniet, prędicitur. Visitatio enim in Scriptura sæpe pro vocatione & miseratione accipitur, & non pro punitione, vt à sancto Iob, Quid est Iob 7. homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum: visitas eum diluculo, & subito probas illum. Item à beato Petro conuersationem inter gentes commendante, ac dicente: Charissimi obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos ab- 1. Petri 2. stinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam, conuersationem inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis, quam de malefactoribus ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Deinde Ecclesiam sanctam locum confugij, & salutis portam assignat, in qua eos collocabit. eam autem montes Israël longo tempore desertos, & reuersam à gladio & collectam ex populis atque ex populis eductam dicit. Etenim de Ecclesia vaticinando, reductionis Israël ad suas sedes meminit, metaphoram semper continuando. fuerunt quidem Israëlitæ non cum Iudæis ad terram Hierusalem reuersi, sed cum populis gentium dispersi manserunt, & manent, donec ad Ecclesiam confugiant. Quapropter iugiter, hoc ēst, valdè magno tempore, montes Israël desertos dicit: Ecclesiam quippe montes Israël præfigurarunt. Appellat etiam eam ex populis congregatam atque eductam, prædicendo ex gentibus eam congregandam, & tandem de populis educendam, per conuersionem Israëlitarum potissimum dicto tempore: qui nunc dispersi in gentibus vagantur iuxta vaticinium Esaiæ, quod & refert. beatus Paulus: Cùm ingressa fuerit plenitudo gentium, tunc omnis Israël Roman. 11. saluus fiet. & denique eam de gladio reuersam dicit: eius victoriam prædicēdo, quæ cùm toto progressu suæ ętatis, concussa ab hostibus, & afflictata fuerit, & illis nouissimis temporibus potissimum, semper tamen victrix perstitit: & tunc præcipuè cùm tota mundi colluuies in eam consurget. Verùmtamen etsi multo sanguine fusa, à cæde cum victoria reuersa est, suos etiam hostes Domini Iesu manu & consilio amplectens. Tertio loco tandem securitatem, & tutamen, sub Ecclesiæ gremio habitātium prænunciat: quia habitabunt, inquit, confidenter. Nam in eo, qui verè sub legibus fidei, spei, & charitatis in Ecclesia viuit, adimpletur proculdubio illud Propheticum: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: quòd diuinis au- Psalm. 26. xiliis munitus, semper incedat, iuxta illud Pauli, Qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cum illo non omnia nobis dona donabit? Roman. 8.

Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes vt operias terrã tu, et omnia agmina tua, & populi multi tecum. Hæc dicit Dominus Deus: In die illa Ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam, & dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes habitantesque securè. hi omnes habitant sine muro, vectes, & portæ non sunt eis, vt diripias spolia, & induas prædam, vt inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant, & posteà restituti, & super populum qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitator vmbilici terræ Saba, & Dedam, & negotiatores Tharsis, & omnes leones eius dicent tibi: Nunquid ad sumenda spolia tu venis. Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam vt tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas.

PVLCHERRIME Dominus suam infinitam prouidentiam ostendit, dum tanto antè tempore vim exercitus Antichristi, eiusque cogitationes, finem item, atque designum sui congressus ostendit. Vis autem exercitus illius triplici ratione commendatur, & ab impetu insperato, dum tempestati comparatur, quæ magna violentia solet prouenire: & à qualitate dum nubes dicitur, quæ sua obscuritate, & tenebrositate vehementer deterrere solet: & à quantitate item, dum eius agmina populosque fautores, (quos suprà scilicet memorauit) terram operturos dicit. Hoc quippe prauorum ingenium est, vt nullam rem tam animose agendam suscipiant, neque humeris ad proiiciendum vehementiùs imponant, quàm persequi & prosternere virtutem: si semel in animo infensam esse, sedit. Deinde Antichristi cogitationes, mentis negotia, quibus se ad bellum animabit, declarat. Nam cogitationem hanc pessimam versabit in corde suo: Ecclesia absque muris & vectibus, & portis, quibus regna & ciuitates, suæ salutis prouidæ muniri solent, omnibus exposita iacet: Insuper eius habitatores otio, & quieti indulgent, nec armorum solliciti sunt, & securi habitant: imbelles autem & improuidos debellare facile est. Quare tutò ad eos ascendam: Ecce cogitationem Antichristi, quam pessimam appellat Dominus: non solum quòd in Ecclesiam eius sponsam sit, sed quoniam in Deum blasphemus est: nam cùm vigilantissimam simul & indulgentissimam curam sponsæ gerat (secundum quod ipsa testatur, dicens: Ego dormio, & cor meum vigilat) vsqueadeò vt omnem defensam & munitionem humanam in infinitum superet, impio ore dicat absque muro & defensa aliqua eam agere. Verùm cùm nulla Christianorum ciuitas absque muris, & cæteris defensionis munitionibus inueniatur, quomodo stare potest, absque muro, portis, & vectibus habitare? quod facilè expeditur, si consideremus, Ecclesiam Dei Catholicam non hanc ciuitatem, regnum hoc, aut illud esse, quod Christianis & fidelibus inhabitetur, sed vniuersam Christianorum collectionem vbicunque orbis agentium. Hi enim, vt legibus fidei, spei & charitatis supernaturalibus constricti sunt, ita & muris supernaturalibus, portis & vectibus, Angelorum nempe custodiis, & diuinis auxiliis tanquam muris ac sepibus muniuntur. Quocirca verè dicit, absque muro materiali, & cæteris munimentis, quibus humana industria suam tuetur salutem, tota simul, & in vniuersum carere. Et item alia ratione, quia Ecclesia, etsi robore corporis, industriis humanis, & exercitu etiam tanquam mediis ad propriam defensionem à Deo ordinatis vtatur, quoniam Deus disponit omnia suauiter, ad sua opera facienda, natiuas cuiusque rei vires coagere instituit: in suam confidentiam primum vigorem, & spem, ad suæ salutis tuitionem, & defensionem in Deo collocatam habet, qui se adiuuantes nunquam deserit, imò suam præsentiam & assistentiam vsque ad consumationem sæculi pollicitus est.

Cantic. 5.
Sapient. 8.
Matth. 28.

HIC tamen prætereundum non est, impugnationes hostiũ Ecclesiæ, ob nostram desidiam tædium, & otium à Domino ordinari: atq; tunc potissimũ imperum suum & furiam

& furiam exerturos, quando in maiori desidia, ac torpore fermè omnes, agentes sibi suisque concupiscentiis indulgeant, ac veluti pactum habentes cum inuisibilibus inimicis, securi viuant. Quamobrem ascendere contra quiescentes, & habitantes securè impostor ille dicit. Verùm & si Dominus tantisper ad eius probationem, & amplificationem manum subtrahat, & deserere videatur, nunquam tamen eam relinquet, sicut neque eius minimum membrum, dum suum confugium Christum semper habeat, in omnique angustia se semper adiuuando, continuè ad ipsum appellet, quamuis probationibus sæpe sępius exponatur. Quapropter nomine defectorum qui postea, debellato nempe Antichristo, restituti fuerunt, & nomine populi ex gentibus congregati (à quibus etiam, sed reprobis, & extra eam persistentibus) Ecclesiam eo tempore oppugnandam intelligit. At quo designo, quo fine sic violentum bellum cum Ecclesia conferet? Vt diripias spolia, inuadas prædam, &c. in sua persona respondens, ait Propheta. Quod enim bellatores ad aggrediendum hostes, ad impetum belli sustinendum corroborat, & constantes medius tormentis belli facit, spolium, præda, & inimicorum vastatio, & vindicatio existit. Quare immodicam, & superexcrescentem auaritiæ cupiditatem Spiritus sanctus in Ecclesia notat. quod explicatiùs tractans, populum eam esse dicit, qui possidere cœpit, & esse habitator vmbelici terræ, id est, Iudæ, quæ in medio terræ habitabilis, vt vmbilicus in medio corpore situm habet. Iudæ enim, hoc est, Ecclesiæ confitenti, & profitenti fidem Domini nostri Iesu Christi, necessariæ sunt opes, diuitiæ, potentiæ: Cæterùm vt adminicula vitæ ad officium pro dignitate status exercendum: vt instrumenta gubernationis ad Rempublicam Christianam in pace & iustitia continendam. non vt hæc homini dominentur, in votis primùm sint, omniumque actionum & functionum gubernacula teneant: perinde ac res, quæ finis & vltimi scopi rationem vsurparunt. Hoc etenim Dominus Iesus noster, damnauit dicendo: Nemo potest duobus dominis seruire, Deo & Mamonæ iniquitatis. (Matth. 6) quod huius loci quem tractamus appositissima interpretatio est. Namque nulla res implicatior quàm ex æquo rei pecuariæ & possessionibus colendis procurandis, totum animum dare, & eundem Deo eiusque fidei, confessioni, & obseruationi operibus vitæ integrum tradere, à quo vel ipsa natura abhorret. Atqui quoniam Antichristi animus multo longiùs ab anima suorum distabit: nam ille honores diuinos affectabit, & se Christum esse persuadere contendet, vt latè explicuit beatus Ioann. (Apoc. 13.) hi verò spolia diripere, præda augeri, & locupletari. Quapropter qui ipsi Antichristo coniunctissimi erant, ab studio suo eum reuocatum iri, & populo, siue exercitui condescendere: vt ad spolia, nempe ad aurum & argentum & supellectilem inuasorum, oculos demittat, & altiora relinquat. quod Saba, & Dedam, & negotiatores Tharsis & leones siue leunculos propositur os dicit: amicissimos quosque & mercatores, quibus auaritia sedem habet, & nobiles quoscunque, qui iam corrupti in diuitiis, & opulentia nobilitatem collocarunt, intelligit. Dedam enim mamilla, seu dilectio interpretatur, & vrbs est in extrema orbis parte sita, à terra sancta remotissima, vt in scriptura notatur. Saba verò, vnde Sabæi, metropolis est Arabum, & circuitio, siue ebrietas vertitur. (Hier. 25.) Hi ergo cum Tharsensibus proprius terræ sanctæ agentibus (vt fermè totam terram occupaturum Antichristum designet) qui negotiationes exercent, & auaritiæ opera sua locarunt: & leones item, id est, nobiles & primi sui exercitus (ob generositatem enim & potentiam huius animalis, nobilitatis symbolum existit) dicto modo consiliati sunt.

Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus, Nunquid non in die illo cùm habitauerit populus meus Israël confidenter, scies, & venies de loco tuo à lateribus aquilonis, tu & populi multi tecum ascensores equorum vniuersi, cœtus magnus, & exercitus vehemens, & ascendes super populum meum Israël quasi nubes vt operias terram? in nouissimis diebus eris, & adducam te super terram meam, vt sciant gentes meæ cùm sanctificatus fuero in te in oculis eorum ô Gog.

T 2 MIRA-

MIRABILIS Dei ſapientia, qui vt bonum promouere, ita ex malo bonum eruere nouit, poſt grauiſſimos caſus quoſdam vocando, quos aliàs minimè obtemperaturos ſciebat. ſinit ergo Gog neruos omnes ſuæ malitiæ extendere, vt prope infinita multitudo eius exercitus fidem accipiat, ad eccleſiamque quam perſequebatur, cōueniat: Quod Prophetæ vaticinare Dominus hic iubet. Ait ergo, cùm populus Iſraël, hoc eſt, Eccleſia, habitauerit confidenter, id eſt, in pace & tranquillitate, victoria contra exercitum Antichriſti obtenta, tunc Gog ſciturum. ſolū enim ſciūt qui Deum agnoſcunt, eiusque fidem profitentur: eùm nec viam, nec terminum ſalutis humanæ agnoſcant, & quantumuis ſibi arrogent, procul à ſcientia diſtāt, Quia denſiſſimus ignorantiæ tenebris obruti, quamdiu Deum ignorant, ſemper iacent. 1.Corint.1. Quod beatus Paulus explicans, ait: Cùm Dei ſapientiam per ſapientiā non cognouiſſet mundus, placuit per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. & rurſus: Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit, quemadmodum o- 1.Corin.7. porteat eum ſcire. Nec turbare te lector debet, quòd interrogatiuè loquitur. eſt ſiquidem Scripturę mos, quæ maximè affirmat interrogationem proponere, vt ſupra Pſalm.13. notatum eſt. Et illud Dauid regis plane docet: Nónne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis? id eſt, tandem iam cognoſcant. Multitudinē autem ad Eccleſiam confugiētium explicat, dicēdo: *Et venies de loco tuo tu & populi multi tecum, &c.* Vbi cœtum magnum & exercitum vehementem venire dicitur ad Chriſtum: loquitur enim de aduentu eo, Ioan 6. quem Chriſtus Ieſus noſter explicuit, quando dixit: Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. & eſt illudmet, quod vaticina- Roman.11. tus eſt ex Eſaia beatus Paulus: Cū intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. Rem autem amplificando Dominus, eius temerarium aggreſſum prędicens, ait: Et aſcendes ſuper aut cōtra populum meum Iſraël quaſi nubes, vt operias terram? Affectum quendam prædeſtinationis, quo poſt multa præcipitia nouit Dominus ſuos reuocare, memorans. tempus autem quo hæc complebuntur ſignificās, ait: In nouiſſimis diebus eris. non dicit erit, aut continget, ſed eris cum cœtu gentium loquendo, quas ſcituras & venturas dixerat: vt doceat gentes, quæ Deū ignorant, & vniuerſos peccatores, qui peccatis ſepulti ſunt, non eſſe, nec verè & propriè de illis hoc prædicari, iuxta illud Eſaię: Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram Eſaiæ 40. eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. & rurſus illud: Ne tradas ſceptrum iis qui non ſunt. Quoniam verò opera Domini hæc omnia facienda ſunt, inquit: Heſter 8. adducam te ad terram meam, quaſi dicat: cùm paraueris ſcientiam, veneris per fidem, & eſſe acquiſieris per gratiam & charitatem me operante & cooperante, collocabo te in Eccleſia mea: & ſic ſcient tandem gentes me, id eſt, me Deum approbabunt, & colent, cùm ſanctificatus fuero in oculis eorum ò Gog: hoc eſt, eū meam ſanctitatem, & bonitatem meam in tuis ipſis, ſic ad diuina beneficia attrahendo, oſtendero. Et hæc ſunt, quæ hîc vaticinatur Propheta. Nam ſi illum aduentum exercitus Antichriſti (vt omnes expoſitores quos vidi ſentiunt) hîc repetit, quid noui hîc inuulgat, vt ſic à Domino præparetur dicendo: Propterea vaticinare, & cętera? & rationes denique quas exponendo adduximus, ſatis rem claram faciunt.

Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es de quo loquutus ſum in diebus antiquis in manu ſeruorum meorum Prophetarum Iſraël, qui prophetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te ſuper eos. Et erit in die illa, in die aduentus Gog ſuper terram Iſraël, ait Dominus Deus, aſcendet indignatio mea in furore meo, et in zelo meo in igne iræ meæ loquutus ſum. quia in die illa erit cōmotio magna ſuper terram Iſraël, & cōmouebuntur à facie mea piſces maris, et volucres cæli, et beſtiæ agri, et omne reptile quod mouetur ſuper humū, cunctiq; homines qui ſunt ſuper faciē terræ, et ſubuertentur montes, et cadent ſepes, et omnis murus corruet in terram, et conuocabo

aduerſus

aduersus eum in cunctis montibus meis gladiū, ait Dominus Deus. gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur. & iudicabo cum peste, & sanguine, et imbre vehementi, & lapidibus immensis, ignem, & sulphur pluā super eum, & super exercitum eius, & super populos multos qui sunt cum eo. Et magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient, quia ego Dominus.

TRIA in residuo capitis docet nos Dominus, primùm omnes inimicos hostes & persecutores Ecclesiæ ad corpus pertinere Antichristi: qui etsi in vltimis temporibus, & prope finem sæculi ipse in persona in bellum prodibit, totum sui roboris, aut potius Sathanæ pondus exerens; tamen nunquam suis membris eā à sua infantia ad illa vsque tempora quiescere finit. Quod ipsa in Psal. triumphos suos canens Psalm. 128.
dicit: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, &c. Hoc autem ita esse ipsa litera testatur, dum dicit: in diebus illorum temporum, siue multis annis ante loquutum esse Dominum, & ait: Vt adducerem te super illos. Afflictiones ergo, quas illi à mundo receperūt, opera Antichristi admotæ fuerūt. Deinde persequutiones omnes. Et vltimam illam sæuissimam, propter populi sui peccata, in eorum vindictam & punitionem prouidere, ac promittere dicit: Hoc enim est quod ait: eius indignationem in furore ascendere, atque in zelo, & igne iræ suæ loqui: Verùm non verbis loquitur, sed igne tribulationis admoto, quo affligit & punit. quo genere loquutionis vtitur Dominus, cùm posthabitis eius præceptis, minis & terroribus, verbis incussis, solutiorem vitam semper sequi contēdunt. Quod per Prophetam docens, ait: In loquela enim labij & lingua altera loquetur ad popu- Ezech. 38.
lum istum, nempe diuidendo, & dilacerando. quod genus loquelæ & Dauid expresserat, dicendo: Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo cōturbabit eos. Psalm. 2.
Mala autem & calamitates, quas loquuturus siue admoturus est, illæ sunt quæ finē mundi præuenient Antichristi tempore, terræmotus scilicet, fames & pestilentiæ, quas beatus Matth. Euangelista commemorat. Quibus tātus timor vniuersum apprehendet, vt dicat beatus Lucas: Pressuram gentium in terris præ confusione so- Lucæ 21.
nitus maris ingentem futuram: & arescendos homines cuiuscunque conditionis, & status (hoc enim de signans piscium, volucrum, bestiarum agri reptilium meminit, & hominum qui sunt super faciem terræ) præ expectatione eorum quæ superueniēt vniuerso orbi. Atque quoniam patientes & afflictos spes aliqua humani auxilij po- Psalm. 2.
tissimum solari solet, omnem eam adimit, dicendo: subuertendos montes qui ad munitionem naturalem conditi sunt, casuras sepes, arces scilicet, & corruituros muros ciuitatum, quæ industria humana ad sui tuitionem inuenit. Tantum enim abest vt spem euasionis habeant, quòd tantùm præ atrocitate gladij citò finire vitam curabunt, dicentes montibus: Cadite super nos, & collibus, venite, & operite nos. Sic Oseæ 10.
enim hunc locum Euangelista interpretari videntur expressè. Tandem verò cùm tantum suæ Ecclesiæ Dominus auxilium maneat, se eos protectusum pollicetur, quando ad extremum, spes humana venerit, Antichristumque & pertinaces omnes ex suis vastaturum. Idq; triplici instrumento conficiet: gladio primùm, in exercitū Antichristi, cuiuscunque in fratrem verso, vt in celebri illa victoria, quam Ionathas 1. Reg. 14.
contra Philistæos nactus est, factum legimus: deinde peste eos vastante, iudicium in eos exercebit: & tertiò tempestate de cælo grauissima per imbrem vehementem, fulgura, grandinem, tanquam lapides iaculando, & ignem sulphureum, qui eos quā citissime absumat, pluendo. Quibus inquit Dominus, me solum Dominum & verum Deum agnoscent, cùm magnum & sanctum me sic ostendero.

CAPUT XXXIX.

TV autem fili hominis vaticinare aduersum Gog, & dices: Hæc dicit Dñs Deus: Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & deducā te, et ascendere te faciā de lateribus Aquilonis,

& adducam te super montes Israël, & percutiã arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua: deiiciam te super montes Israël, & cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui sunt tecum; feris, auibus, omniq; volatili caeli, & bestiis terrae dedi te ad deuorandum. super faciem agri cades, quia ego loquutus sum, ait Dominus Deus: & immittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter; & scient, quia ego Dominus: & nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israël, & non polluam nomen sanctum meum amplius: & scient gentes quia ego Dominus sanctus Israël. ecce venit, & factum est, ait Dominus Deus. Haec est dies de qua loquutus sum, & egredientur habitatores de ciuitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcus, & sagittas, & baculos manuum, & contos; & succendent ea igni septem annis, & non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni, & depraedabuntur eos, quibus praedae fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus.

VASTATIONEM & interitum, quem in calce praecedentis capitis exercitus Antichristi praedixerat Dominus gladio futurum, hic potissimum exponit. Quem hoc ordine describit, quòd profectum à sua patria & sedibus primum narrat: deinde mortem & casum. tertiò, potentiam & vim exequutricem: quartò, se auctorem omnium testatur, dum ob sui nominis gloriam sic statuisse dicit: & pacationem vltimò, qua parta victoria vsque ad finem saeculi Ecclesia potietur, enarrat. Profectionem igitur à sua terra partibusq; Aquilonis in occursum montium Israël, hoc est, Ecclesiae (diximus enim saepè hic per Israël montesque eius Ecclesiam significari) Domini consilio factam recenset, cùm circumactionem, eductionem & ascensionem eorum ad montes Israël legimus. Quando enim seueritatem suam in aliquos exercere decreuit, aut missione alicuius falsi consiliarij id facit, sicut de Achaz, ad quẽ decipiendum spiritus quidam se obtulit, qui in ore omnium Prophetarum mendax esset, vt euentus rem probauit. Quia in campo Assyriorum iuxta definitionẽ Do- 4.Reg.22. mini occubuit: vel suo arbitrio & rationi relinquendo, quae nunquam sine tumore propriae aestimationis existit. atque hoc secundo modo Gog & Magog adduxisse credendum, quãdoquidem prior modus non explicatur. Interitum verò & occubitum recenset, quando à manu sinistra arcum excutere, & sagittas à manu dextera deiicere dicit: Et enim tunc maximè arma e manibus militum decidunt, quando morte appetente vires omnes deficiunt, nihil quod manibus apprehendissent retinere valentes. Quapropter [illegible] sinistram arcum, & dexterã sagittas remittere dicit; quoniam qui arcu iaculantur, hoc habitu procedũt. Atque vt supplicij grauitas augeatur, cùm bello ceciderint, inhumatos in escam feris, animalibus, volatilibus & bestiis terrae relinquendos praedicit tanto tempore antè: vt qui viderit, sic loquutum fuisse ac statuisse Dominum, cuius nutu omnia gubernantur, planè accipiant. Vis autem & potentia sic eos euellens manus Domini erit & Ecclesiae exercitus, qui post quam [illegible] pertulerit, Elia & Enoch, aut Moseh, in auxilium post occubitum (vt [illegible] Ioan. dicit) resurgentibus, Christo Iesu nostro peculiariter assistẽ- Apoc.11. te, veluti ignis [illegible] omnes inimicos suos vastabit ac perdet. Et hoc est, immittere ignem in eos qui habitant in insulis, id est, extremis terrae locis remotissimis confidenter [illegible] securè. Atqui ne dicant gentes, cùm talia videant, casu accidisse [illegible] annorum ante se Dominus facturum pollicetur, suo honori, nomini q; suo sancto [illegible]. Tunc enim insulani illi qui remotissimè habitant, scient, ait, quia ego Dominus: hoc est, scient me gubernatorem, prouisorem vniuersalẽ omnium, meamque [illegible]nationem & arbitrium, vel minima re non posse subterfugere. [illegible] de in Israël suum sanctum nomen notum facturum dicit, quoniam hoc faciet eare vt notis animis, & amplioribus, nomen Dei honorificent, laudent, ac sanctificent, tam mirandis & stupendis gratiis ad id acceptis: ex eo verò tempore vsque ad diem iudicij, quod non longiùs progredietur, Ecclesia quieta & tranquilla restabit, nullis iam hostibus eam impugnãtibus. Quapropter nunquam in posterũ suum nomen

nomen ſanctum pollui permiſſurum promittit Dominus, totis iam ad extremum vſque exertis & eneruatis diaboli, ac Sathanæ viribus & aſtutiis; quippe vſque ad illud tempus, cùm ad humilitatem ſuæ Eccleſiæ, ſuorumq́ue punitionem, multas victorias hoſtibus concedat Dominus: ob quod & malè apud eos audit, & tanquam imbecillum & infirmum arguunt filium Dei vnigenitum, Ieſum Chriſtū noſtrum. deinceps verò tempore induciarum & expectationis expleto, ceſſabit omnis mutmuratio, & cognoſcent, ait, omnes gentes, quia ego ſum verus Dominus, qui color, & ſanctificor in Iſraël, id eſt, in Eccleſia. At verò quoniam quæ remotiſſima ſunt aut nunquam futura pro humano ingenio, aut ad præſentes nullatenus pertinere arbitratur, vt quæ memorata ſunt, mundo timeantur, & ita certa eſſe credantur, ac ſi inſtarent, quod vaticinatus eſt venire & factum eſſe dicit: nam ita certum erit atque præterita ſunt, & ita præſens exiſtimandum, ac quod venit & manibus habetur. & in maiorem exaggerationem ſubdit: Hæc eſt dies de qua loquutus ſum: id eſt, ſi venit & factum eſt, quod prædixi; exiſtimate hanc diem præſentem illam eſſe, in qua contingent quæ vaticinatus ſum. Mente enim & conſideratione præſentia, omnia futura tenere, ſicut & præterita quæ ad noſtram ſalutem pertinent, magnum ad vitam momentum exiſtit. tandem pacem & tranquillitatem qua Chriſti Eccleſia ſuperatis Antichriſti facibus potietur, commemorat: quæ tanta erit, vt qui nullum iā bellum amplius expectent, láceas, ſagittas, & omnia armorum genera ſuccendent. Ipſi poſtrema illa victoria potiti in pace & quiete erunt: per hoc inſinuás, quòd focis ſuis ſedebunt, non ex agris aut ſaltibus ligna comburentes, ſed ex prædis [illegible], vicem qua ipſi deprædati ſunt, eiſdem rependentes. Vſum autem lignorū horum, ſeptem annos habituros ſuæ Eccleſiæ ciues ait: id eſt, toto reſiduo tempore vſque ad ſæculi finem. numero enim ſeptenario vita hęc præſens ſignificatur: & octonario, quá ſperamus in cęlo, vt ex locis innumeris ſcripturę hoc aduertétibus, manifeſtú eſt.

Et erit In die illa, Dabo Gog locum nominatum ſepulchrum in Iſraël vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obſtupeſcere faciet prætereuntes, & ſepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur Vallis multitudinis Gog, & ſepelient eos domus Iſraël, vt mundent terram ſeptem menſibus. ſepeliet autem eum omnis populus terræ, et erit eis nominata dies, in qua glorificatus ſum, ait Dominus Deus: et viros iugiter conſtituent luſtrātes terram, qui ſepeliant, et requirant eos, qui remanſerant ſuper faciem terræ, vt emundent eam. Poſt menſes autem ſeptem incipient quærere, et circuibunt peragrantes: cumq́ue viderint os hominis, ſtatuent iuxta illum titulum donec ſepeliant illum pollinctores in valle multitudinis Gog. nomen autem ciuitatis Amona, et mundabunt terram.

QVÆ caſum Antichriſti, & Eccleſiæ victoriam, ſubſequuta fuerint, in reſiduo capitis declarat. Atque quoniam caſum & mortem Gog primò propoſuerat, eius ſepulturam prius etiam celebrat. Poſtquam igitur diebus aliquot, animantibus terræ corpora Gog & ſuorum in eſcam manſerant, ea ſepulturæ mandantur, vt in lege præceptum erat. Et quia manibus Iſraël occubuit, in eius ciuitate ſepulchrum nominatum, quod & multitudinis Gog appellatur, in ſtuporem prętereuntium, ſiue in narium obturationem præ fœtore deſignatur. ſepultores autem ſunt domus Iſraël, qui ſeptem menſibus ea re occupati fuerunt prę multitudine corporum occiſorum, & ipſis tranſactis, pollinctores, ſiue mortuorum curatores deſignabunt, qui diligenter terram luſtrando, ſi quę corpora relicta fuerint, perquirant, & ad eandem ſepulturam referant terram purgando, ne eorum fœtore corrumpatur. memoratum verò ſepulchrum in ciuitate Amona erit, quæ multitudo eius, aut tumulus eius interpretatur, iuxta mare mortuum ſita. Cæterùm hęc ſecundum pędagogiá dicta ſunt, noſtro mori Spiritu ſancto ſe accommodante, quæ in vſu apud illum populum poſita erant, narrando, & eo tempore quantulumcunque ſit inter vniuerſale iudiciú, & Antichriſti caſum interſtite, hoc opus exercebit Eccleſia, vt terram ſuam múdet

ac purget. Quapropter cùm nostri gratia tota cura sit, sanctissimi de sepultura impij, eiusque titulis & nominibus: de sepultoribus atque eorum cura & diligentia, de tempore sepulturæ, vrbeque sepulchri, non tam minute diuinus spiritus meminisset, nisi altiora per hæc nobis significare intendisset. Damnatio igitur Antichristi, & suorum, simul & sepultura in inferno eorundem, planè hîc edoceri videtur. Præser- [Apoc. 17.] tim, quod diuus Ioan. Antichristi & obstinatorum omnium obsequias celebrás, húc locum peculiariter tractare videtur. Dicitur igitur, sepulchrũ Antichristi & suorũ, infernus locus sanè nominatissimus in Ecclesia, vt commone omnium prauorum receptaculum post mortem: ob quam etiam rem in stuporem & timorem ad vitam corrigendam omnibus malè agentibus, & huius sæculi viatoribus, vt prætereunti- [Matth. 12.] bus datum. Appellatur & vallis multitudinis: & gehenna dicitur à Christo Iesu nostro, quod vallis Aoon vertitur & multitudinis est. Quoniam lata est via quæ ducit [Matth. 7.] ad perditionem, & multi ambulant per illam. Et terra multorum appellatur à Da- [Psal. 109.] uid. cui etiá suffragatur, quòd Amona ciuitas iuxta quá signatur sepulchrum, tumulum & multitudinem sonat, & est iuxta mare mortuum sita. vt locum mortuorum per peccatum, fluctibus huius mundi táquam sæuissimi maris obrutorum, insinuaret. Septem autem mensibus durat sepultura, id est, perpetuò, & æternaliter. totum siquidem tempus septem hebdomadæ diebus continetur. & iste numerus vniuersitatem, & absolutionem dicit, vt longiùs in nostris commentariis super Apocalypsim ostendimus. At dices: qui constare hoc poterit, cùm elapsis septem mensibus, signati pollinctores, siue mortuorum curatores, si quæ remáserint inhumata corpora, terram lustrando, perquirent? minime hoc pugnat: nam damnatis illis, & in inferno perpetuo sepultis ex factione Antichristi (qui, vt diximus, toto tẽpore Ecclesię eam oppugnando, cùm occumbunt, in inferno sepeliuntur) superuenientes in æternum [Ioan. 3.] eidem sepulturæ mandantur. Quod si de extrema & vniuersali damnatione in postremo iudicio sit sermo, hoc intellige: quòd Ecclesiæ manifesti, & apertissimi oppugnatores, vt qui iam iudicati sunt, quia non crediderunt: quia nulla in eis perquirẽdis, & examinandis exacta diligentia adhibebitur. Verùm qui vitiis torpentes, bonis admixti conueniunt, quòd prætextu fidei suam causam obtegere nituntur, particulariter per hos antè signatos perquirendi sunt, & separandi, atque in iudicium peculiariter sistendi per angelos Domini: iuxta illud: Mittet Angelos suos, qui separa- [Matth. 13.] bunt malos de medio iustorum: Angelos enim hos isti præsignati significant. Et tãdem quod Israël Gog, & suum exercitum sepelire dicitur, hoc significat: quod iusti qui in Ecclesia manserint, qui corporaliter eos vicerunt; Item spiritaliter eos iudicio approbatiuo non cõdemnabunt, sicut cæteri Angeli & sancti: secundum quam [Lucæ 11.] rationem dicit Dominus: Viri Niniuitæ surgent in iudicio, & condemnabunt eos, qui ad prædicationem Ionæ pœnitentiam egerunt.

Tu ergo fili hominis: Hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, & vniuersis auibus, cunctisque bestiis agri: conuenite, properate, concurrite vndiq; ad victimam meam quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël, vt comedatis carnes, & bibatis sanguinem. carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis, arietum, & agnorum, & hircorum, taurorum, & altilium, & pinguium omnium, & comedetis adipẽ in saturitatem, & bibetis sanguinem in ebrietatem de victima quam ego immolaui vobis, & saturabimini super mensam meam de equo, et de equite forti, & de vniuersis viris bellatoribus, ait Dominus Deus: et ponam gloriam meam in gentibus, & videbunt omnes gentes iudicium meũ, quod fecerim, & manum meam quam posuerim super eos: & scient domus Israël, quia ego Dominus Deus eorum à die illa, & deinceps: & scient gentes quia in iniquitate sua capta sit domus Israël, eo quòd dereliquerunt me, & absconderim faciem meam ab eis, et tradiderim eos in manum hostium, & ceciderint in gladio vniuersi iuxta immunditiam eorum, & scelus feci eis, & absconditi faciem meam ab illis.

EXPONIT

EXPONIT iam pacem illam & tranquillitatem,qua,parta victoria,contra Antichristi,vniuersumque eius exercitum perfruentur.atque ad modum volucrum & bestiarum,quæ de longinquo ad corpora mortua,tanquam ad opulentam mensam conuenire solent,alludens,omnes de sua Ecclesia conuenire iubet,ad stragem contemplandam hostium,quam fecit Dominus in suorum tuitionem, vt veluti mensa communi composita, eorum animi tam magna, & obstupenda inspectione comedant,& saturentur: cùm totum ordinem Reipublicæ fortium siue nobilium & principum,id est,rempublicam gerentium: insuper Ecclesiastici ordinis, qui arietes,agnos,hircos,& tauros,& altile quodcunq; obesum Deo,sacrificabant,cōuocat. Innuitur enim hic ceremonias legis & cultum,seruaturos illos Antichristi annos. Et tandē bellatorum infinitum numerum ab equo & equite forti,id est,à quouis sessore fortissimo in camelo,mulo,& simili. Recheb enim dictio Hebræa currum, & quæuis alia animalia,præter equum significat,quæ exercitui seruirent. Deinde gloriā quam reportabit Dominus ex huius victoriæ magnitudine describit. Nā incytus & gloriosus gentibus apparebit;quòd sic iudicium & manum suam,id est, iustitiā & omnipotentiam ostenderit. Et in Ecclesia sua,quam Israëlem appellat, scient à die illa, & deinceps quia ipse est Dominus Deus eorum: hoc est, cultu indeficienti vita, & operibus,iugisque laudationibus ipsum Deum approbabunt : nunquamque retrogradi in ipso honorando, vt anteà,inuenientur. Et scient,inquit, rursus gentes, tota sua vi,& dæmonis etiam exerta, & eneruata in discursu vitæ ipsius Ecclesiæ, victorias,& triumphos reportasse non sua vi & potentia,sed quod ob iniquitates,& scelera sui populi faciem suam auxiliatricem & protectricem in eorum punitionē auerterit,ad tempus,ad eorum punitionem,vitæque emendationem. Etenim cùm Dominus non auxiliatur,tunc faciem suam abscondere dicitur. Cæterùm pędagogiam exercens hęc vaticinatur facienda Dominus,quæ & fient,tamen per hæc sublimiora nos docere hic proculdubiò contendit. celebrat igitur pacem illam suam, quam è vestigio breui elapso tempore,Ecclesia ad sedes æthereas transuecta, in æternum exultabit. nam post ineffabile illud gaudium, quo diuinam essentiam videndo perfundentur, omnes beati videntes iustitiam Domini; suamque ab oppressione impiorum vindicatam, lætabuntur sanè suis studiis & votis completis, quibus tantopere distenti fuerunt,dicentes: Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrū Apoc. 6. ab his,qui sunt super terram? Quòd & regius Psaltes vaticinatus est,dicens: Lętabitur Psalm. 57. iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Hoc autem ita esse primùm confirmat, quod ad festum harum nuptiarum agni ipsemet Dominus Iesus in hac mortali vita agens,sua prędicatione inuitauit,quando regnū Matth. 22. cælorum homini regi,qui fecit nuptias filio suo comparauit,ad quarum conuiuium tauris & altilibus mortuis,& cæteris paratis,inuitatos conuocabat. Cuius Propheta Ezechiel personam figurat, qui & hoc loco in typum officij Christi aues volucres, & bestias agri, id est, cuiusuis status homines ad mensam conuiuij vocare iubetur. & denique apertam fidem huiusce rei beatus Ioan. facit, qui hunc locū edisserens, Apoc. 19. post damnationē illius magnæ meretricis, quæ hic nomine Antichristi & suorum censetur apertissimè exultationem ciuium supernorū concelebrans,ad manducationem fortium principum,& bellatorum omnium eos conuocat,eadem phrasi & dicendi figura,quā hic Propheta vtens.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captiuitatem Iacob,et miserebor omnis domus Israël,& assumam zelum pro nomine sancto meo,& portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem,qua præuaricati sunt in me,cùm habitauerint in terra sua confidenter,neminem formidātes,& reduxero eos de populis,& congregauero de terris inimicorum suorum,& sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum: & scient quia ego Dominus Deus eorum,eo quòd transtulerim eos in nationes,et congregauero eos super terram suam, & non dereliquerim quemq; ex eis ibi, & non abscondam ab eis vltrà faciem meam,eo quòd effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.

Qvo-

QVONIAM dixerat pro vindicatione scelerum, interdum Dominum faciem suam à suis abscondere, gentibusque tradere, de dispersione Israël, (quæ omnium maxima punitio fuit in hoc genere) reductionem ad Ecclesiam deuicto Antichristo,& causam tam longæ punitionis,ac sui nominis sanctificationem,hic in persona Domini vaticinatur Propheta.Caueant ergo sibi hæretici,& videāt omnes qui Ecclesiæ vnitatem scindunt,quæ mala eos maneant,expendendo. Israël enim qui eorum typus fuit, cùm tribus Iuda post septuaginta annos Hierusalem reuersa fuerit, Israël in dispersione mansit,nec reducta plene fuit ad Ecclesiam, quia propè finem sæculi,postrema manu bellis imposita,hoc complendum reliquit. Quod aperte hîc docet Dominus asserendo,tunc reducturum Iacob,& misereturum omnis domus Israël: & vsque ad illud tempus cæcitatem illarum decem tribuum nunquā defecturam. Asserit secundò, quod & Apostolus Paulus vaticinatus est,dicens: Cæcitas ex parte contingit in Israël,donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Et quoniam quauis pœnitentia & satisfactione exhibita, nūquam liberatio à peccato,nec præmij,& coronæ collatio absq; eius misericordia fit, hinc ait: & omnis Israël miserebor,pro infinita bonitate & misericordia nominis sui,zelum humanæ salutis,& dilectionis affectum ostendendo. Pœnitētia enim necessaria est ad cœlestes sedes conscendendas: nec dimissa culpa eas poterit contingere, qui nō ad vnguem omnem scoriam pœnæ in hac vita,aut Purgatorij loco ablegauerit. quod quam longissima pœna Israëlitarum hic manifestè docetur:nam vsq; ad illud tēpus, confusionem,& ignominiam pro sceleribus & præuaricationibus, quas dum tutò, siue confidenter in terra sua habitarent,commiserunt,portaturos annuntiat. Vide ergo ne socors,& nimis confidenter absque timore inimicorum & hostium inuisibilium,qui ita constipati nos circunstant,agas:nam sensim in præcipitium duceris,à quo sola manus Domini te liberare potest,& eximere. Deinde suam sanctitatem in oculis gentium futuram omninò perspicuam dicit,cùm eos reduxerit, atque ex dispersione gentium congregauerit,omni ope & auxilio humano deplorato:& maxime gentes eum Dominum cognituras,qui eos in nationes transtulerit,& reducendo congregauerit. Quippè anteà,quòd è manibus,eas eripuisse,sibi vendicarent, & potentia sua inexpugnabili retinere, tanquam imbecillum & impotentem Dominum arguebant:cuius oppositum tunc experientur,prouidentia sua & consilio cuncta gubernasse intelligentes. Et concludendo iam Dominus nunquam amplius suā faciem absconsurum pollicetur.cuius rationem subdit,quia effundet super omnem domum Israël Spiritum suum: id est,perfecta charitate dabit Ecclesiam suam eum diligere,ex toto corde,ex tota mente,ex tota anima,ex totis viribus,quod nō nisi in patria continget,hîc autem tanquam ad scopum contendentibus. Poteris etiam de effusione Spiritus sancti die Pentecostes, vt interpretatur Galatinus, locum hunc apte intelligere. Nam nunquam amplius abscondit Dominus faciem suam ab Ecclesia,neque abscondet vsque ad finem sæculi, manens semper in ea vsque ad consumationem sæculi,vt primò abscondit,quando totum populum suum permisit in captiuitatem Ægypti,à qua & liberauit:& Babylonis item, à qua secundo eos congregauit: quod hic Propheta testatur. & Esaias vaticinatus fuerat,dicēdo: Adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui,quod relinquetur ab Assyrijs,& cæteris. Tertiò iam hîc prædicit sic se conuersurum Iacob, & congregaturum Israël per Spiritus sancti aduentū, vt die Pentecostes completū est, quod nunquam amplius ab Ecclesia populoq; suo,vt dictum est,faciē suā abscōdet.

Roman.11. Galatinus lib.3.c.9. Matth.18. Esaiæ 11.

CAPVT XL.

IN vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est ciuitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini, & adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad austrum.

CVM multa de pace,de copia,de vbertate bonorum Ecclesiæ,in præcedentibus visioni-

visionibus sacer Propheta vaticinatus fuerit, de eius ædificio iam differit. quod quoniam huiusmodi est, vt positis fundamentis, erectis muris, semper domus ædificentur, nec opera cessent, antequam mundus: longiùs de ea & vsque ad finem libri, eadem sæpe refricando, sermonem protrahit. De hoc enim mirando ędificio dixit aliquando Dominus: Ecce dies venient, & non dicetur vltrà: Viuit Dñs, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti, sed viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis, & de vniuersis terris, ad quas eiecit illos. & rursus: Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, &c. Igitur cum facinus hoc ædificandæ Ecclesiæ, liberationem ab Ægypti captiuitate lōgè superet, ita vt hoc, illius admiratio cesset, nec in iuramentum amplius adducatur: & tanta prętereà sublimitate & excellentia, vt in comparatione illius commemoratio fabricationis cęli & terræ sileat: & stylus quo figuratur ita ingenij humani captum superat, vt cū sine speciali iuuamine Dei ad scripturas tractandas accedere minimè queat, superexcellēti & abundātissimo Spiritus sancti dono in hac descriptione non solùm ad intelligendum, sed ad spectra & simulachra, quibus obumbratur, mente apprehendēda, indigeat. Quapropter cùm propriam imbecillitatem & indignitatem præ multitudine meorum peccatorū considero, vndiq; mihi præcludi aditū video: & vehemēter pertimeo, ne in mea contētione perseuerās, illud Dñi audiā: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meū per os tuū? Verùm agnoscens, (vt ipse dicit) quòd non est hominis via eius, neq; viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos: de eius bonitate confidens, qui suę largissimę mensę micas canibus vt Cananææ impertiri non dedignatur; quòd pro sua misericordia suppeditauerit, in gloriā nominis sui, Ecclesiæq; vtilitatē, eius charissimę sponsę, cœptū iter perficere curando, libenter perstringā, quod sanctorum patrū vestigiis potissimū innitendo, Dei beneuolētia assequutus fuero. Principio ergo tēpus visionis, habitū, & dispositionem, sub qua reuelationem accepit, & materiam de qua est tota hęc prophetia, ponit. Tēpus dicit esse completis viginti quatuor annis captiuitatis, tēpore regis Ioachim, & in initio vigesimi quinti, primo videlicet mense: Quatuordecim etiā elapsis annis destructionis Hierusalem, regnante Sedechia, qui in ea captus, exoculatus & mortuus tandē fuit. decima item die mēsis, scilicet primi: & beoe quidē placato Dño, per captiuitatē Israël & Hierusalē destructionē, ædificationis Ecclesiæ ad exēplar templi destructi typus ostēditur: numerus enim 24. qui ex quaternario sexies in se ducto resultat, perfectionē & absolutionē indicat, tā ex quaternario qui quadratus est, quā ex senario per quē ducitur qui est perfectus. Et flagello admoto efferuescit, atq; quiescit ira Dñi, qui eatenus eā effundere incorrectis curat: vt sæpius in hoc Propheta visum est. Et decima dies: quia numerus denarius totus numerus est, totalē & integram factam placationem insinuat, quantū ad remissionem Dñi, & si quantum ad eorū correctionem longius protracta captiuitas fuerit. decimus tandē quartus anous idē significat, cū ex denario & quaternario constet. Et ita res se habuit: quod pacificato ęterno patre per mortem vnigeniti filij sui Dñi nostri Iesu Christi, Ecclesiæ ædificandæ initiū prębuit, per fidē resurrectionis eiusdē pluribus argumētis Apostolis factā. Quod sub typo reędificationis ciuitatis & tēpli, (ad cuius exēplar ædificatio Ecclesię figurata est) hoc loco delineatur. habitū etiā Propheta describit, dum illustratione Spiritus sancti ad diuina contēplanda mysteri releuatū suisse dicit, & visionibus, imaginariis nēpe, & mēte perceptis ad Hierusalem vastatam, terramq; Israël ductum fuisse dicit. quoniā Ecclesię ædificatio per Euangelij sacrosanctā prædicationem, ab Hierusalem & populo Israël, cessantibus legalibus per mortem Christi, ibidem factam, incœpit: eodem Domino Apostolis præcipiente: In viam gētium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite potius ad oues quæ perierūt domus Israël; vt destructo tēplo (quod corpus sanctissimum Christi significabat, vt Dominus docuit, dicēs: Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud) cultus & ceremonię legis eo loco cessarunt. Deniq; materiam circa quā versatur visio, ædificationē nēpe Ecclesię subiicit, cùm dicit: dimissum fuisse in montem excelsum nimis, super quē erat quasi ędificium ciuitatis vergentis ad Austrum. Quem locum interpretatus est Dominus de Ecclesia sua cùm Apostolis dixit: Non potest ciuitas abscondi super montem posita, nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, & cæt. Et ad Austrum verge-

Hier. 16. Esaiæ 65. Psalm. 49. Hier. 10. Matth. 15. Matth. 10. Ioan. 2. Matth. 5.

vergebat: qui ventus, quòd calidus & humidus sit, omnes herbas fœcundás & recreans, Spiritum sanctum in Scripturis significat: vt in eo Canticorum loco: Surge Aquilo, veni Auster, & perfla hortum nostrum, & fluent aromata eius. Et aduentus Christi Iesu Domini nostri ab Austro describitur à Propheta: Dominus ab Austro veniet, & Sanctus de mõte Pharam. Pharam enim tenebras & obscuritatem dicit, quòd ventus hic nubilosus & tempestuosus sit.

Cantic. 4.
Abac. 3.

Et introduxit me illuc: & ecce vir cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. stabat autem in porta.

QVOD primùm in votis habet, qui ciuitatem aliquam magnificam nouus aduenit, est, quæ in ea ampla, & illustria sint, videre; Quocirca Prophetæ, Dei Ecclesiā vt mirabilem ciuitatem mente complectenti, ilico in ipsa porta vir occurrit, qui non solum magna, sed munitissima quæque clarissimè demõstret. Is autem vir, primùm duxit illum ad templum tanquam ad rem inter mirabiles mundi visu dignissimam: & quamprimùm videre hospites omnes desiderant, attendentes si quid pretiosum in ciuitate est in templo collocatum esse debere. Habitus autē eius talis erat: quòd forma speciem æris referebat: & ædificatorem se exhibens, instrumenta fabricandarum ædium, nempe funiculum & mensuræ calamum manu habens, & vti præcinctus ad opus in porta stabat. Atqui cùm Ecclesiæ ædificium in templo hoc, vt prototypo ostendatur, eiusq; artifex Christus Iesus extiterit: proculdubio ipse est qui hic ostenditur, aut Angelus, eius personam gerens, quem signa proposita perspicue commonstrant. Etenim speciem æris refert, quia æneo serpente fuit figuratus: Et quoniā obduratam faciem, perinde atque æs tribulationibus, persequutionibus, & mortem ipsam infligentibus, absque murmure aliquo expositam semper habuit. & denique ob sonorum prædicationis Euangelij officium, ad quòd hoc metalli genus, sonum ordinatum edidit. nec minus numerata instrumenta ipsum indicant: nā Christum Iesum eius artificem & auctorem esse constat. Cum dicat Paulus: Fundamētum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quòd est Christus Iesus. Cùm enim ædificium spiritale sit, artifex fundamentum existit: cui etiam lapides, qui huic ædificio coaptantur, innituntur, vt dicit Apostolus Petrus: ad quem accedētes lapidem viuum ab hominibus reprobatum, à Deo autem electum & honorificatū, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritalis. perpendiculo item ædificator ad directionem ædificij vtitur, & mensura aliqua, ad dimensiones quantitatis aptè in ædificio disponendas, cui ministerio calamus eo tempore seruiebat. In porta autem stat: quia secundum humanitatem ostium est, secūdum autē quòd Deus, ostiarius existit, qui intranti aperit. Vnde ipse Dominus dicit: Ego sum ostiū; si quis per me introierit saluabitur. & rursus: Nemo potest venire ad patrem nisi per me. Et bene stare dicitur, quoniam ab officio vocationis nostræ non cessat: nec sedendo quiescit, sed nostram salutem satagens, operi nostræ iustificationis stans, semper incumbit.

Numer. 21.
1. Cor. 3.
1. Petri 2.
Ioan. 10.
Ioan. 14.

Et loquutus est ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia vt ostendantur tibi adductus es huc. Annuncia omnia quæ tu vides domui Israël.

DIVINI verbi concionator & attentione, & meditatione maxima, Euangelij mysteria & verba secum perpendere debet: & tanquam sibi peculiariter dicta ruminare, priusquam populo exponat, & enarret. Quapropter a sacro vate Angelus, qui vice Christi dux in hac visione illi extitit, sensus disciplinæ, hoc est, visus & auditus, magna cum attentione poscit: & rursus, in corde, hoc est, in consideratione, impensiùs ostensa omnia ponere. Quia vt tibi ostendatur, inquit, huc adductus es. Vbi sacræ Scripturæ tractatores addocet Dominus, sic diuina legere & perscrutari, ac si sibi solis dicta & annunciata essent, vt tanquam eorum rationem in tribunali Domini daturi, ea suscipiant. Tunc enim ad fidei augmentum, charitatis accessionem, spei

ſpei erectionem,& vitæ Chriſtianæ promotionem omnino iuuabunt: & ad populi inſtitutionem & cordium inflammationem apprimè conducent. quod hic nomine Prophetæ omnibus prædicatoribus iniungitur, cùm illi dicitur: Annuncia omnia quę tu vides domui Iſraël.ad hoc equidem Dominus doctrinam ſuam, & communicationem ſapientiæ maioribus in Eccleſia communicat, vt populo impertiendo talentum commiſſum cum fœnore reddant, & quinque alia, aut duo ſuperlucrati, Matth. 25. ad eius iudicium accedant.

Et ecce murus forinſecus in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum, & palmo, & menſus eſt latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.

INSTAR templi Hieruſalem, Eccleſiæ deſcriptio Prophetæ oſtenditur: atque inprimis muri fortitudinem, quo circumuallari deberet, demonſtrat. quem æqualem ſecundum altitudinem & latitudinem metitur: vt omnino inexpugnabilem reddat. pace ſiquidem, cuius altitudo ad cælum protenditur, & latitudo ad vniuerſos proximos per charitatis amorem dilatatur, circum munita eſt. Quod ſic teſtatur Dauid de Eccleſia loquens: Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Siō, Pſal. 147. quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem, &c. Rupertus ſacrā Scripturam murum appellat, ea ſiquidem tanquam inexpugnabili muro Eccleſia defenditur: & quia duplicem ſenſum habet, & ſpiritualem, & qui ſecundum literæ corticem ſumitur: illum deſignās, altitudinem metitur, hunc verò, latitudinem, & calamo vno: quia ab vno eodemq; ſpiritu vterque proficiſcitur. Vnde quia Scriptura menſura eſt actionum, & calamo fit, calamus pro ipſo muro, & Scriptura accipitur: iuxta illud, Lingua mea calamus ſcribę velociter ſcribentis. Pſalm. 44. Pro literæ tamen intelligentia, accipe calamum conſtare ſex cubitis & palmo: vt menſuram ſacram hic deſignaret, quæ vulgari maior erat: quòd quæ Deo offeruntur, pleniora & cumulatiora eſſe debeant. Dicunt ergo quidam vulgarem menſuram quinque cubitis conſtare, ſacram verò ſex cum palmo: ita vt palmus referente Carthuſiano, cuilibet cubitui ſuperadditus intelligatur: quod non admodum amplector: ſed quòd cuilibet calamo, in menſurando aliquam quantitatem, interponebatur palmus, ſcilicet, vt nunc inter menſuras vlnæ, pollex digitus. palmus autem, quatuor erant digiti ſimul iuncti: cubiti verò ſacri ſex palmis, vulgares verò quinque conſtabant. Itaque cubitus pedem circiter cum dimidio efficiebat.

Et venit ad portam, quæ reſpiciebat ad viam Orientalem, & aſcendit per gradus eius, & menſus eſt limen portæ calamo vno, latitudinem, id eſt, limen vnum calamo vno in latitudine, & thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubitos, & limen portæ iuxta veſtibulum portæ intrinſecus calamo vno.

INGRESSVS iam ad Eccleſiam præparatur, dum ad deſcriptionem portæ Orientalis templi in imaginatione præſentari accedit. Primum igitur portam Oriētalem oculis ſubijcit, quoniam fides Chriſti Ieſu aditum ad Eccleſiam præbet, qui Zacha. 6. Oriens in ſcriptura appellatur. & rurſum de eodem proditur: Et orietur vobis timētibus nomen meum Sol iuſtitiæ. Malach. 4. Ad eam autem gradibus aſcenditur, & ſeptem (vt auſpicatur Carthuſianus) quoniam à terreno conuictu ad Chriſtianæ vitæ culmen, ad quod mater ſancta Eccleſia filios ſuos euehere nititur; nō niſi gradibus omnium virtutum itur: vnde & numero ſeptenario, qui abſolutionem rei, cui adiungitur dicit, notantur. Cui illud Pſalmi ſuffragatur: Beatus vir, cuius eſt auxilium Pſalm. 83. abs te, aſcenſionem in corde ſuo diſpoſuit; in valle lachrymarum, in loco quem poſuit: Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion, & cætera. Limina portæ attingente Propheta, dux eius vtriuſq; liminis, ſiue poſtis (qui ingreſſui patet) æqualem latitudinem, menſura nempe vnius calami demōſtrat, quo planus ingreſſus ad Eccleſiā prænunciatur. Ve- Matth. 7.

rùm sub mensura : quoniam angusta est porta quæ ducit ad vitàm , & pauci ambulant per eam: lata verò, quia absque mensura, quæ ducit ad perditionem, ob quod multi ambulant per eam. Atqui quoniam copulatione Ecclesiæ, per assumptam humanitatem, vnicus & primarius eiusdem portarius vnigenitus filius Dei factus est, hinc prope portam thalamus designatur. in quo sponsæ suæ Ecclesiæ coniunctus, ab eo in vita penitus diuina, ad omnes homines instituendos, & illuminádos procedit, Psalm. 18. tanquam sponsus de thalamo suo. thalamus autem quadratus est, quia vno calamo secundum longitudinem, & altero secundum latitudinem constat. Quoniam vita & habitatio Christi Iesu nostri, in omni absolutione & perfectione virtutú fuit. studiosi autem viri & virtutum amatoris, (quòd virtutes cardinales quatuor sint, & Aristot. 1. Ethic. quòd ex quouis latere fortuna flante, aut reflante (vt philosophi dicebát) nó deiiceretur, sed æqualis semper permaneret) figura quadrata, vitá, vel ethnici designarunt. Quia verò non solum vnum, sed plures thalamos designat vt infrà patebit, quinq; cubitorum inter eos distantiam metitur, quæ mensura vulgaris erat: vt quinq; sensibus plane Christianam vitam à vulgari, & plebeiorum hominum, qui eorum voluptates amplectendo, & vt vitæ duces sequendo viuunt, distare omnino doceat. Cæterùm antequam vltrà progrediamur, ingerit se scrupulus, quem & Rupertus ponit: cùm vir hic diuinus, & Prophetę dux, funiculo lineo, & calamo se instructurum exhibuerit, quare calamo semper & non funiculo vtitur ? Respondet præfatus doctor (etsi ipse de creatione mundi totum hunc locum interpreteretur) quòd funiculi mensura ad rationem, modum, & consilium Domini, quo ad opera sua facienda Paulus Roman. 8. vtitur, pertinet, quod ab humana creatura perscrutari non debet. Nam quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit ? calami verò mensura ad opera facta adhibetur, quæ nos admirari, & pro virili imitari conuenit ; vnde ea cognoscere, perscrutari, & contemplari oportet, atque adeò mensura nobis proponun- Psalm. 71. tur. Funiculum verò, id est, modum quo verbum caro factum est, admirati omnino, suspicere, reuereri, & adorare semper debemus : Nam descendit, sicut pluuia, in vellus, & sicut ros, siue stillicidia stillantia super terram: quorum descensum nemo vidit, nec cognouit, & insuper perscrutationem, & inuestigationem consi- Prouer. 25. liorum Domini, ipsemet in nostram vtilitatem inhibuit. ita enim, inquit : Qui multum mel comedit, non est bonum ei & qui scrutator est maiestatis diuinæ, opprimetur à gloria. *Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo vno.* Hic rursus ad mensuram liminis redit : quod cùm iam dictum sit, ostium significare, per quod ad Ecclesiam ingreditur. Quod etsi planiciem in ingressu secundum latitudinem habeat, angustum tamen est, in quantum sub mensura tantùm ingredientibus patet. de qua re non est hic iterum immorandum, sed solùm inquirendum, cùm limen iam mensurasset : quorsum eius iterum mensuræ meminit ? Cui dubio respondet Rupertus : hic aliud limen, interius nempe metiri, cùm exterius supra mensuræ examen subiisset. & rationem affert, quòd literæ sensum exterius limen insinuet, allegoricum verò interius. & ita illud prius mensurarum est, quia à litera ad allegoriam in expositione scripturæ proceditur. Verùm magis mihi probatur, quod alij dicunt: hunc locum expositionem esse prioris, cuius apertum indicium est, nullius dimensionis, quæ metiatur, hîc métionem fieri. videlicet quod supra iam dixerat, mensum esse secundum latitudinem. secundò autem ipsum commemorauit, vt admoneret limina in hoc ædificio internè & à parte interiori statui. quod contra consuetudinem est aliarum domorum, quarum foris in ingressu limina soleant situari. & aptissimè quidem hoc, quandoquidem ratione & instituto viuendi Ecclesiæ aditus contrarius ei, & longè diuersus esse debet ab eo quo domos vulgares homines ingrediuntur. eò namq; eas potissimum ædificarunt, vt sua curent, parta quibus viuitur, recondant, & laborum otiú, & quietem recipientes, sensibus reficiantur. Contra verò Ecclesiæ limina attingentes, vt saltem affectu his, quæ possident, renuncient, & militiam contra diabolum, mundum, & carnem assumant: atque sensibus neglectis, cum corporis respectu, eorum feritatem remittant, corporisq; abnegationem exerceant. Qua ratione proculdubio à parte interiori limen positum est, foribus extra dispositis: quoniam extra Ecclesiá nulla vis, nulla po- Ioan. 12. tentia est, quæ ostiú reseret, & ad eam gressum dirigat, dicente Domino : Ego sum

ostium

ostium, si quis per me introierit, saluabitur: quotquot autem ante me venerunt, fures sunt & latrones: non enim extra eam pœnitentia quærenda est, vt nec iustificatio, nec peccatorum remissio contingere potest. omnis siquidem gloria eius, filiæ regis, abintus est: ab ipso nempe Iesu Christo nostro, eiusq; formata fide, qua & ad ingressum homo præparatur, ad eam tandem introducitur. Psalm. 44.

Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis. vestibulum autem portæ erat intrinsecus. porro thalami portæ ad viam Orientalem tres hinc, & tres inde, mensura vna trium, & mensura vna frontium ex vtraque parte.

DESCRIPTO limine, ad metiendum postes, quibus adhæret ianua, & frõtem, siue humeralia, quæ à parte superiori ædificium sustinent, tanquam humeri ostij, & ipsum cum ianua claudunt; & thalamos qui à parte interiori portæ vtriusq; tres dispositi erant, transiit. Postes ergo, qui à limine oriuntur, quibus paries finitur, octo cubitorum sursum protendebantur. Vestibuli enim nomine hos postes intelligere videtur, & si Hieronymus spatium, quod incipit finito ingressu, intelligat: tamen siue hoc siue illud accipias, sensum non variat: Nam & in ipso aditu, & in vestibulo ei iuncto, habitum & personam homines tergere, & præparare consueuerunt, vt interiora domus penetrantes, non rustici, & inculti habeantur. Itaque exercitium vitæ Christianæ primùm Ecclesiam ingredientibus significatur, quod cõpositione hominis in se secundum suos affectus, concupiscentiam nempe & iram, quę primis tribus beatitudinibus proponitur, constat: deinde compositæ vitæ, & conuictus ratione ad proximum, & tandem ad Deum, quæ quinque aliis beatitudinibus edocentur, absoluitur. Vnde & octo beatitudines significando, postes quibus vita Christiana è solo surgit, siue spatium, quod portæ continuatur, octo cubitorum mensura stringuntur. Frons autem duobus cubitis in latitudine finiebatur. Itaque si duo erant humeralia, quodlibet vnius pedis erat, quia duo sunt præcepta, quæ totum Christianæ vitæ ædificium sustinent, dilectionis nempe Dei, & proximi, quibus vniuersa lex pendet & Prophetæ, vt dixit Dominus. dicit autem vestibulum hoc, siue postes intrinsecus esse, vt contra ordinem domorum vulgarium dispositos esse, propter rationem superius positam, intelligamus. thalami autem siue atriola illa quæ sacerdotes tanquam domus Dei ianuarij habitabant, cum suis vicibus templo seruiebant: Apostolos sanctos Ecclesiæ Catholicæ ianuarios, eorumq; absolutam & perfectam vitam proculdubio significabant. Vnde & æqualia illa atriola disponuntur, vnam eandemque doctrinam Euangelij in ipsis significantia. & numero senario, qui perfectus est, finiuntur: Quia Apostoli duodecim fuerunt ex numero perfecto bis sumpto computati, quia totum cuiuslibet vita omni perfectione & absolutione reintegrata fuit. Matth. 5. Matth. 22. Apoc. 21.

Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum, et longitudinem portæ tredecim cubitorũ: et marginem ante thalamos cubiti vnius et cubitus vnus finis vtrimque. thalami autem sex cubitorum erant hinc, & inde.

MENSIS, quæ ostium vndique conficiunt, ad ipsius ostij aperturam, siue spatij quod ianuis inter muros patet descriptionem, transiit. hoc enim nomine liminis hic intelligit. subiicitque latitudinem decem cubitorum: altitudinem verò siue longitudinem tredecim. Est quippe vitæ Christianæ initium Ecclesiam intrantibus, decem præceptorum Dei diligens obseruatio, quibus pacatio, & animi latitudo contingit, iuxta illud vatis: Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui; atque cùm hoc iter sub fide sanctissimæ trinitatis cum cæteris symboli articulis sursum ad Deum, sedemque eius cælum, ambulandum sit: meritò longitudo tredecim assignatur cubitorum. Etenim numerus denarius, qui totus numerus est, totam vitam significat, & ternarius superadditus sanctissimæ trinitatis fidem: quę ianua omnium articulorum fidei est. Vnde hoc re ipsa docens, aptissimè iter Magorum ad inquirendum Christum Iesum, eiusque fidem protestandam, tredecim dierũ spatio confici, Dominus disposuit. Marginem, siue spatium quoddam ante quemlibet Psalm. 118. Matth. 2.

thalamum à latere ingressus vtrimq;, ne impediret ingressum constituit quod vnius cubiti erat, ex omni latere, quia quadratum. Carthusianus dicit: sedilia hic pro portariis designari, quod mihi placet: cùm domus dispositio hoc poscat cuiuslibet. significatque dilectionis Dei mandatum, nam finis præcepti est charitas. Et Apostoli sancti, hac intentione, hoc fine Deum in omnibus gratificandi, gloriam & honorem eius promouendi, vitam regebant. in ipso totam sollicitudinem suam collocarunt, in quo requieuerunt & sederunt, & apprimè cardinalium virtutum quadratum ab ipso vocationis initio absoluerunt: Vnde & sedilia, & quadrata, & vnius cubiti diuinitus disponuntur. Quod verò subdit: thalamos sex cubitorum esse hincinde, si referatur ad dispositionem thalamorum, quod sint quadrati, iam suprà dictum est, absolutam vitam Apostolorum designare. si verò ad spatium, quod inter thalamos, quod ex vno latere ad aliud interceptum erat, absolutionem doctrinæ Euangelicæ, quam Apostoli omnes prædicabant, vt ad vitam Christianã homines promouerent, significat. Quare & duodecim cubitorum mensura ponitur.

1.Tim.1.

Et mensus est portam à tecto thalami, vsq; ad tectum eius, latitudinem viginti quinque cubitorum, ostium contra ostium.

DISTANTIAM, quam thalami priores ex vtraque parte portæ ad ipsam habeant colligit. quam viginti quinque cubitorum esse dicit. Tectum thalamorũ in eadem linea erat situm cum extremis parietum portæ. & à tecto thalami, vsque ad tectum portæ comprehendendo parietes. (Nam ob id à tecto ad tectum metitur) septem cubiti erant cum dimidio, & totidem in alio latere, à tecto thalami ad tectum portæ: Ex quibus simul iunctis quindecim cubiti conficiuntur. Et cùm ostij apertura decem cubitorum posita fuerit, fit vt numerus vigesimusquintus resultet, qui in eo quod denarium, qui totus est, bis reperit, fidem Apostolorum & Ecclesiæ Catholicæ eandem esse dicit. ob quod in eadem linea tectũ thalami, & portæ sita sunt, & æquali intercapedine distantia: & Ecclesiæ fides in tecto portæ intelligitur, & Apostolorum in tecto thalamorũ, qui intrà sunt. Vnde & sancta mater Ecclesia Apostolorum fidem profitetur, eidemque innititur: propter quod in symbolo dicimus: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam. Beatus Gregorius duo mysteria fidei, nẽpe, sanctissimæ trinitatis, & incarnationis Domini intelligit. illud per tectum portæ, quia ianua est fidei, hoc per thalami tectum, quod in difficultate credendi illud è vestigio sequatur. Vtcunque tamen intelligas, quia tota fides Ecclesię & Apostolorum, sicut memorati articuli sensibus, & cogitatione humana incõprehensibiles sunt, & vnum altero incomprehensibilius, viceno numero, quinarius (qui sensus, & cogitationem hominis limitatam significat) superadditus fuit. Quod verò tecti nomine fides intelligenda sit, & ratio ipsa suadet: nam vt tecto ab iniuriis temporis defendimur, ita & fide contra malignos hostes protegimur. & Scriptura id ipsum docet, fidem, vmbram & velamentum appellans. Dicitur enim de Ioanne Baptista: Sub vmbra manus suæ protexit me. & rursus Dauid: Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhęsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. ostium autem contra ostium ponitur, quia portæ thalamorum ex vtroq; latere è regione sibi correspondebant: quia eadem omnium erat prædicatio, & quod vnus plantauerat, alius fouebat, & vegetabat; & sic mutuis operibus sibi correspondebant, se inuicem adiuuantes, vt optimi & studiosi vicini. Si verò ad ostia atriorum: mulierum, virorum & sacerdotum, qui sic distincti sacrificabant, & audiebant, referatur; ita vt ingressus portarum sibi mutuò responderent, vt qui in prima porta interna esset, faciem priorem templi intueri posset: vnum eundemq; ingressum tam imbecillium, & vulgarium, quàm excellentium & sacerdotum ad Ecclesiam, eandemque fidem omnium esse significat. Etenim etsi sapientes & doctores, scientiarum clypeos habeant, quibus fidem defendant, & tueantur, rationesque quibus nullam repugnantiam articulorum fidei esse ostendant, & intellectum credendis mansuefaciant: non tamen rationibus & syllogismis innituntur ad credendum, sed solùm diuinæ reuelationi, sicut qui nulla scientia, & peritia valent. Quapropter ac si vnus ingressus esset, atque vnum ostium se mutuo illa respiciebant. Et rursus è regione portæ situatæ erant, & se inuicem respicientes: vt charitatis, & dilectionis

Esaiæ 11.
Psalm. 62.

proximi

proximi præceptum potiſſimum ad inſtructionem aliorum, ſacerdotibus commendaretur. quibus antequam ad ſuum atrium accederent, proximi in aliis atriis occurrerent. & tandem quod recta via ad Deum, & ad cęlum, quod eſt ſedes Dei, & atrio ſacerdotum ſignificabatur, gradiendum, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinando.

Et fecit frontes per ſexaginta cubitos, & ad frontem atrium portæ, vndique per circuitum, & ante faciem portæ quæ pertingebat vſque ad faciem veſtibuli portæ interiori quinquaginta cubitos.

OSTII prioris, quo ad atrium mulierum ingrediebatur, dimenſiones metitur, ſpatiumque ſimul intercluſum inter oſtium hoc a parte interiori vſque ad frontem ſequentis oſtij, vbi atrium mulierum incipiebat. Vbi plebis communis, & totius vulgi in Eccleſia Dei commorantis ingreſſum, tanquam infimæ & inferioris Christianæ vitæ ſortis, viam & rationem viuendi deſcribit, quam Dominus efflagitat. Mulieres etenim, etſi rationem habeant, imbecillem tamen, vt dixit quidam. *Ariſt. 1. Polit.* Quapropter per earum atrium totus populus deſignatur. Huic autem cuſtodia & obſeruatio mandatorum Dei curſus vitæ præfigitur: Vnde porta qua ad adorandum ingrediebatur, ſexaginta cubitorum ponitur: cuius poſtes ſiue columnę, quæ vel à lateribus parietum craſſitiem terminarent erectæ, ſiue à parte ſuperiori tanquam humeri ædificij ipſum ſuſtinerent: aut tanquam baſes à parte inferiori ſuſtinerent, ſexaginta cubitorum circumquaque erant, per quem numerum perfecta pręceptorum obſeruantia præfinitur, quandoquidem denarius numerus præceptorum decalogi, per ſex replicatus, qui numerus perfectus eſt, ſexagenarium conficit. Atqui quoniã hoc, fideles ad cælum contendere & euehere ſufficit, atrium ſiue ſpatium, quod ab oſtio vſque ad frontem alterius interioris protendebatur (quod vitæ ſtadium deſignat) quinquaginta cubitorum diſpoſitum eſt: qui numerus, cum Iubilei ſit, in quo omnia in antiquam libertatem aſſerebantur, *Leuitic 25.* cæleſtis patrię vitam præmonſtrat; in qua in libertatem, ad quam homines creari fuerũt, *Roma. 8.* & ad quam omnis creatura ingemiſcit, vt inquit Paulus, reuelationem filiorum Dei expectans.

Et feneſtras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam vndique per circuitum. ſimiliter autem erant, & in veſtibulis feneſtræ per gyrum intrinſecus, & ante frontes pictura palmarum cælata.

FENESTRÆ in domibus ad ſalubritatem, & ſanitatem habitantiũ diſponuntur, vt enim abſque aëris aſpiratione & reſpiratione vita cõſtare non poteſt, ita, nec abſque aëris ingreſſu & egreſſu ſalubritas domus. Atqui cùm totum negotium hîc ſpiritale ſit, & vita animæ abſque Spiritus ſancti flatu & inſpirationibus conſiſtere non poſſit; gratiarum autem Spiritus ſancti aër ſymbolum ſit (vnde Spiritus ſancti *Actuum 2.* nuncius exiſtens in die Pentecoſtes, factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam Spiritus vehementis, &c. & iterum aduentus eius in animam Chriſtianam aëri comparatur, cùm dicitur, Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcit vnde veniat aut quo vadat, & *Ioan. 3.* cætera) hîc aptiſſimè, thalamorum, frontium, & veſtibulorum feneſtras diſponit: his enim gratiæ, & fauores, atque illuſtrationes ſignantur, quibus vita Chriſtiana ſuſtentatur, & promouetur. dicit autem, feneſtras obliquas eſſe, id eſt, ſtrictas & anguſtas. Quod ſi à parte interna hoc intelligas, vt quidam volunt, apertè ſignificat latitudinem ſenſuum fugiendam, & ſupra corpus ſtrictiori attentione eleuandam ad gratias Dei recipiendas, quas latiſſimo ſuæ miſericordię campo ſemper proponit. Alij è contra dicunt, à parte interna latas, extrinſecus autem ſtrictas & anguſtas, (quod noſtro ſæculo magis in vſu videmus, in domibus, in quibus clauſura curę eſt) & rei ſignificatæ magis ſic congruunt. Nam tenuiter hîc illuſtrationes gratiarum has participamus, nec niſi attenuando ſpiritum ſupra corpus, & extra ad eum per intentionem & attentionem proferendo, nobis contingunt. intrinſecus autem receptæ, cordis latitudinem, pacationem, & tranquillitatem operantur. Verum aduertendum eſt, quòd dupliciter litera hæc proponitur, & vtroque modo ſatis cõmodè: Primùm, vt exponendo dicat, feneſtras obliquas thalamorum ſic diſpoſitas fuiſſe

in frontibus, hoc est, in postibus humeralibus, sursum constitutæ essent, & in vestibulis, id est, in adytis, & inferioribus partibus. Et hac ratione varias illuminationes gratiarum, diuersas diuisiones, pro cuiusque status, & conditionis ratione, maioribus maiores, & minoribus minores, singulis officiis conuenienter significat. iuxta illud Pauli: Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus: diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: diuisiones operationum sunt, idem autem

1. Cor. 12.

Deus, qui operatur omnia in omnibus. Secundo modo litera induci potest, vt postquam meminit fenestrarum, thalamorum, per quos portarij, & Apostoli significabantur, fenestras quoque statuēt in muro cingente montem vniuersum, aut templū, & eas intra portas intrinsecus: Quapropter in vestibulis dispositas esse dicit, & in frontibus, id est, in postibus, & columnis internis portarum. Quo curam specialem, qua toti suæ Ecclesiæ, per auxilia & gratias conuenientes, vt sursum corda Christiani eleuent in fide, spe, & charitate promoueantur, significat. Humiliamini enim, dixit beatus Petrus, sub omnipotenti manu Dei, vt exaltet vos in die visitationis, om-

1. Pet. 5.

nem sollicitudinem proiicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis. Cui expositioni maximè suffragatur quòd vndique per circuitum intra portam fenestras esse dicit. Tandem in qualibet postium portarum muri, ad ornatum & elegantiam, palmas (quæ symbolum sunt victoriæ) sculptas asserit: ad vincendum siquidem & triumphandum de diabolo, mundo, & carne, fideles Ecclesiam Catholicam ingrediūtur. in campo enim armis fidei, spei, & charitatis præcincti, contra præfatos inimicos, militiæ proponuntur, vt in cœlum redeuntes, & victoriam reportantes cum omni pompa, & æternæ gloriæ apparatu de ipsis triumphent, secundum quod Ioannes

Apoc. 7.

sanctus in cælo vidit, habentes palmas in manibus eorum.

Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum, triginta gazophylacia in circuitu pauimēti, & pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius, & mensus latitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem, & ad Aquilonem.

PORTA hæc secundi muri, qua ad atrium mulierum ingrediebatur, respectu tertij muri, quo virorum atrium cingebatur, extrinseca erat: respectu verò superioris, primique atrij, post prioris muri portam interius dicitur. Ad quod attendentes Septuaginta transtulerunt: introduxit me, &c. Vbi nostra translatio habet: eduxit me. Vtcunque, atrium mulierum describitur. in quo triginta cellæ siue cameræ (vt inquit Lira) sacerdotum habitationi disponuntur, ad singulum latus quindecim. quorum dignitas, vita, & officium; numero denario triplicato sumitur. Ea siquidem ætate Sacerdotes assumebantur, vt triginta annos expleuissent;

Aristot. 1. Politic. 4.

quando generatione completa Philosophi: & viri ætas florens, prudentiæ dignitatem ostendit. Fide item Sanctissimæ Trinitatis, sub Catalogo decem præceptorum vita sacerdotum eximiè populo mulierum, & vulgi multitudini, fulgere debet. Et tandem eorum officium ita necessarium habitum semper fuit, ad Deum pro populo suis sacrificiis, pro ratione temporum intercedendum, quòd in lege naturæ, scriptæ, & gratiæ semper viguit. Quos status hac trinitate denarij Gregorius vult intelligere: & aptè etiam cellæ & gazophylacia appellātur, in quibus thesauri recondebantur: Quoniam spiritualium gratiarum diuitiæ in sacerdotum pectoribus reclusæ esse debent, ex quibus populo depromātur. iuxta illud Prophetæ. Labia sacerdotis custodiunt scientiam. locus vbi diuinæ laudes decantari, & spiritalia ne-

Malach. 2.

gotia tractari debent, variis lapidibus mirificè constructis, aptissimè ornatur; quandoquidem qui in eum conueniunt, omnium virtutum varietate, & firmitate, tanquam vasibus, quibus leges Ecclesiæ fidei nempe, spei, & charitatis fulciantur; stabiliti esse debent. Vnde pauimentum vndique huius atrij distinctum lapidibus æstimatis disponitur: & quòd cum Domini pauore, & timore ibi comparere oporteat, tali nomine solum hic compellatur: quod autem portæ, eiusque frontibus, siue postibus substratum (quod exquisitiori modo elaboratū erat) ad altitudinem portarū

potri-

porrigebatur, è regioneque earum erat dispositum. Vbi per portas intelligere poteris portam hanc secundi muri & portam restij, aperientis atrium virorum, inter quę pauimentum hoc insigniter pellucebat: aut per portas, vt quidam exponunt, portam hanc atrij mulierum accipe, quæ numero multitudinis figuratur, nomine portę cōnumerando vestibulum & portam ipsam cui adiungitur. Elegantiùs autem ingressus iste substernitur, vt elegantiam, puritatem, & insignem mentis intentionem templum, & Ecclesiam ingredientium designet, omni cura rerum mortalium pro foribus relicta, & solutis calciamentis, qui ex rebus mortuis conficiuntur (vt iussum est Moysi seruo Dei) oraturi & acturi ingrediantur. Appellatur autem hoc pauimētum inferius, Exod. 3. quia substratum erat portæ, vt inquit Carthusianus: vel respectu atrij interioris virorum quod superius erat. Et potissimū hac submissione, & inferioritate in ingressu primi atrij, humilitas designatur, qua fides stabilitur, augescit, & accrescit. humilitate maximè fides gaudet: nam superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam: 1. Petr. 5. vnde & in Ecclesiæ ingressum præponitur. A porta autem Oriētali ad Occidentalem extrinsecus, quæ atrium virorum patefaciebat, & ab Aquilone ad Austrum, spatium & intercapedo atrij, centum vndique cubitis protendebatur: qui numerus cùm denarius denariorum sit, & totum numerum dicat denarius, vltra totalitatem, quam amplectitur, absolutionem & perfectionem omninò virtutum dicit, quæ in Dei Ecclesia solùm reperitur.

Portam quoque quæ respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine, & thalamos eius, tres hinc, & tres inde: & frontem eius, & vestibulum eius secundum mensurā portæ prioris quinquaginta cubitorum longitudinem eius, & latitudinem viginti quinque cubitorum. fenestræ autem eius, & vestibulum, & sculpturæ secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad Orientem, & septē graduum erat ascensus eius, & vestibulum ante eam, & porta atrij interioris contra portam Aquilonis & Orientalem. & mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos.

CVM tres portas primi muri circumuallantis templum, siue montem, describat Spiritus sanctus Oriētalis architectura oculis subiecta, ad Aquilonaris enarrationem ilico gradum facit. Etenim, vt primùm à peccatis, vitiorumq; itinere ad Deum per pœnitentiam conuersis, diabolus cum suis, insidias omnes molitur, laqueos parat, nulli tentationi parcit, vt exemptum seruum recuperet, ad pristinaque pensa reducat, tributumque antiquum ipse dominans accipiat, iuxta illud, Exiens spiritus im- Lucæ 11. mundus quærit requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum vnde exiui. Ita nouo militi Christi accidit: nam cùm primùm fidem accipit, Christianam religionem profitetur, solutionem antiquæ vitæ præsentando, sensus & eorum fautores appetitus demulcendo, omnes suas technas, machinamenta & astutias exercendo, quod suis votis profuturum nouit, in mentem vtcunque immittere curat, quod & Dominus permittit in suorum militum probationem, iuxta illud regij vatis: Misit Psalm. 77. in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram, & tribulationem, & immissiones per Angelos malos. hinc igitur Aquilonis porta (Quippe ab Aquilone pande- Hier. 1. tur omne malum,) statim post Orientalem portam describitur. de Ecclesia enim eiusq; incursibus quibus exposita est, dixerat regius vates: Fundatur exultatione vni- Psalm. 47. uersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Verùm cùm porta hæc, adytus, & ad Ecclesiam ingressus designarent, Christus autem ostium sit, quem prin- Ioan. 10. cipaliter portæ istæ cum suis architecturis præfigurassent, mensura portæ Orientalis solum aptè ipsi accommodari videtur? Respondetur, Christum portam vtique esse. Ita enim ipse Dominus testatur: Nemo potest venire ad patrem nisi per me. At ta- Ioan. 6. men non vno modo hoc Christus Iesus magister vitæ operatur: quosdam siquidē radioso fidei lumine per visa miracula & prædicationem sancti Euangelij, vt de pluribus sanctis legitur, mentis purificatione & affectus inclinatione vocauit: vt bea-

tum Franciscum,qui audiens illud Euangelij: Nisi quis renunciauerit omnibus quę possidet,non potest meus esse discipulus,Christũ sequi illico curauit,& similes. Qua ratione in porta Orientali figuratur. quosdam verò terrore,& pœnarum inferni incusso timore, sibi consulentes,ad fidem asciuit,& ab eius incendio,charitate nempe deficientes,dum peccatis & vitiis feruerent,ad pœnitentiam promouit.secũdum quam rationem Aquilonaris porta Christus designatur: vt Australis,secundũ quod in fide,spe,& charitate suos fouet,recreat,& Austri calore incendit,& fœlicitate itẽ proposita ad suam Ecclesiam,cœlestique doctrina, in ea promouendum inuitat ,& trahit. Est enim ventus iste calidus,fœcundus, & omnino suauis , vnde omnia hæc accommodatè significat. Mensura autem huius portæ cum omni suo apparatu omninò similis est præcedentibus,vt idem Christus Iesus & eadem fides cum omnibus aliis virtutibus,quibus ipsa stabilitur,erigitur, dilatatur , & perficitur, vtrobique significatur. Hoc solùm attendendum est , quòd longitudo huius portæ, quæ quinquaginta cubitis ponitur , sub alia dictione prius proposita fuit ,sic nempe : & ante faciem portæ , quæ pertingebat vsque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubiti.idem enim mensuratur etsi alia ratione proponatur : similiter,quod nunc dicit : latitudinem esse viginti quinque cubitorum , suprà dixerat : & mensus est portam à tecto thalami vsque ad tectum eius, latitudinem viginti quinque cubitorum.

Et eduxit me ad viam Australem , & ecce porta quæ respiciebat ad Austrum: & mensus est frontem eius , & vestibulum eius iuxta mensuras superiores, & fenestras eius quinquaginta cubitorum, longitudinẽ , & latitudine viginti quinque cubitorum , & in gradibus septem ascendebatur ad eam. & vestibulum ante fores eius, & cælatæ palmæ erant. vna hinc, & altera inde in fronte eius, & porta atrij interioris in via Australi: & mensus est à porta vsque ad portam in via Australi centum cubitos.

QVONIAM eadem Apostolica fides in Ecclesia Catholica cum aliis legibus spei & charitatis, cæterisque virtutibus , ac donis quibus initiatur , fouetur , & augetur vsque ad finem mundi, integra permansura est , hinc eisdem dimensionibus , thalamis , fenestris , & reliquis apparatibus,quibus aliæ portæ , Australis ornata est. Quæ omnia cùm supra sint explicata , hic iterum non sunt repetenda . Etenim cùm ab Austro & meridie temporalis vitæ fauor,subsidium, & fœcunditas accrescat : fœlicitatem cælestem, quæ piis , & iustis hominibus continget, Australis hæc porta designat ; quapropter vltimo loco describitur . & aptissimè quidem etiam hac ratione : quòd fides in Orientali porta generatur , imò Christianus homo : in Aquilonari verò defenditur, & hostium incursibus roboratur (virtus , inquit Paulus, in infirmitate perficitur) & tandem in Australi , id est , in ingressu cæli, debito præmio afficitur. Duo tantùm hic restant notanda . Vnum , quòd septuaginta gradibus ad eam ascenditur perinde ac in aliis : qui vitæ integritatem, quam religio Christiana & Ecclesiastica disciplina à fidelibus requirat , significat. septenarius enim numerus totum tempus vitæ notat , vt eleganter notat beatus Cyprianus in sermone de Circuncisione Domini . Vnde. 7. gradus in ingressu positi, exercitium vitæ Christianæ per totam vitam requirere videntur , vt ab vno opere bono in aliud , & ab vna virtute ad aliam semper impiis saltem & religiosis hominibus fit progressus secundum illud , quod scriptum est : Ibunt de virtute in virtutem , & videbitur Deus Deorum in Syon . Alterum notatione dignum est, quod hic distinctis , ex vtroque latere portæ duæ palmæ disponuntur . quoniam duplex fœlicitas post iusti iudicij examen , iustis hominibus continget , corporis & animæ. Quandoquidem secundum vtramque partem victorias vltimo illo tribunali præsentabunt . Hæc etenim porta , vt dictum est, infœlicitatis symbolum posita est. Atqui quoniam Christiana vita sub fide sanctissimæ Trinitatis agenda est, tres portæ ad ingressum Ecclesiæ tantùm describuntur. Etenim in Occidentali porta , nempe inferni, semper sunt, qui Ecclesiam non ingrediuntur: aut ingressi

Matth.10.

2.Cor.12.

Cyprianus in sermone de circuncisione Domini.

Psalm.83.

gressi à fide deficiunt, vt hęretici: aut extra gratiam, & charitatem discedunt è vita, peccatis obnoxij.

Et introduxit me in atrium interius ad portam Australem: & mensus est portam iuxta mensuras superiores thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos, & vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum, & vestibulum eius ad atrium exterius, & palmas eius in fronte, & octo gradus erāt, quibus ascendebatur per eam.

EXPOSITIS sex portis muri primi, & secundi, qui atrium mulierum circum tegebat; muri tertij, qui atrium virorum ambibat, portas tres superioribus correspōdentes describit. Atque in primis eam, ad quam per Australem portam, quam vltimo loco explicuerat, patebat ingressus. in qua consimiles mensuræ ponuntur omnium, quæ ad eius structuram, compositionem, & apparatum pertinent, atq; in superioribus. Hæc solùm peculiariter veniunt notāda, quòd vestibulum aut porticus, quæ quinque cubitorum ponitur in latitudine, distantia erat, à latere vestibuli, inter thalamum & thalamum, vt exponit Richardus: & simile in prædictis portis intelligendum est, siquidem consimiles dispositiones omnes textus sacer proponit. Quinque verò cubitorum mensura à thalamo ad thalamum signatur: quia vita sacerdotum, qui per habitatores thalamorum designabantur, & per ipsos thalamos, continens pro contento accipiendo, a quinque sensuum ductu maxime distare debet, vt vitam populi Euangelico sale condiat, & lumen doctrinæ cæteris è populo cō- Math.6. uenienter præbeat. Prętereà cùm portę superius expositæ, porticus aut vestibula extrinsecus haberent, & si apparatu, & compositione intrinsecus respicerent, portæ huius vestibulum exterioris atrij esse dicitur, quoniam extrinsecus respiciebat, & ibi suam porticum & vestibulum habebat. Cuius rationem assignat beatus Grego- Paulus rius, quòd in vitæ Christianę cursu incipientes, & proficientes, vt ita currant, quòd 1.Cor.3. comprehendant, seipsos oportet respiciant, vt hostium incursus vincant, & in bono semper promoueantur, & suo modo proximis subueniant, quod est extrinsecus vestibulum habere. Poteris tamen non minus apte, & textui congruentiùs forsan dicere, in vitæ prototypum & exemplar, anteriores, & instituto viuendi excellentiores ob oculos semper habere oportere: propter quod portæ intus respiciebant, vt huius rei earum frequentatores admonerent. Et habebant vestibula extrinsecus, quoniam imbecilliores, infirmiores, ac ipsis inferiores non destruebant, sed iuuare & sustentare debēt: Debemus inquit Paulus nos firmiores imbecillitates infirmorum Roman.15. sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum Psalm.68. ad ædificationem: Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptū est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Porta autem hæc & extrinsecus respiciebat, & porticum suam habebat. quod perfectos designat, qui in bono firmati virtutis aliorum curæ omni modo & incessanter sint intenti, & sub suo patrocinio moribus, & doctrina, charitatis feruore eos suscipiant. Poteris item intelligere, qui ex dignitate, & officio aliis præsunt, vt prælatos, & magistratus, quos amore & charitate amplectuntur, vnde porticus extrinsecus habere dicuntur: Eos enim dirigunt, docent ac instruunt, vnde extrinsecus respiciunt. Ascensus prætęrea huius portæ, & sequentium eiusdem atrij, octo graduum ponitur, quoniam in monte constitutum erat templum, & non nisi ascendendo ad verticem perueniutur: Etenim Ecclesia Dei Psalm.67. mons est, & mons pinguis. Vnde qui vita legitimus eius ciuis haberi cupit, virtutum operibus veluti gradibus assurgere & ascendere debet, iuxta illud: Quis ascendet in montem Domini? innocens manibus, & mundo corde, &c. Psalm.23. Item ascēsus labore & sudore peragitur, quòd in Ecclesia Dei labore vita Christiana transigitur: nec aliter eius integritas & absolutio constat. Vnde Dñs Iesus dixit: Calcabitur à gentibus Hierusalē, donec impleantur tempora nationū. quod exponens Paulus, ait: Luc.21. Virtus in infirmitate perficitur. Ad hęc, acrior est hîc ascēsus, quia atriū virorum est, 1.Cor.12. qui fœminis constantiore, & firmiore virtute, natura ipsa constant, & eius exercitio

magis

Aristot. 2. Ethic.

magis pollere debent. Ipsa autem cùm circa difficile versetur, in sublimiori & abrupto loco posita est. qui non nisi fortibus, & strenuis est accessibilis. Quod si perfectorum statum referat ascensus ille tertij atrij, in eundem sensum oratio remeat.

Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem, & mensus est portam secundùm mensuras superiores, thalamum eius, & frontem eius, et vestibulum eius sicut supra, & fenestras eius, & vestibula in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum, & vestibulum eius, id est, atrij exterioris, & palmæ cælatæ in fronte eius hinc, & inde, & in octo gradibus ascensus eius.

METIENS vir ille, Iesus Christus nempe Dominus noster, tres portas atrij virorum, ab Australi, non ad Aquilonarem migrat, sed per Orientalem viam ad eam reuertitur: quoniam ad Aquilonarem transiens retrogradus esset, quod in suis militibus abominatur Dominus: in via enim Domini progrediendum semper est. Vnde ipsamet veritas ait: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Virtus item perfecta non nisi in Dei Ecclesia reperitur: atque hinc per circulum, qui perfectissima & capacissima figurarum est, diuinum hoc ædificiũ metitur. Et vt hoc tandem doceat, fauores omnes, auxilia & gratiæ, quibus vita Christiana fouetur, augetur & crescit, & vento Austro significantur (vt à Christo Iesu, qui Oriens est, communicãtur) ita in eius gloriam & honorem, actiones omnes & vitæ instituta referri debent, semperq́; ab eo hæc itineraria requirenda: ob quod ab Austro per viam Orientalem aptissimè regreditur. mensuræ autem portæ, eædem sunt cum præcedentibus. illas semel integrè accipere cura.

Luc. 9.

Zach. 6. & 3.

Et introduxit me ad portam quæ respiciebat ad Aquilonem, & mensus est secundùm mensuras superiores: thalamum eius, & frontem eius, & vestibulum eius, & fenestras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum: & vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius, & cælatura palmarum in fronte eius hinc, & inde, & in octo gradibus ascensus eius.

TANDEM in mensuratione portæ Aquilonis finitur circulus. quoniam tunc opera Christianæ vitæ suam perfectionem & absolutionem sortiuntur, quando duris & asperis tribulationibus, veluti igne examinantur, & probantur, perinde ac aurum, & argentum. Fornax enim operũ virtutis probatiua, aduersitas & contradictio existit; quæ vento Aquilone in Scriptura passim significatur: ac proinde in atrio hoc, in quo perfecta virtus figuratur, quæ viros decet, ab Austro, & per Oriẽtalem procedit mensuratio, quia à Dei auxilio & fauore, opera quæque studiosa initiantur, ad ipsum referuntur, & in porta Aquilonis per hostilia arma collata, probata inueniuntur. mẽsuræ consimiles sunt præcedentibus.

Per singula gazophylacia ostia in frontibus portarum, ibi lauabunt holocaustum, & in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde, vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto, & ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ vergit ad Aquilonem duæ mensæ: et ad latus alterum ante vestibulum portæ duæ mensæ. quatuor mensæ hinc, & quatuor mensæ inde: latera portæ octo mensæ erant super quas immolabãt. Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadratis extructæ longitudine cubiti vnius, super quas ponent vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima, & labia earum palmi vnius reflexa intrinsecus per circuitum. super mensas autem carnes oblationis, & extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere portæ respiciens ad Aquilonem.

IAM domus ministrorum & apparatus, ad sacrificia obeunda hic describuntur.

Primùm

Primùm ergo iuxta portas huius atrij cellæ dispositæ eraht ministrantium, ita vt versus postes portæ cuiuslibet cellæ, ostium esset, vbi carnes immolandas abluebát: sacerdotes enim spiritalium diuitiarum repositoria loca esse debét: ob quod gazophylacia, nostra translatio, eorum thalamos siue cellas appellauit. & bene ostia iuxta postes portarum constituebantur: quoniam vltra hoc quod sacerdotibus incumbit, qui & quales Ecclesiam ingrediantur, ad Christum eiusque Euangelium, & exempla sanctorum, quæ per portam significantur, oculos semper conuersos habere conuenit. Abluebant præterea ibi holocausta, quoniam lachrymis & pœnitentiæ aqúa, continuè se purificare debent, & cæteros fideles ab immúdiciis, & scoriis, ministerio suo abluere, vt holocausta fiant Domino, id est, hostiæ spiritales, igne charitatis omninò cremandæ. Deinde instrumentorum ad peragenda sacrificia meminit: atque ad Aquilonarem portam octo mensas disponit; quatuor ad latus singulum, duas intrinsecus, & duas extrinsecus: ex quibus quatuor ad holocausta quæ totaliter incendio absumebantur, ex lapidibus polins constructas esse dicit: quorum quilibet quadratus erat, vnius cubiti cum dimidio, secundum omnem dimensionem; & insuper vnius palmi, id est, quatuor digitorum simul iunctorum. labia vniuscuiusque mensę ponebantur intrinsecus reflexa ad sacrificia continenda. Hæc ad portam Aquilonis collocantur, non quòd ad alias non essent disposita, siquidem sacerdotes ad singulas in suis cellis morabantur: sed, quòd in descriptione huius portæ positus erat, cú ad sacrificia sermonem conuerteret, & quòd opera externa, qualia erant hæc sacrificia, secundo loco Dominus respicit: primùm autem fidem, spem, charitatem, ex quibus egrediuntur, & cor, atque mentis intentionem, ex quibus opera quæq; virtutis procedunt. hoc enim docens Psalmographus, dicit: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, &c. Et Iesus noster, Pharisæos obiurgans, quòd externis opibus solùm intéti essent, dicit: Stulti, nónne qui fecit quod foris est, fecit etiá quod intus est? quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, id est, animabus vestris per pœnitentiam, & rectam vitæ institutionem subuenite. (vt eleganter exponit beatus Augustinus) & ecce omnia munda sunt vobis, non manuum ablutione. quod etiá interpres Euangelij Paulus de oratione disserens, ait: Psallite mente, psallite & spiritu, id est, verbo. Spiritus enim ibi pro voce accipitur, vt eo loco qui de Domino Iesu, versus vltimum mundi halitum, dicitur: spiritu labiorum suorum interficiet impium, opera autem externa, mensura huius portæ significantur: interna autem potissimum aliis duabus notantur. Mensæ verò octo ponuntur: quoniam per totam vitam cordium sacrificium exercendum est. Itaque septem diebus (quibus totum tempus vertitur) in contusione cordis habitis, rursus idem officium primo die septimanæ, qui superadditus aliis octauus est, continuandum est, donec ad patriam ipsam reuertentes, octauum glorię diem pertingamus, quatuor autem ad quodlibet latus disponuntur, vbi quatuor sensus scripturæ, quibus animę Christianæ pascútur, designantur. Scriptura enim sacra mensa fidelium est, iuxta illud Psalmi: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Et ipsemet Dominus: Ego dispono vobis regnum sicut disposuit mihi pater meus, vt edatis, & bibatis super mensam meam, in regno meo. Et ad quodlibet etiam latus, quia ad pastú omnium ingredientium Ecclesiam expositæ sunt. & quoniam tota Scriptura Lege, Prophetis, Euangelio, Apostolorum doctrina distributa est, quodlibet latus quatuor mensas continet, duas extrinsecus, & duas intrinsecus: quia cortex literæ, & moralis sensus foris existit, anagogicus autem & allegoricus intrinsecus recóditi cótinentur; & non minus aptè sentit Carthusianus, fidem, charitatem, pœnitentiam & latriam, quibus virtutibus sacrificium Deo placidum offerendum est, quatuor mensas quodlibet latus portę continere, & extrinsecus, & intrinsecus, quia intus & foris hę virtutes per sua opera exercen debent. Mensæ deinde holocausti, quadratis lapidibus constabant, quibus superponebant instrumenta ad sacrificia peragenda. Etenim sententiæ & exempla sanctorum, quibus vita fouenda, & dirigenda est, in Christo Iesu lapide quadrato, id est, absolutæ omnino & admirabilis perfectionis stabiliéda sunt, vt Deo placeamus, & sacrificia debita illi offeramus. Et vita, sacrificij holocausti, & aliorum, in distinctione hac mensarum notatur. Vt sacrificia sacerdotum, & excellentium vitæ sanctitate virorum, à sacrificiis cordis & bonorum operum distingueret. illi enim

Psalm.44. Luc.11. August. in Enchirid. 1.Cor.14. Esaiæ 11. Psalm.22. Luc.22.

virtutum exercitia, quæ instrumenta sunt Christianæ vitæ, in petra Christo, perfectione, quam figura quadrata dicit, firmius & attentiùs stabiliunt. Rursus labia mensarum intiursum reflectuntur: quoniam omni attentione, super suam custodiam (vt [Abac. 2.] inquit Propheta) vnicuique standum est, ne caro, mundus, diabolus, quod incuria defluit, curiosè surripiant: quod illi seruo contigit (vt inquit beatus August.) [August. epistola ad Elicium.] qui dicit. Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari: veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora quam nescit, & diuidet eum, & partem eius cum infidelibus ponet. is enim & dominando ait, conseruos suos percutit, cum amatoribus mundi luxuriatur, & dies Domini tanquam fur ipsi aduenit, secus autem his, qui omni vigilia aduentum eius attendunt. omnibus autem Christianis cuiusuis cõditionis, charitatis opera, fidei, & spei, insiguiter commendat, dum palmari quantitate labia mensarum signat: quasi opera manuũ dicat, & sacrificia cordis, Deo grata offerri debent, & oblata custodiri.

Extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem.

EXTRA appatatum huius portæ prædictum, interius citra mensas cellæ erant cantorum, quibus ex officio incumbebat laudes creatoris canere: eius fidem, stupẽda opera, in confusionem cacodæmonum, gentium, ac totius mundi celebrare; ob immensa & quotidiana eius beneficia gratias agere: atq; vt nunquã offendatur, sed omnes illi gratificẽtur gratiam, auxilia & fauores petere. quod per manus Dauid (vt libro Esdræ refertur) id est, per Psalmos ab eo compositos, efficiebãt. sic enim inquit Scriptura: Fũdato igitur cœmentis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu [1. Esdræ 3.] suo, cum tibiis, & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, vt laudarent Deũ per manus Dauid regis Israël. Vnde & in titulis plurium psalmorum nomina cantorum, quibus canendos demandabat, posuit. vt hinc iam hæreticorum obtuãtur ora, cãtus & laudes Ecclesiæ, ex tam antiqua & diuina institutione susceptos, è medio tollentes. & quoniam in confusionem hostium Ecclesiæ cantus hi, & clamores cordium laudantium Deum, affectum & feruorem exercentes, & ad similem actionem audientiũ animos excitantes, celebrantur: bene in latere portæ respicientis ad Aquilonem, cantorum cellæ dispositæ erant: latera enim Aquilonis ciuitas regis magni, id est Ecclesia, vt in- [Psalm. 47.] quit regius Psaltes, respiciebat.

Et facies eorum contra viam Australem, vna ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis: et dixit ad me: Hoc gazophylaciũ quod respicit viam Meridianã, est sacerdotum, qui excubant in custodiis templi. Porrò gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotũ erit qui excubãt ad ministerium altaris. isti sunt filij Sadoch, qui accedunt de filiis Leui ad Dominum, vt ministrent ei, & mensus est atrium longitudine centũ cubitorum, et latitudinem centum cubitorũ per quadrũ, et altare ante faciẽ tẽpli.

INVOLVTA satis hæc litera proponitur: ita vt non planè intelligatur, si hæc gazophylacia sacerdotum sint alia à cellis cantorum, vt plures sentiunt, an sint eadem? nam textus maxime huic sentẽtiæ inclinare videtur. Id enim quod dixerat: constituta esse gazophylacia in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem: vnius cellæ in porta Aquilonis respicientis meridiem, est, quod hoc textu dicit: facies earum contra viam Australem, plurale pro singulari: alteram verò describit, quando dicit hic, Vna ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis. suffragatur item quòd exponens gazophylacia, quæ dixerat, sacerdotum facit: & quod in porta Aquilonis, cuius ostium meridiem respiciebat, sacerdotũ esse dicit, qui sacrificiis inuigilabant, vt debitè peragerentur, & per quos offerrentur. Vnde & hi qui diuinis incumbendo officiis & sacrificiis, contra hostes & inimicos dæmones, eorumque fautores arma exercebant, in parte Aquilonis aptissimè morabantur, & eorum domus ad Meridiem atq; Austrum respiciebant: quoniam diuinam gratiam & fauorem hi expectare, & attendere debent, vt officia sua debitè compleant. Quod mirum in modum, officium & vigilantiam Sacerdotum Ecclesiæ obumbrauit. Alterum autem gazophylacium, quod situm in porta Orientali Aquilonem respiciebat, sa-

bat, sacerdotum inferioris ordinis esse dicit, qui ministerio altaris in seruiebant, vt officia & sacrificia, quæ a maioribus agebantur, competenter vt decebat, soluerentur. Vnde hi, quia in administratione diuini officij erant positi, iuxta Oriẽtis portam habitabant. Et quoniam eorum cura, & vigilantia in abigendis, & tollẽdis, quæ diuinum cultum interturbarent, posita erat; Aquilonem respicere, à quo omnis infestatio oboritur, dicuntur. omnes autem hi & illi ex tribu Leui erant, ex descendentia Sadoch. non enim nisi, qui legitimè ab Ecclesia deputati & ordinati sunt, diuino cultui præesse, diuinumque officium peragere, & sacrificium altaris offerre possunt. Quod Dominus manifestè hîc docet, cum ex tribu Leui ministros omnes templi esse prodit: vt Lutherani hæretici confundantur, sacerdotum officia, & sanctissimum Missæ sacrificium, non ordinatis ab Ecclesia, sed indifferenter omnibus permittendo. Atqui quoniam hoc atrium virorum erat, in quibus perfectio vitæ Christianæ significatur, centum cubitorum ponitur, secundum longitudinem & latitudinem: quod longanimitate spei erecti, & latitudine charitatis in proximos extensi, omninò & totaliter, (quod totus numerus denarius nempe significat) qui ad vitæ perfectionem contendunt, esse debeant. Vnde congruè in hoc atrio altare holocaustomatum collocatur: In eo etenim sacrificia oblata, omnino absumebantur incendio; holocaustum quidem quod totum incẽderetur dicitur. Et qui vitæ Christianæ fastigium, & perfectionem profitentur, ita ignem charitatis totaliter accẽdere & amoribus diuinis integrè se tradere debẽt, vt nullam partem sui cordis carni, nec mundo relinquant, quia nulla pars ex holocausto in cibum ministris, nec eorum dominibus relinquebatur. Vt hinc religiosi viri & fœminæ, quæ se Deo consecrarunt, quam vitam ab eis Dominus requirat, discant.

Et introduxit me in vestibulum templi, & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde: Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem vndecim cubitorum: & octo gradibus ascendebatur ad eum. & columnæ erant in frontibus vna hinc, & altera inde.

ÆDIFICIVM templi oculis infra subiecturus, descriptis tribus muris, quibus cingebatur, & atriis interclusis, eius portam metitur, ornatumque & apparatum enarrat. Atque vestibulum dimetiẽs (quod spatium id esse intellige, quod à superiori gradu ascensus ante ingressum portæ protenditur) à quolibet poste ostij, quinq; cubitis amplius dilatari dicit. Quinque etenim sensus, perfectam vitam ingressuris, & acturis intus ad animam collectos & spiritui seruientes, vt vestibulum ianuæ, esse oportet. Vnde aditus ipse, & ingressus ex vtraq; parte ostij trium cubitorum ponitur, quia fidei operibus, totus homo cum suis sensibus inseruire debet. Est quippe articulorum omnium basis, sanctissimę Trinitatis cõfessio, ac proinde pro tota ac integra fide ponitur. Longitudinem autem vestibuli à supremo videlicet gradu ad aditum ostij, viginti cubitorum asseritur: & latitudo vndecim. Nam cùm in vestibulo detineri, ingressurum domum aliquam conueniat, vt de ratione sui ingressus prius examinetur, & quæsitorum rationem habeat, meritò templum ingressurus in vestibulo, eorum quæ intrà exercentur, rationem edocetur. Quapropter viginti cubitis longitudo constat: quoniam sursum ad cælum in Ecclesia Dei iter agentibus, præcepta decalogi non solùm affectu, sed effectu, nec in prosperis modò, sed in aduersis diligenter adimplere oportet. Vnde denario repetito, viginti cubitorum longitudo designatur; latitudo verò vndecim: quoniam dicta præcepta debitè erga proximos dilatari nequeunt, nisi vna pœnitentia superaddita, quæ præsertim in viris eximiis micare debet, de quibus hic sermo diuinus habetur. Etenim nisi corpus hoc eneruetur, & suæ voluntati emoriatur (vt ipse Dominus Iesus dixit) granum frumenti, Ioan. 12. id est, Christianus, solum & absque fructu manet. & lumen insuper fidei, & cognitionis diuinæ offuscat, & obscurat: quoniam id sub modio reponitur, dum corporis sensu & voluntate vigente atque regnante, dona Dei, & quæque cælestia bona, ad propria studia homo insipiens conuertit. Postibus tandem ornatus causa adiectæ erant singulæ columnæ, quoniam ædificium Christianæ vitæ, quod in templo figuraba-

rabatur,& Apostolica doctrina est constructum, ipsis Apostolis & eorum successoribus Episcopis,tanquam columnis innixum fulcitur & promouetur. Quapropter in ipso templi ingressu ponuntur;quia per eos ingressus ad Ecclesiam patuit,vnde Paulus Cepham, Iacobum, & Ioannem columnas Ecclesiæ appellat. & Christus Iesus per beatum Ioannem,dicit: Qui vicerit, faciá eum columnam in templo Dei mei. Quod verò de octo gradibus hic dicitur,Symmachi editio est,aliarum portarū gradus sequuti,quia in Hebræo hoc non habetur, sed quòd per gradus aliquot,aut per plures ascendebatur.

Galat 2. Apocal. 3.

CAPVT XLI.



T introduxit me in templum, & mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, sex cubitos latitudinis illinc latitudinem tabernaculi: & latitudo portæ decem cubitorum erat, & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque inde. & mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.

ANGELVS Domini,qui Ezechieli in visione,templi ædificium demonstrabat, in templum iam ipsum introducens,ostij ingressus,mensuram & templi,siue sancti quo erat spatium illud ante sancta sanctorum circumiacens, notificat. Inprimis ergo frontium,id est, postium crassitiem siue latitudinem dimetiens, sex cubitorū inuenit. Ingressuros quippe Christi Iesu cognitionem,introductiq; per fidem, negotia Christianæ vitæ tractaturi, sui, vt totius mundi creatorem,conseruatorem,ac gubernatorem ante mentis oculos, Deum semper habere oportet. Quapropter sex cubitorum,(vt bene notat Hierony.) latitudo postium ponitur. Sex enim diebus mundi machina finita est: ob idque in postibus, qui ædificium sustentant,mensura hæc signatur,& secundum latitudinem,secundum quam dimēsionem firmitas,& robur postis attenditur. Hinc etiá,qui in vita Christiana,sequendo Christum,longiùs progredientes,perfectionem nanciscuntur dilectione Dei,& proximi perfecta,per numerum senarium qui perfectus est significata , viuere curant. Et quia perfecta hæc Dei dilectio toto corde,mente, &c. vt vitæ Christianæ scopus proponitur, secūdum August. etsi in hac vita cum suo modo,hoc præceptum adimpleri non possit,ipso ingressu,finis contendendus obiicitur. subinfert autē pręfatam latitudinē tabernaculi esse,vt ad eius formam,templum etiam reædificandum memoret. Deinde ostij latitudo decem cubitorum,quæ est spatium à poste vnius lateris,ad postem alterius. Et insuper latera portæ,hoc est,intercapedines ab extremitate valuæ, vsq; ad postē, qui parietem finiebat,quinq; cubitorum erant ex vtraq; parte. Videtur enim crassitiem ligni finientis ianuam,super quo in cardine voluitur,cum iunctura ad postem parietis significare. Etenim legis naturalis obseruatione,quæ decem decalogi pręceptis constat , ad vitæ Christianæ culmen progrediendum est : vnde decem cubitorum latitudo ostij ponitur. & naturalis cognitio quinq; sensuū ministerio paratur,& eisdem semper vtitur,quibus etiá reflectitur,vt ianua suo cardine,& ipsis itē rationi subiectis,vita morum debitè exercetur, ac proinde quinq; cubitorum latitudo laterum portarum ex vtraq; parte describitur. Tertio loco , ingresso iam Propheta ostiū templi,id est,sancti mensuram indicat: quam longitudinis quadraginta cubitorum esse dicit,& latitudinis viginti. Etenim cùm Ecclesia Dei schola pœnitentiæ sit,quæ templo hoc figurabatur,bene eius longitudo quadraginta cubitorum ponitur. quod totum vitæ tempus in pœnitentia agendum significat. secundū quod quadratus numerus integritatem absolutionemq; dicit,& quatuor hominis ætates significat : & ipsum (post Prophetas Moysen & Eliam) Christus Iesus Dn̄s noster suo sanctissimo ieiunio consecrauit. Pœnitere autem tota vita difficile est. Verùm virtus circa difficile versatur,dixit quidam, quia bonum suapte natura in loco arduo & abrupto positum est: vt ad ipsum accessus,absq; laborē, tribulatione,& sexcentorum præpedientium attactum,patere non potest. Quis vnquá rosam collegit spinis circumuallatá, qui ipsis non pungeretur? aut quis vidit florem foliis,& pluribus aliis tegumentis nō defensum? & aurum,argentū, & mineralia omnia nónne natura in visceribus terræ recondidit? vt non nisi cum magno labore extrahantur. Hęc autē naturę documēta sunt:

Aug. lib de Spiritu & litera c. 36.

Aristot. 2. Ethic.

ſunt: virtutem atque bonum ipſum, non niſi labore parandum. At cùm ſuperatis difficultatibus, tribulis nempe noſtri corporis, ad arcem eius aſcenditur, Ieſus bone, quanta contingunt gaudia? quantæ iubilationes? quanta lætitia animus conſectãtis perfunditur? ſacer Propheta Dauid his vocibus, vt qui eius ſuauiſſimo guſtu delectatus fuerat, deprõpſit: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Dñe, dediſti lętitiam in corde meo. Psalm.4. lumen gratiæ, virtutem radiantis, lumẽ ſuper nos ſignatum appellans. & alibi, Vox exultationis in tabernaculis iuſtorum. quaſi dicat: non ſe continere poſſunt, quin in voces gaudiorum prorumpant. & tandem ſummè gaudẽtibus Psal.117. in aliqua publica lętitia, iuſti gaudia comparat, dicens: Sicut lætantium omniũ noſtrum habitatio eſt in te. Psalm.86. Vides ſuauitatem, quam parit virtus? hãc mentis igitur exhilarationem, cordis dilatationem, intus & foris, mente & opere, Angelus ſanctus Prophetę notificans, viginti cubitorum latitudinem templi, & habitationis Eccleſię ſanctæ metitur. Nec te faſtidiat Chriſtiane lector, omnes dimenſiones ſpiritaliter exponere, nam ſpiritales ſenſus in hac templi deſcriptione principaliter ab Spiritu ſancto intendi, in principio admonitus es. Quod & Rupertus ſuper Zachariam ca. 2. apertè docet, Rupertus super Zachar. c. 2. cùm de Angelo metiente Hieruſalem ſic dicit: Nunquid autem vir ille cuius eſt, funiculum in manu habere, nondum ſciebat, quãtæ longitudinis Hieruſalem, & quantæ deberet latitudinis eſſe? Si de ciuitate illa terrena, ſiue manufacta quæritur, non magnum erat illi viro ſcire, vel videre. ſed nec vllus Prophetarum dignum duxit, ſcripto ad noſtram notitiam tranſmittere, quanta fuerit latitudo, vel longitudo eius. Hæc Rupertus, quæ de dimenſionibus templi a fortiori intelligenda ſunt.

Et introgreſſus intrinſecus menſus eſt in fronte portæ duos cubitos, & portam ſex cubitorum, & latitudinem portæ ſeptem cubitorum, & menſus eſt longitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem viginti cubitorũ ante faciem templi. & dixit ad me, Hoc eſt ſanctum ſanctorum.

AD perfectionem Chriſtianæ vitæ contendentibus, in acceſſu, maior ac maior perfectio obeunda reſtat. ad quam, vt diligentes Chriſti Ieſu milites continuè aſpirent, idem Dominus dixit: Cùm feceritis omnia quæ debuiſtis facere, dicite: ſerui Luc.17. inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus. Quapropter à templo, quod ſancta dicebatur, ad ſancta ſanctorum, ducitur ab Angelo ſacer noſter vates. Et primũ poſtes portæ, qui parietem finiebant, & portam ornabant, metitur ſecundũ craſſitiem, & latum; quod duorum cubitorum inuenit. Sapientia enim noui, & veteris Teſtamenti in amore Dei, & contemplatione myſteriorum fidei, floribusq; item actiuæ, & contemplatiuę vitæ conſiſtit, quibus ſtrenui Chriſti milites exercentur, & promouentur: Vnde & poſtes portæ ſancta ſanctorum duorum cubitorum menſura perſtringuntur. Porrò apertura à poſte, quo circumuertitur ianua, ad poſtem alterius, ſex cubitorum latitudo erat: totius verò oſtij à poſte parietis ad alterum è regione poſitum ſeptem, quoniam ex vtraq; parte dimidio cubitu excedebatur apertura portæ, atque ita ſeptem cubitorum conficiebatur. quibus menſuris abſoluta & perfecta decalogi adimpletio, quæ omni perfectioni vitæ ſubſternitur, vt ſenarius numerus notat, ſignificatur: & ſeptenarius donorum Spiritus ſancti, quibus Chriſtiana omnis vita fulcitur, diuinitus fouetur, locupletatur, & in maiora incrementa ducitur. Etenim abſque Spiritus diuini fauore, qui ſeptenario ſua dona impartitur, vita Chriſtiana dirigi, nec alicubi duci poteſt, ſicut nec ianua abſque cardine & loco illo ad poſtem, ad quem adiũgitur, moueri. Et aduerte, quòd ſecundum latitudinem vtraque menſura eſt, & in ipſo ingreſſu; quoniam integritate vitæ decalogi præceptis aucta, & omnis auxiliis continuè vegetata, maxima latitudine charitatis, corda virorum, in proximos dilatantur, vt regius vates teſtatur, dicens: Et ambulabam in Psalm. 118. latitudine, mandata tua exquiſiui: & inſuper, vt quilibet quantumcunque ſe exercuerit, in ipſo ingreſſu virtutis heroicæ ſe eſſe exiſtimet: vt enim eſſentia motus eſt in fieri, ita & virtutis poſſeſſio in ipſo exercitio. Quapropter ipſamet veritas Petri cõfeſſionem extollens, dixit: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. & non Math 7. dixit, ædifico: quia ſpiritalis fabricæ ædificatio, ad finem vſque ſæculi durabit, vo-

catione & promotione fidelium, & eorundem in diuinarum & moralium virtutum exercitatione, Domino semper operante & adiuuante. Præterea à parte interna ante faciem templi spatium sancta sanctorum, quod porrigebatur, æquilaterum, & quadratum erat, quoniam iustitiæ omnis absolutionem significat, vt quoquo versus eius asseclа concutiatur, siue proiiciatur, prosperis aut aduersis, flatu, aut reflatu hominum, erectus semper stabit, ab humo & terra æqualiter distans: quia vir quadratus est, quaterno nempe latere virtutum moralium in sua excellentia, sublimiter sustentatus: & mentis item integra compositione, & externorum operum debita absolutione. & vir æquanimis, qui nulla te frangatur, nec animum despondeat, semper inueniatur. Vnde & vicenario numero eius valor, & illustris nobilitas insinuatur.

Et mensus est parietem domus sex cubitorum, & latitudinem lateris quatuor cubitorum vndique per circuitum domus, latera autem latus ad latus bis triginta tria, & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, vt continerent, & non attingerent parietem templi.

DESCRIPTA porta templi interioris, quæ præcedentibus multò angustior est, quia perfectionis stadium, cuius cursus hîc figuratur, multò strictius communi, omnibus Christianis patenti, existit. Vnde Dominus contra Pharisæos disserens, qui vitæ perfectionem iactabant, dixit: Angusta est porta, quæ ducit ad vitam, &c. Enarrata igitur mensura portæ, ad parietem transit, quem sex cubitorum ponit. Prælatos etenim & sublimioris dignitatis in Ecclesia, & qui eius gubernacula gerunt, eiusque positi sunt custodes, & vt parietes ædificij templum, sic ipsi Ecclesiæ, fulcire debent, viros perfectos esse oportet, per sex parietis cubitos designata. hinc loca deambulatoria & solaria, vt vult Richardus de sancto Victore, siue thalami, habitationes scilicet cantorum, vt rectiùs alij videntur sentire, parieti annectebantur, sic quòd parietem, eorum trabes foraminibus non penetrarent, sed extantibus & prominentibus partibus parietis, aut muri fulciebantur, & ita vt intuentium oculis omninò paterent. Hi ergo quatuor cubitorum ponuntur lati, & alij alijs super positi sursum erigebantur, triginta trium cubitorum in altitudine quilibet se fastigians. aut quòd ex quolibet latere portæ Orientalis qua ingrediebatur, & descripta est, circumquaque triginta tres thalami essent, qui sexaginta sex conficiunt: vbi Sacerdotes, prædicatores, viri religiosi, cardinalium virtutum quadrato stabiliti, significantur: quod latitudo quatuor cubitorum cuiusque thalami significat. Erant annexi deinde parieti, quoniam ab obedientia procerum & primorum Ecclesiæ discrepare non debent, sed ipsis innixi, & eorum consiliis stabiliti, suas functiones exercere. & exempti prætereà à pariete ponuntur, quoniam omnibus conspicui, vitæ integritate, & absoluto virtutis exemplo degere debent. & superpositi denique inuicem erant, siue latus ad latus, vt habet litera, quod alio, & alio viuendi genere & instituto positi, se inuicem superare, contendere debeant. Vnde sexaginta sex thalami ponuntur, qui numerus absolutæ perfectionis symbolum existit, & ex numero triginta tres bis repetito nascitur: quia vndique in Ecclesia sic in perfectione proficientes, sub integra sanctissimæ trinitatis fide ad eam aspirant, & properant.

Matth. 6.

Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum, idcirco latius erat templum in superioribus, & sic de inferioribus ascendebatur ad superiora, & in medium.

ASCENSVS ad thalamos, & ad templi solaria siue cœnacula, aut tabulata describitur. Erat autem cochlea, siue scala in gyrum ascendens statis partibus suas mansiones, siue plateas habens, è quibus & ad thalamos & ad solaria templi diuertebatur. Vbi tria notanda sunt, quòd circulo acti, ad thalamos hos ascendebatur, quoniam humilitate in vita Christiana proficitur. hâc ille solum exercet, qui quocunque se vertat, in se ipsum, indignitatem suam proferens, reflectitur. non enim alta ambiendo vt mundus suadet, sed humiliter de se continue cogitãdo, ad fastigium vitæ ascendit

ascendit,& in suum principium Deum optimum maximum,à quo per creationem exiuit,consideratione reuertitur. Quilibet deinde thalamus quantò altior, tantò latior & spatiosior erat: quoniam cùm murus semper sursum abiens semper magis ac magis stringeretur,ac retraheretur,& quilibet thalamus superior, perpendiculariter emineret inferiori,quantum de retractione muri magis accipiebat, tantum in latius porrigebatur.quod vitæ latitudinem & cordis dilatationem,eorum,qui in virtute progressus aliquos fecerunt,insinuat. iuxta id, quod regius vates dicit: Et ambulabam in latitudine,quia mandata tua exquisiui. tertiò, ascensum hunc ab inferioribus ad superiora, & in medium porrigi dicit, in quo tres tantum thalamos supra se erectos manifestat,ab inferiori per medium ad supremum terminans: vt qui dilatationem charitatis dixerat, spei erectionem in fide sanctissimæ trinitatis innixam,sursum iam protenderet.

Psal. 118.

Et vidi in domo latitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio, & latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum, & erat interior domus in lateribus domus.

ADHVC in thalamis persistens,qui latera templi, siue sancta sanctorum appellantur,reliquam eorum dispositionem subiicit.atqui cum de latitudine dixisset,nûc eorum altitudinem,cæmentorum crassitudinem,simul & parietis ambientis ipsa latera, hoc est,thalamos,& eorundem situm,describit. Dicit ergo Propheta se altitudinem vidisse, cuius mensuram prætermisit ductor Angelus: Quoniam cùm cæteræ res mensura claudantur,charitatis & amoris diuini,modus,inquit Bernardus,diligendi Deum,sine modo diligere est:ideò amoris Dei sursum eleuantis,eiusque altitudinis mensura non assignatur.Eorum rursus fundamenta latitudinis vnius calami,qui sex cubitis constabat,ponitur:quoniam firma omnino & stabili fide, qua ædificium totum Christianæ vitæ innititur, spes, charitas, & cæteræ virtutes superponuntur.sex enim cubiti calami perfectam & integram, & omni firmitudine cõstantem in viris Ecclesiasticis significat. paries verò his supererectus (qui forinsecus stare dicitur,ad differentiam communis parietis sancta sanctorum, & thalamorum adiacentium) quinque cubitorum præscribitur: quòd qui rebus diuinis occupãtur, sensus spiritales pro ipsa consuetudine exercitatos habere debent, ad discretionem boni & mali, vt inquit Paulus.ad domum item internam, id est, sancta sanctorum adiacent,& eam veluti latera cingunt:quoniam ad prælatos Ecclesiæ viros omninò perfectos, eiusdemque custodes, qui diuinis ministeriis & verbo Dei inuulgando præfecti sunt,accurrere debent,à quibus ampliorem instructionem,& pleniorẽ perfectionem accipiant: cum quibus sua ministeria conferant, ne frustra currant, aut cucurrerint. Vt fecit beatus Paulus conferens Euangelium,quod prædicauerat,cum Apostolis in Hierusalem.

Bernardus tractatu de diligendo Deo.ca. 2.

Hebr. 5.

Gal. 2.

Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus vndique, & ostium lateris ad orationem ostium vnum ad viam Aquilonis, & ostium vnum ad viam Australem, & latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu.

QVÆ latera suprà appellauit,iam exponendo, gazophylacia appellat, siue cellas sacerdotum, & spatiorum latitudinem ante ostia viginti cubitorum significat. quoniam habitantium tanta patere debet charitas erga proximos, vt in obseruantia decem præceptorum Dei,tam in prosperis, quàm in aduersis æquanimes inueniri oporteat. Qua autem re exercenda sit eorum charitas explicans, ostium thalami ad orationem deseruire dicit. Debent autem sacerdotes ex officio pro his orare, qui feruide & prima nauigatione Christianam vitam transigunt: qui per ventum Austrum calidum significantur. Et pro his etiam, qui frigide & secunda nauigatione, non solùm tribulis calamitatum, & adminiculorum vitæ, sed & peccatorum pressi sunt: qui Aquilone vento infesto, denotantur. Vnde ostia duo ad orationem, siue ad restrictionem, vt alij transferunt, thalami habebant,habitum orantis ex ipsa loci dispositione insinuantes. Et versus Aquilonem,

& Austrum tantùm disposita erant. quia Orientali porta ad templum ingrediebatur. Occidentalis autem non meminit, quòd eorum sit, qui in inferni morte torquẽtur, aut ad eam sunt destinati. De quibus dicit beatus Ioannes: Est peccatũ ad mortem, non pro eo dico, vt oret quis. quoniam lethale peccatum pœnitentia & non oratione, sicut veniale deletur: vel dic cum beato Ambrosio, quòd pro aliquo peccatore ad mortem proscripto, vt ad cor pœnitens redeat, non cuiusuis, sed strenui, & magnæ sanctitatis viri, aut prælati oratio requiritur. Prætereà, cum interclusum spatium omne, inter domum, id est, sancta sanctorum & thalamos, viginti cubitorum signauerit: nunc quod cuilibet thalamo ante ostium responderet signans, quinque cubitorum esse dicit. in quo habitus orantis, quem omnes quinque sensus intus ad mentem collectos, habere oporteat, planè significatur.

Ambr. de pœnitentia cap. 3.

Et ædificium quod erat separatum versúmque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum; paries autem ædificij quinque cubitorum per circuitum longitudo eius quinquaginta cubitorum.

PERACTA mensura thalamorum ad templi descriptionem redit: dicitq́; templum à parte superiori, qua solarium & tabulatum erat veluti separatũ, septuaginta cubitorum esse, situm versus Occidẽtem, quoniam, qui eo loco cõmorabantur, veluti solitarij in oratione, & vsu pœnitentiæ positi; excellentius eam exercere debeát in Ecclesia, pro se & pro populis sibi commissis, qui fluctibus sæculi periclitantur: neque hoc, aut illo vitę statu, sed toto huius lucis tempore. hoc enim significat septuaginta cubitorum latitudo, quia septimana totum tempus continetur, & latitudo charitatis in prælatis, quibus cura hæc imminet, sic extendi debet. Paries autem huius partis superioris, quinque cubitos in crassitie siue latitudine habebat. vt enim ædificium parietibus sustentatur, sic vitæ integritas & perfectio patiẽtia nutritur, & roboratur; quę sensibus spiritalibus fulcitur: vnde quinque cubitorum paries ponitur. longitudo autem eius vsque ad domum mutatoriam vestium, quam sacristiam vocamus; quæ in parte inferiori templi erat, porrigebatur nonaginta cubitos in longitudine habens: quoniam operosa charitas, donec inter Angelos coronata perficiatur, produci & extendi tota vita debet: qui nonaginta nouem oues sunt, quæ non perierunt.

Luc. 15.

Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, & quod separatum erat ædificium, & parietes eius longitudinis centum cubitorum. latitudo autem ante faciem domus, & eius quod erat separatum contra Orientem, centum cubitorum.

METITVR hìc iam templum à parte inferiori, & longitudinis inuenitur centum cubitorum. Et mensus est solarium centum item cubitorum in longitudine: & latitudinem spatij separati ante solarium centum item cubitorum: in quo ternario numero, decem decadarum, absolutio vitæ sub fide sanctissimæ trinitatis, sub cuius articuli protestatione, integram omnium articulorum fidem intelligit, vt sub ternario numero, musica concinna cogitationum, verborum & operum, in Euangelio Dei, præfigurabatur.

Et mensus est longitudinem ædificij contra faciem eius quod erat separatum ad dorsum ethecas ex vtraque parte centum cubitorum, & templum interius, & vestibula atrij, limina & fenestras obliquas, ethecas in circuitu per tres partes contra vniuscuiusque limen, stratúmque ligno per gyrum in circuitu. terra autem vsque ad fenestras, & fenestræ clausæ super ostia, & vsque ad domum interiorem, & forinsecus, & omnem parietem in circuitu intrinsecus, & forinsecus ad mensuram.

LONGITVDINEM ædificij, quod erat ante separatam extructionem supradictam, centum erat etiam cubitorum, hinc inde suas cellulas habens: & cum eiusdem longitudinis ponit templum interius, non intelligas sancta sanctorum, vt ali-

vt aliqui volunt, ſed templum, vbi erat altare holocauſti quod interius dicitur contra veſtibula, id eſt, porticus, quæ ſimilis longitudinis ponuntur. Recapitulando verò deinceps, ferè omnia repetit quæ dixerat, nonnulla addendo, quæ notatu digna ſunt. & illud in primis, quòd limen ſiue poſtem cellularum, & inferiora forſan totius ædificij, lignis cedrinis ſtrata ſiue incruſtata erant; quoniam ſapientia reuelata, & diſcretio diuinæ legis, quæ arbore illa paradiſi ſcientiæ boni & mali præfigurata fuit, ædificio Chriſtianæ vitæ ſupponi debent, vt firmum, & ſtabile maneat. atque ob id cedro, quæ imputribilis eſt, muniebatur. Notandum etiam, quòd terra vſque ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ ponuntur: quo ſignificat, feneſtras ad terram vſque diſpoſitas per parietes eſſe, quoniam viri quantumuis perfectione potentes, qui per feneſtras inſinuátur, iuxta illud Prophetæ: Qui ſunt hi, qui vt nubes, volant, & quaſi (Eſaiæ 60.) columbæ ad feneſtras ſuas? nunquam humilitatem deſerunt, ſed ſolo & terræ ſemper ſe æquantes, in vita proficiunt. Aut ſi à terra, &c. cum præpoſitione legas: ſenſus erit, quòd omnes Chriſtiani profectus humilitate fulciri debent, vt ad contemplationis aditum perueniant. Erat quippè ſtructura lignorum ſiue tabularum à terra vſque ad feneſtras, vt humilitate tanquam baſi, ita & cæteris virtutibus innixa: quibus tanquam gradibus, ad virtutem contemplatiuam aſcenditur. Quod Iacob Patriarchæ videnti ſcalam, & per eam Angelos aſcendentes & deſcendentes, & Dominum, nempe Ieſum ſupremo gradu innixum, oſtenſum fuit. gradus etenim ſcalæ huius, virtutes ſunt, quarum primus, ipſa fuit Patriarchę humilitas, qui non veſtes, aut ſtramenta camelorum, ſed lapidum cumulum capiti ad dormiẽdum ſuppoſuit. Atque quoniam Dominus Ieſus per omnes virtutis gradus ad cælos aſcendit, innixus ſcalæ viſus eſt, tanquam vltimum gradum faciens. Vnde è mortali hoc (Ioan. 13.) corpore migraturus diſcipulorum pedes lauando, hanc ſcalam, qua ad ipſum tenderent, commendauit: primum gradum humilitatis ſcilicet oculis ſubiiciẽdo. Præterea feneſtræ clauſæ erant, ſiue contectæ, vt alia tranſlatio habet. quoniam integri, & perfecti viri, ſæculi rebus obſtruſos ſenſus habent, qui animi feneſtræ ſunt: ſecundum illud Prophetæ, Intrauit mors per feneſtras. aut ſecundum verſionem aliam, (Hier. 7.) cedro obductæ erant: quoniam immortalium rerum cura, & ſcientia in ſtadio huius vitæ ſolliciti currunt, & cuſtodiuntur, ſicut ab iniuria temporis lignis illis obductis feneſtrę defendebantur. deinde ſubinſert, menſum fuiſſe Angelum ſupra oſtium vſque ad domum interiorem, id eſt, ſancta ſanctorum, & forinſecus, id eſt, ſanctum, & omnes parietes per circuitum intrinſecus, & forinſecus, hoc eſt, tam ſanctuarij, quá ipſius ſancti menſus eſt quantitatem: & nihil immenſuratum reliquit, quòd nihil abſque ratione & ſapientiæ menſura, in Eccleſia ſua Dominus agat: ſicut numero, (Sapient. 11.) pondere, & menſura omnia diſpoſuit.

Et fabrefacti Cherubim, & palmæ, & palma inter Cherub, & Cherub. duaſque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expreſſam per omnem domum in circuitu de terra vſque ad ſuperiora portæ Cherubim, & palmæ cælatæ erãt in pariete templi.

IN more fuit apud Ægyptios rebus pro literis vti: vnde & res pictas, tanquam libros legebant: atque hinc & in templo diſpoſitione dinina, imagines rerum deſcriptæ erant pet parietes per circuitum à ſolo vſque ad ſummum: quæ vitam Chriſtianam adumbrabant. Similiter vt Cherubim inter palmas interſcalariter diſpoſita, quæ hominis Chriſtiani militiam, atque victoriam duplicem merẽtem triumphum ſignificabant. palma etenim ſymbolũ eſt victoriæ, & Cherub magnitudinem ſciẽtiæ ſignificat: Qui cùm duas facies haberet, hominis vnam, verſus vnam palmá, leonis alteram verſus aliam, hominem proculdubio figurauit integrè vitam Chriſtianam agentem, qui ſcientia diuina illuſtratus, miniſterio Cherubim diducta, cõtra viſibiles hoſtes, homines nempe prauos, bellum gerens, victoriam reportare debet. Quapropter, & faciem hominis verſus vnam palmam habere dicitur: & alteram contra hoſtes inuiſibiles, dæmones nempe ſemper aduerſántes, & calumniantes: ad quod magno fidei robore opus eſt. Vnde faciem leonis verſus alteram habe-

Apoc. 5. Ambr. ad virginem lapsam c. 6.

te depingitur. Vicit enim eos Christus Iesus Leo de tribu Iuda, radix Dauid. atque hic mos pingendi in parietibus templorum præcepta vitæ, diu antiquis temporibus viguit: vt testis est diuus Ambrosius, dicens: Nonne pręcepta illa, quę oculis tuis ipse paries inscriptus ingerebat, recordari debuisti?

Limen quadrangulum, & facies sanctuarij aspectum contra aspectum, &c.

VT templum vitam Christianam integram, ita & sanctuarium perfectã obumbrabat: ob quod similem aditum ad hanc & illam Spiritus sanctus describit. quoniam vtriusque vitæ idem fundamentum atque cœmentum est. Dicit ergo templi limen siue postem quadrangularem esse: quoniam quatuor virtutum cardinalium temperantiæ, fortitudinis, iustitiæ. prudentiæ, ædificium omne Christianæ vitæ fulcitur, & sustentatur: quas etiam vita perfecta, vt primam basim requirit, & si proficientium, immediatius eas excipiat. Quapropter facies sanctuarij aspectum contra aspectum esse dicit: id est, eius postes postibus templi omninò similes extitisse.

Altaris lignei trium cubitorum altitudo, longitudo eius duorum cubitorum: & anguli, & longitudo eius, & parietes eius lignei. & loquutus est ad me: Hæc est mensa coram Domino.

DESCRIBIT altare incensi, quod erat in medio sanctuarij è regione portæ, quod trium cubitorum altitudinis ponitur, & duorum longitudinis: quoniam fide sanctissimæ Trinitatis, quæ duobus præceptis charitatis Dei, & proximi dilatatur, huc oblaturus accedens, maximè pollere debet. Quòd autem infert interiecisse de angulis & longitudine, hoc significat: altaris angulos, secundum lõgitudinem sumi absque latitudinis contemplatione: quod quadrangulare & nõ quadratum corpus efficiebat: fuit enim typus Crucis Domini. Vnde altari nunc, in memoriam passionis eius sacrificium Missæ conficitur. Ob quod perfectionem omnem, quã quatuor anguli notant, exhibere debuit, & longitudine constare, quæ crucem in quam tanquam in lectum omni acerbitate dolorum proiectus fuit, effigiaret. Altare autem hoc quia non solidum erat, latera quibus surgebat parietes appellat, & lignea esse dicit, quoniam hîc solum suffitus incensi offerebantur, & thurificationes Deo immortali fiebant. Et quòd immortalitas nobis per crucem Domini donanda erat, quam lignum cedri imputribile significabat: neque erat periculo vstionis, lignum hic expositum; cùm in hoc altari non victimæ, vt in holocaustorum, sed incensum vt dictum est, offerretur. Quod statim Angelus explicans dixit: Hęc est mensa Domini, quoniam altare hoc nostrum figurabat, in quo per sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, mensa fidelibus cunctis præparatur.

Et duo ostia erant in templo, & in sanctuario, & in duobus ostiis ex vtraque parte bina erant ostiola, quæ in se inuicem plicabantur. bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum, & calata erant in ipsis ostiis templi Cherubim, & sculptura palmarum, sicut in parietibus quoque expressa erant. Quamobrem, & grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus super quæ fenestræ obliquæ, & similitudo palmarum, hinc atque inde in humeris vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum.

VOCATIONES equidem, & vitæ officia, ad quæ suos ad Ecclesiam Dominus trahit, varia sunt. ita enim Paulus ait: Et ipse dedit quosdam quidẽ Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consumationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, & rursus: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationũ sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, sicut etiam & in patria, dicente Domino: In domo patris mei mansiones multæ sunt, &c. Vnde cum vtriusque triumphantis & militantis Ecclesiæ ingressus, hic præfiguretur, tam in templo, quàm in sanctuario siue

Ephes. 4. Corin. 12. Ioan. 14.

sancta

ſancta ſanctorum geminæ valuæ ad oſtia occludenda, ſignantur: quæ cùm ambæ plicabantur, totum oſtium manebat clauſum: altera verò aperta, aditus per mediam oſtij partem patebat. Et præterea vnaquæq; valuſa bipartita erat, & altera pars alteri ferro annexa & complicata, vt anguſtior aditus adhuc daretur. Atqui quoniam ſapientia diuini verbi, ad vincendum in Eccleſiam, fideles admittuntur, vt ad triumphos reportandos, cum Angelisque perenniter diuina eſſentia fruendum, qui probati fuerint, eucheuntur: hinc in vtriuſque oſtij valuis palmæ & Cherub, perinde ac in parietibus ſculpta erant. Vnde & trabes oſtium finientes, craſſiores eſſe debuerũt, vt firmitatem debitam oneri ſuſtinendo haberent, & ſpatium ſculpturæ præberent. Nam ſculpturis præhabitis, poſtes & humeralia depicta erant, vt nunc magnorum templorum oſtia, vel ianuæ ſimiliter ornari ſolent. de feneſtris clauſis, ſiue obliquis iam dictum eſt.

CAPVT XLII.

ET eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra ſeparatum ædificium, & contra idem vergentem ad Aquilonem in facie longitudinis centum cubitos oſtij Aquilonis, & latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrij interioris: & contra pauimentum ſtratum lapide atrij exterioris, vbi erat porticus iuncta porticui triplici, & ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora reſpiciens viæ cubiti vnius.

CVM vſque ad ſancta ſanctorum Angelus Prophetam, dimenſiones omnium partium templi oſtendendo, perduxiſſet, Sacerdotum habitationem, vſum ſacrorum, & habitum ſui miniſterij in hoc cap. monſtrat. habitationem igitur oſtendens à penitiori loco, à ſanctuario nempe ad atrium mulierum, in quo mulieres ſeiunctæ a viris ad orandum conueniebant, quod exterius dicebatur reſpectu atrij virorum, quod propius ad ſancta accedebat, vt ſuprà dictum eſt, Prophetam eduxit: vt gazophylacia, ſiue cellas Sacerdotum commonſtraret. de quibus diſſerens, ſitum, rationem ædificij, & quam haberent diſpoſitionem ad incolarum commoditatem, deſcribit. ſitum in parte Aquilonis conſtituit, dum per viam ducentem ad Aquilonem fuiſſe eductum, & in partem atrij Boream reſpicientem conſtitutum ſe docet, ibique in gazophylacium quoddam fuiſſe intromiſſum. Id eſt enim in more poſitum, & debite quidem, vt præfecti communitatis prius cella, aut cubiculum, viſuris demonſtretur, quàm aliorum ratio habeatur. Et in gazophylacium quoddam dicit introductum, cùm omnium gazophylaciorum infrà meminerit: niſi velis dicere gazophylacium pro loco gazophylaciorum poſitum, aut ſingulare pro plurali, quod apud Hebræos frequenter contingit. amplius vt explicatiorem rationem huius loci exhibeat, quos ſuprà menſus fuerat domus parietes, tanquam eius indices commemorat: dicitque contra ædificium ſeparatum, ſiue tabulatum & ædem vergentem ad Aquilonem, quam centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis 40. capite poſuerat, & contra ſpatium illud veſtibuli viginti cubitorum atrij interioris, de quo etiam eodem loco: & ex aduerſo pauimenti atrij exterioris lapide ſtrati, ſitum eſſe gazophylacium hoc, ſiue porticum iunctam triplici porticui, hoc eſt, cellula erat coram cellula, triplicem ordinem cellularum habens. nam duo ordines thalamorum, ſiue cellularum inter atrium mulierum & virorum ſuprà politi fuerunt, ſe mutuo reſpicientes è regione, quarum quælibet ſurſum verſus, tres ordines cellularum habebat. Quibus ſatis oſtendiſſe arbitratur Propheta, ſitum hunc thalamorum contra, ſiue ex aduerſo, hoc eſt, a latere, ni fallor, horum, & tabulati, quod ad Occidens erat, verſus Aquilonem ſitum eſſe. Rurſus commoditatis vitæ gratia deambulatorium coram gazophylaciis ponit, decem cubitorum latitudinis. Vt autem ab ipſo, ad interiora & ſanctuarium migraretur, vnius cubiti latitudinis ſemitam conſtituit. Etenim vita Sacerdotum extra domum decem præceptorum decalogi, omni integritate

in plebis

in plebis exemplum ſpatiari debet. hocque, ſemper præ oculis Dei gloriam & honorem opere ipſo habere; omnium oculis ſubiiciens. quamobrem, & ſemitam anguſtiorem qua ad ſancta pergerent, fidem & intentionem notantem, propoſuit.

Et oſtia eorum ad Aquilonem, vbi erant gazophylacia in ſuperioribus humillima: quia ſupportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & medijs ædificijs. triſtega enim erant, & non habebant columnas ſicut erant columnæ atriorum. Proptereà eminebat de inferioribus, & de medijs à terra cubitis quinquaginta. & peribolus exterior ſecundum gazophylacia quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia. longitudo eius quinquaginta cubitorum, & longitudo ante faciem templi centum cubitorum. & erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori.

AD oſtenſionem ædificij cellularum tranſit, quarum oſtia ad Aquilonem reſpicere dicit. Vnde non oſtium contra oſtium, ſed vnius oſtium à tergo ſequentis cellulæ eſſe, apertè deprehenditur. Et bene, vt locus gazophylaciorum ad Aquilonem, ita & eorum oſtia diſpoſita collocantur. Cùm enim qui ad cælum conſeceſuri ſunt, Chriſti Ieſu vitam, eum ipſius adiutorio pro humana fragilitate debeant imitari, Rom. 8. dicente Paulo: Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij eius, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: huius imaginis, id eſt, vitæ Chriſti veſtigia primùm Sacerdotes, & viri religioſi ſequi debent, vt totius populi duces. Quare in pœnitentia, manſuetudine, humilitate, & patientia totam vitam in aliorum exemplum traducere habent. Vnde & eorum habitatio in Aquilone, a quo aſpera quæque proficiſcuntur, & contra tabulatum & ædem, cæteraque enu- Oſeæ 4. merata, quæ Eccleſiæ multitudinem deſignant, notatur. Et quoniam peccata populi comedunt: poſtquam per orationem, contemplationem, & meditationem ruminando, ea traiicere, & Deo placere debent, oſtia cellarum Aquilonem reſpicientia Spiritus ſanctus diſpoſuit. ſignando autem rationem ædificij, ſuperiora gazophylaciorum, id eſt, manſiones ſuperiores, humiliores dicit medijs & inferioribus: quia vt exponit Richardus, cum habitacula illa ſurſum erecta ad montis rationem ſurgerent, quæ tertio ordine in qualibet cella erigebantur, minus à ſolo montis diſtabant, quàm media & infima partibus depreſſioribus montis innixa. Verùm rectius dictum apparet, humiliora eſſe gazophylacia in ſuperioribus, id eſt, arctiora & anguſtiora, quod minus de muro quo fulciebantur, acciperent. nam neceſſariò à parte interiori ad perpendiculum erigebantur, à parte verò exteriori aliquid de muro abſumebant, & decerpebant, vt recta horum ædificiorum ratio ſeruaretur: quam ſacer textus innuit, quando ait, ſic diſpoſita eſſe, quia ſupportabant porticus quæ ex illis eminebant, & ita de medijs & infimis, vtique aliquid decerpebatur. Deinde triſtega, id eſt, tres manſiones habentia, quas ſingulum gazophylacium habere dicit, & ſuperiorem quinquaginta cubitis a medijs & infimis diſtare, & nullam tandem columnis innixam, quibus atria fulciebantur. Etenim cum vitam ſacerdotum & religioſorum extra cellas & domum ſignaſſet, quam foris agere debuiſſent, habitaculis ipſis notat; oratione namque, meditatione, contemplatione occupari debuiſſent, & vitam etiam incipientium, proficientium & perfectorum tra- Rom. 12. ducere, vt vnicuique è plebe pro menſura ſuæ fidei (vt dicit Paulus) inſtructionem & opem ferre cognouiſſent. Atque hinc ſtrictiori & anguſtiori loco manſiones ſuperiores diſpoſitæ fuerunt. quinquaginta item cubitis à medijs eminebant, quoniam vt anno Iubilei quinquageſimo omnia in lege remittebantur, ita clauibus ordinis, ſacerdotibus conceſſis, pœnitentes a peccatis abſoluũtur: ita vt à culpæ macula, & inferni vinculis omninò mittantur liberi, pro euaſione pœnarum Purgatorij tantùm pœnitentia reſtante. Nullis præterea columnis fulciebantur, inquit Rupertus: quoniam Sacerdotes Eccleſiæ ex gentibus congregatæ portendebant, quæ Patriarchis & Prophetarum oraculis non fuerunt ſuffultę, quemadmodum Iudæi,

coruniq;

eorumque populus. Peribolum siue murum, aut septum quod erat iuxta gazophylacia siue cellas, versus atrium exterius, constitutum fuit quinquaginta cubitorum, quia longitudo cellarum, inquit, erat quinquaginta cubitorum, quasi dicat, pro ratione longitudinis cellarum muri longitudinem protensam fuisse: quia vt in ædificio, ita & in muro ambiente illud, sacerdotes concludebantur, peccata remittere valentes. Qua denique ratione colligit longitudinem ante templum siue aulam centum cubitorum esse: quòd forsan loquitur de muro continuo, muro gazophylaciorum, & non ipsa fulciente, nam aliter ex duplicata longitudine in eodem loco conficere non poteris centum: tu vide. & cùm Septentrionalia essent dicta habitacula, ingressum tamen ab Oriente ex parte inferiori montis, qui versus Occidétem tendebat, habebant, nequaquàm alia parte ingressuris ea ab atrio exteriore aditus patebat, & meritò, quia Septentrionales calamitates, dura quæque & aspera inde emanantia non nisi ab Oriente, & sole iustitiæ, Domino nostro Iesu Christo ex Oriente, atque ope & auxilio ab eo mutuatis, quispiam ferre poterit.

In latitudine periboli atrij, quod erat contra viam Orientalem in faciem ædificij separati: & erant ante ædificium gazophylacia, & via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via Aquilonis: secundum longitudinem eorum, sic & latitudo eorum, et omnis introitus eorum, & similitudines, et ostia eorum secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Austrum: ostium in capite viæ, quæ erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus.

SACERDOTVM munus primùm descripsit, quod onus laborum populi portare est, primosque se pro populi tuitione & defensione inimicis permittere: atque laniare animas volentibus, opponere. Hoc enim gazophylacia versus Septentrionem posita significabant. posterius est, potestate clauium in ordinatione accepta, peccata remittere, solemq; iustitiæ Iesum Christum Dominum per gratiæ infusionem exoriri facere, in cordibus pœnitentiam, suaque peccata debite confitétium. Quapropter versus Orientem è regione ædificij separati, de quo dictum est, consimiliter gazophylacia disposita collocantur. Erat quippe similis via ante faciem gazophylaciorum, hoc est, simile spatium deambulatorium, & similis ingressus ad interiora, qui in Aquilonaribus fuit signatus. longitudinem etiam & latitudinem, & reliquam dispositionem, & ordinationem, similem omnino habuerunt gazophylaciis Septentrionalibus: & ostia item eandem plagam respicientia. Contra peccata quidem negotium facessentes, quæ Aquiloni adscribuntur; vt cæteræ calamitates, hic sacerdotes ostenduntur, etsi litera ita ambigua videatur, quòd potius Australibus gazophylaciis ea assimilare videatur. Verùm cùm de illis nunquàm dixerit, rectius arbitrari videntur, qui Aquilonaribus iam descriptis comparata exponunt. Prętereà tertio loco gazophylacia alia cõstituit Meridionalia, versus Notú siue Austrum, quorum ostia versus Orientem, disposita erant, ostium in capite, siue in initio viæ Orientalis, ingredientibus templum patenti, respicientia. Etenim Sacerdotum officium tertium est, sacrificia offerre pro populo, orationibus, & deprecationibus Deum sollicitare, vt sua auxilia, iuuamina, gratias, quibus in vita Christiana promoueantur, impendere dignetur: vt calore, pluuia, & rore venti Noti, corporalis vita vegetatur, nutritur, & augetur. Atqui quoniam ostium illud in via Orientali, Christum Iesum Dominum nostrum significabat, eius potissimum mentio Ioan 6. fit, quia nemo venit ad Patrem, dixit Christus, nisi per me: Et rursus, Ego sum Ioan 11. ostium; per me, si quis introierit, saluabitur, & cætera. Vnde ostium hoc, maximè elaboratum fuisse dicunt Hebræi, atque in pariete eleganti, lapidibus cæsis constanti, locatum. Quamobrem & gazophylaciorum ostia ipsum respiciunt. quòd Sacerdotes, ora, mentes, & animos ad Christum conuersos habere debeant: per cuius merita obnixè & iugiter Deum patrem exorare, propiciumque facere, ex officio conuenit.

Et dixit

Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, et gazophylacia Austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum, ibi ponēt sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto. locus enim sanctus est. Cùm autem ingressi fuerunt sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius, & ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt. vestientur vestimentis aliis, & sic procedent ad populum.

VSVM sacrorum, & habitum sacerdotum ministrantium iam Angelus Prophetæ perstringit. sacraméta enim, & potissimùm Eucharistię in Ecclesia ministrari decet. atque ita constitutum est, nisi ad aliud necessitas coëgerit. Quod Dominus hoc loco significans, simul & reuerentiam, qua ad Missæ sacrosanctæ mysterium celebrādum accedere oporteat, & eo peracto, vt in Ecclesia deuotè permanere debeant, tāti beneficij gratias, Domino in pectore & stomacho sacramentaliter commoranti, toto corde agentes: Gazóphylacia Septentrionalia, & Australia esui & repositioni carnium & aliarum rerum, quæ Deo in sacrificium offerebantur, deputat. Ob quod sancta, id est, sanctificatis dicata, appellat. aliò enim efferri sic oblata minimè licebat. Quando verò sacerdotes sanctuarium ingressi fuerant, officio suo perfuncturi, nullatenus inde egrediebantur ad atrium exterius virorum nempe: vt nec locus secularibus expositus, nec eorum communicatio à debita attentione, & deuotione, qua sacra peragenda sunt, mentem distraherent, sed peractis officijs præfata gazophylacia adibant; vbi vestes sacras, aut cultui diuino dicatas exuebant. quibus locis tanquam in repositoriis quibusdam seruabantur; & vestibus quotidianis induti, ad populi communicationem accedebant: nam vestes eorum in communi frequentia contingere licebat. in quo sanè docemur vestes officio diuino soluendo debitas, vt superpellicia: & si non in vestuario, vt sacræ aliæ vestes referuentur, tamen cum ipsis nullam profanam, aut secularem communicationem habere: sed recta via cum omni decentia domos adire, ab ipsisq; ad Ecclesiam redire; quandoquidem domos, aut cellas intra templum, vt eo tempore, non habemus, vbi relinquatur.

Cumq́ue complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam Orientalem. & mensus est eam vndique per circuitum. mensus est autem contra ventum Orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum: & ad ventum Australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum: & ad ventum Occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. per quatuor ventos mensus est murum eius vndique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem, quingentorum cubitorum: & murus diuidit inter sanctuarium & vulgi locum.

COMPLETA mensura sanctuarij, siue sancta sanctorum, quæ domus interior appellatur, per viam quæ ducebat ad Orientem, adductus est Propheta ab Angelo, in portaq́ue Orientali est constitutus. & bene, quia Spiritus sancti illustratione, ad portam Orientalem, quæ Christum figurabat, agebatur, per viam Orientis ductus
Ioan. 15. est. Spiritus quippe sancti gratia, via est quæ ducit ad Christum, vt idem Dominus testatus est: Ille testimonium perhibebit de me, quia de meo accipiet. Constitutus igitur Propheta in Orientali porta, veluti epilogando mensuras, quas fecerat, & nō nihil addendo videt Angelum mensurantem, & mensus est eam, id est, aulam siue templum ipsum interius. Nam proculdubio aberrasse videntur, qui exponunt, murum externum, qui totum montem cingebat, mensurari: sed solùm internum, qui templum & domum interiorem ambiebat, metiri intellige. quod hinc clarè colligitur, quòd murus exterius circulariter ducebatur, hic autem in quadro positus est: vt ex mensuris laterum, quatuor, quingentis calamis mensuræ sacræ deputatis, singulum

g[illegible]dum lat[illegible]nstans. Item quod latitudinem quingentorum [illegible]amorum itidem ponit [illegible] ad [illegible] quod primo [illegible] ne[illegible]quam conu[illegible] potest.& tandem quoniam [illegible] sanctuarium a vulgi [illegible]co di[illegible]idebatur, vt [illegible]c dicitur. L[illegible]m a[illegible] v[illegible] paulo superi[illegible]s atri[illegible] vi[illegible]rum appellauit. Est igitur perspicua veritas, mur[illegible] mensiones rememorati. Quę omnia Christi Ecclesiam aptissime [illegible]b[illegible] ea cre[illegible] omn[illegible]s m[illegible],& a[illegible] vi[illegible]is reper[illegible]tur,& nu[illegible]la tenus [illegible] quod [illegible]gura quadrata iure optimo gaudet: quam apprime in sacerdot[illegible]us D[illegible] desiderat. quapropter [illegible] mo[illegible]o, [illegible] ipsos [illegible]icauit, hæc figura de[illegible] Eua[illegible] Christi Iesu, totius[illegible] Chr[illegible]ianę religionis a Christ[illegible] Domino positi custodes, vt in mu[illegible]imen, & defensionem sanctua[illegible], murus hi[illegible] positus e[illegible]t. At[illegible] quoniam [illegible] angelo[illegible]m [illegible] of[illegible] funguntur, quad[illegible]t etiam, quod Carthusianus dicit, murum hunc custodi[illegible] excellentem angelorum [illegible]asse.& item quod d[illegible] Rupert[illegible]s, [illegible] ang[illegible], quod post Chr[illegible] a[illegible]ce[illegible]nem, per quatuor o[illegible]is partes lon[illegible]e [illegible] est. nā [illegible] sacerdotes maiores e[illegible], [illegible] concili[illegible], & po[illegible]bus, Eccl[illegible]am Cat[illegible]cam in officio inte[illegible] reli[illegible]nis retinent. vnde conuenien[illegible] tor[illegible]m calan[illegible]rum, qu[illegible] d[illegible] pon[illegible]tur. quo[illegible] numerus rem[illegible] pecc[illegible] in [illegible] putatus in [illegible], non solum per quinquagesimum Iubilei annū, (vt in l[illegible]ge est scriptum) sed [illegible]uud in Euāgelio etiam, vt Rupertus inquit. Nam [illegible] quinquagenta d[illegible] na[illegible]rum remissionem peccatorum parabol[illegible] Phari[illegible]o significauit. Lucæ 7.

CAPVT XLIII.

E[illegible]xit me ad portam, quæ respiciebat ad viam Orientalem. & ecce gl[illegible]ria Dei [illegible]aël ingrediebatur per viam Orientalem. et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à maiestate eius. & vidi vi[illegible]onem secundum sp[illegible]ciem, quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem. & [illegible] s[illegible] undum aspectum, quem vid[illegible]ram, iuxta fluuium Ch[illegible]bar, & cecidi super faciem meam.

COMPLETA templi commensuratione, ei[illegible]s vsum explicat, atq; sub eius typo altarisq; consecratione & ministerio, Ecclesiam præfigurat. Primùm igitur Ecclesiam [illegible] perpetuam habitationem à Iesu Christo Domino nostro electā esse videt: ad quod apte a[illegible] portam orientalem ductus est, imò ad eā, ductu angeli latera muri prędicti metientis, reuersus. vbi constitutus per viam orientalem, vid[illegible]t gloriam Dei per ea[illegible] port[illegible]m ingredie[illegible]tem: id est, vidit quid insigne & magnificum, gl[illegible]riā Dei id est, Christum verum Deum, & hominem referens: quem gloriam Dei ap[illegible] ex [illegible] fe[illegible]at primùm ex [illegible]s sacrosancta prædicatione instar aqua[illegible]m [illegible]m, per orbem resonante. & ex illustratione terræ, id est, hominum perpetu[illegible] nocte tenebratum, & cœcitate ignorantiæ laboranti[illegible]m. ita enim dixit Scriptu[illegible]a Habitā[illegible]bus in regione vmbrę mortis, lux orta est eis, deinde verò ex spectris i[illegible]bus facta est visio: nam simi[illegible]a fuerunt [illegible], [illegible]æ vid[illegible]rat, [illegible] ci[illegible]tatem per[illegible]us ad[illegible], sub specie ignis cap. 10. [illegible] Deum præsentem e[illegible]tur iustitiam suam exequentem. & eadem etiam apparuerunt, quæ viderat iuxta fluui[illegible] Chobar, spec[illegible] nempe homi[illegible], leon[illegible]s, &c. quæ Christi hu[illegible]nitatē portendebant. Quapropter ad tantum rei spectaculum, Deum hominem ostensione prophet[illegible]a vi[illegible]ndo, st[illegible]pefactu[illegible] in faciem [illegible]m cecidit. Quod antea no[illegible] [illegible]ecerat, inquit Rupertus, quoniam hominem in vna, in altera Deum viderat separatim: v[illegible] Deum hom[illegible] hypostatice [illegible]m, præ rei ad[illegible]ione, e[illegible] proprio statu cecid[illegible]t, nec se cont[illegible]aluit. mysteria enim diuina tunc ordinate edocen[illegible]r, [illegible] a mi[illegible]or[illegible]s ad maiora procedi[illegible]r, secundum i[illegible]ud Pau[illegible]: Tanq[illegible] patuu[illegible] vobis pot[illegible] d[illegible], no[illegible] solidum c[illegible]um, quia non potestis portare modò. vnde ab hum[illegible]nitate ad [illegible]rarem Christi, visio pro[illegible]hetica procu[illegible]t. 1. ad Cor. 3.

Et maiestas Domini ingr[illegible]a est templum per viam portæ quæ r[illegible] ad Orientem, & ele[illegible] auit [illegible] intro[illegible] in atrium interius, & [illegible] [illegible]ta erat gl[illegible]ria Domini d[illegible]us.

DESCRIPTA [illegible] magnitudine visionis, qualiter Propheta [illegible] Domini [illegible] pienda præparatus fuerit, indicat. Dicit ergo ad ingressum [illegible] Domini [illegible], templum [illegible] vti [illegible] tur, vt quid in Ecclesia sua facturus sit, [illegible] ed [illegible] tum, id est, supra pedes suos constitutum, corroboratum & [illegible] minis prophetici altius a terrestribus abductum. rursusq; in atrium exter[illegible], locum sacerdotum [illegible] & ipse sacerdos [illegible] introductum fuisse, [illegible] nim non nisi sanctitati deputatis, & in loco [illegible] suum solean [illegible] re officium, edocenda, atq; tractanda [illegible] Dominum per [illegible] suum, ipsum alioqui intelligamus, domum repletam in ipso ingressu gloria [illegible] & vt Dominum præsentem [illegible], [illegible] gloriam Domini [illegible] ingressam, quod in ipso capitis initio dixisset, repetit. vel fortasse quod [illegible] baton inte[illegible] autem sensibile, quo domus [illegible] præsentia [illegible]

Exod. 19. Exod. 13. Esai. 6. Act. 1. Domini implebatur, vapor aut fumus erat, quo vt nube [illegible] legem Dominus descendit. Et quo populum suum contra Ægyptios ductauit: & per [illegible] suam templo præsentiam exhibuit: Et quo tandem post gloriosam resurrectionem [illegible] suam, cœlos ascendit [illegible] esse persuadeo.

* *Et audiui loquentem ad me de domo, et vir qui stabat iuxta me, dixit ad me: Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël in æternum. & non pollvent vltra [illegible] Israel nomen sanctum meum ipsi, & reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, & in excelsis. qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos & murus erat inter me & eos, et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerũt, propter quod consumpsi eos in ira mea. Nunc ergo repellam procul fornicationem suam et ruinam regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper.*

EXPLICAT iam Propheta, quid e gloria Domini templũ replente, vbi iam ipse constitutus erat, perceperit. Dicit ergo angelum qui Christi Iesu vicem gerebat, ad ipsum in comitatu adhuc angeli, qui templum dimensus fuerat, agentẽ, locutum fuisse: qui duo indicauit, perpetuo vsq; ad finem sæculi Christum in Ecclesia habitaturum, & ab ea idololatriam omnino defecturam. Primum [illegible] typo templi mensurati. Descriptio enim [illegible] templi reædificandi, ædificationem Ecclesiæ proculdubio referebat, quam solii sui locum, & vestigiorum pedum [illegible] mamentum, pronuntiat. Qua ratione eam perpetuo inhabitaturum promittit: sedendo quippe & deambulando eam dumus quælibet [illegible] quas dispositiones, cæteros motus, quos hominis habitatio in terra exercet, insinuat: vt in

Psal. 13 [illegible] omnes hominis actiones intelligẽ [illegible] per [illegible] vatem, dicendo: Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Quibus [illegible] incarnatio aperte ostenditur. Habitator siquidem inter homines [illegible], & [illegible] eius prudentia nunc sedendo, hoc est, docendo: nunc pedum motibus [illegible] id

Act. 19. est, benefaciendo pertransiens obfirmatur. Deinde ex[illegible] omnino ido[illegible] Ecclesia, in quam populus ille tam importune ceciderat, prædicit. Non enim [illegible] vulgus [illegible] media plebe nomen & celebrem Domini famã id[illegible], & [illegible] [illegible] spiritalibus contaminarunt, ludibrioque gentibus dederunt. [illegible] & p[illegible] idem c[illegible] miserunt, suaq; auctoritate [illegible] marunt hoc autem exequenti [illegible] id est, cadaueribus regum suorum, & in excelsis, id [illegible] montibus. Constitut[illegible] templo [illegible] idololatriæ habitum est [illegible] montibus, lucos & [illegible] ad [illegible] Deo, con[illegible] uere, quia in hoc gentes [illegible] tabantur, & contra Domini pr[illegible] bant, extra locum ab eo d[illegible] prohibentis. [illegible] per Mo[illegible]

Deut. 12. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo quem [illegible] Dominus [illegible] quomodo autem [illegible] regum [illegible] contra [illegible] c, quod [illegible] sepulchrorum [illegible] contra domum De[illegible] lent [illegible] parietes siue muros [illegible] ret. [illegible]

a [illegible]

ad Amon, & Manassen, qui in hortis suis, templo proximis sepulti fuerunt. Etenim nobilibus in hortis sepeliri mos fuit: vnde & Ioseph, Domino sepeliendo, sepulchrum habebat in horto, in quo nondum quisquam positus fuerat. & item sanctum Dei nomen in abominationibus suis, colendo idola, polluerunt: ob quod dicit Dominus: In ira mea contempsi eos, & perdidi: & statuens fornicationes idololatriæ, & ruinas, id est, sepulturas regum suorum à me repellere, in medio eorum, id est, in Ecclesia inhabitare perpetuò decreui. Verùm circa hæc diligens lector requirere poterit: cùm Deum verum in montibus etiam plures Israelitici colerent, imitantes Iacob, qui in monte Garizim altare Domino erexit. & Abraham, qui ad eundem montem filium ad sacrificandum adduxit: quid excelsa, tanquam idololatriam abominatus est Dominus? & in quo cum etiam offenderunt, iuxta domum Dei sepulchra sua reges constituentes: forsan à primo scrupulo expedieris, & item à secundo, si intentionem & animos sic colentium perpenderis. Transgredi quippe præceptum Dei non erat idola venerari tantùm, sed morem item gentium sequi, quæ Solem, Lunam, & vniuersam militiam cœli adorantes, hoc in montibus efficiebant. Quapropter Iudæi, qui in excelsis suas hostias adolebant, proximè illis accedebant, & superstitiosi habebantur: & contra diuinum præceptum agebant: quo cautum erat (vt suprà allegatum est) constructo iam templo, non alibi sacrificia offerre. vnde meritò tanquam idololatriæ genus, sacris prophetis prædicentibus, à Domino, hoc est exosum. & perinde reges sepulchra sua, iuxta domum Dei collocantes, in hoc grauiter offendere videbantur: quòd diuinos honores post mortem ambire notarentur, & æquali cum Deo gloria apud homines gaudere: vltra hoc, quod contra morem & præceptum de humandis corporibus in agris extra ciuitatem agerent. Nunc autem vbi idololatriæ periculum omne cessauit, & in Ecclesiis Ecclesiastico iure & corpora humantur, & regum, atque maiorum condita cadauera, in suis sepulchris reponuntur. & hoc ampliùs hic nos docet Dominus, tanquam idololatriam odire, æqualiter corpori, aut rei cuipiam eius ministrę, amorem impendere, ac ipsimet Deo. Est enim Deus zelotes, & nullum consortium amoris æqualitate admittit: sed grauiter offenditur vt proximatione, & veluti æquatione in loco suorum sepulchrorum Domino, exacerbatus fuit.

4. Reg. 21. Ioan. 19. Deuter. 12. Genes. 35. Gen. ca. 23. Exod. 20.

Tu autem fili hominis, ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt, figuram domus & fabricæ eius exitus & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa præcepta eius, cunctumq; ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiant omnes descriptiones eius, et præcepta illius, et faciant ea. ista est lex domus in summitate montis omnes fines eius, in circuitu sanctum sanctorum est. Hæc est ergo lex domus.

De Ecclesia sub typo templi reædificandi diuinus spiritus vniuersa quæ dicta sunt, intelligenda esse docet. Quapropter hanc ædem & futuram domum suprà descriptam, populo annunciare iubet prophetæ. Hoc autem inquit, vt confundantur ab iniquitatibus suis, & rubore suffundantur eum offendere, qui quos ex merito suo iustè posset perdere, tam amplis beneficiis donet. & metiantur, ait, fabricam, id est, exemplar templi descriptum intelligere nitantur. quasi diceret: veterem hominem exuere oportet, & nouum induere, vt iusta mensura & examine intellectus hæc percipiant. sic enim velamen oculorum aufertur, & gloria Domini audè speculari potest. In quo futurum Ecclesiæ ædificium apertè ostendit: nam templum cùm præ oculis adhuc haberent, eius reædificationem, cum omni sua dispositione, mente concipere, qui eam è sua consideratione deiicere non possent, commendatam intellectus negotiationem non requirebat. Vbi quanta cura, & animi attentione mysteria diuina sint tractanda, disce. & ampliùs rem augendo subdit: & erubescant, &c. id est, si erubuerint, vt habet alia versio. Nam si non ita pudefacti fuerint, vt eorum scelera & flagitia cessent, formam templi & fabricæ dispositionem, portasque & ostia introitus, atque exitus, præceptaque seruiendi

Deo in templo, insuper & ordinem seruandum Leuiticis, & Sacerdotibus, & omnes denique leges, ac ceremonias ostendere, & annunciare inhibet. Quæ si figuram templi solùm rememorarent, in nullo plectebantur, qui id penitus memoria tenebant. Accedit præterea, quòd distinctè, & sigillatim cunctas mensuras illis pœnitentibus describere, & oculis subiicere præcipitur: vt seruent omnem formam, & perscriptionem signatam, præceptaque omnia, & ritus dictæ fabricæ: & faciant ea, atque opere compleant: secundùm quod Dominus præcepit. Dimensiones autem, & commensurationes illis præceptas fuisse, quis dicet? Igitur aperta sententia est, sub figura templi illius, reædificandæ Ecclesiæ ædificium obumbratum omninò fuisse, cuius præcepta & ritus significabantur. facit etiam ad hoc, quòd sequitur hanc esse legem, siue rationem templi extruendi: verticem montis, & omnes terminos eius per circuitum, sacrosancta loca esse, & sancta sanctorum. Constat autem omne quod ambiebat templum, sanctum sanctorum non appellari (vt notat Hieronymus) sed præcipuam eius partem. signum igitur est, non primò hic templum, sed Ecclesiam figurari. & tandem quòd in templo non perpetuo habitauit, nec ab eo idolorum cultura prorsus explosa est: cùm abominatio desolationis, quæ dicta est

Daniel. 9. per Danielem, statuam Iouis ibi constituendo, vt de templo loco hoc exposito pollicitum est.

Istæ autem mensuræ altaris in cubito verißimo, qui habebat cubitum, & palmum: in sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio eius vsq; ad labium eius, & in circuitu palmus vnus, hæc quoq; erat fossa altaris & de sinu terræ vsq; ad crepidinem nouißimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius, & à crepidine minori vsq; ad crepidinem maiorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti vnius. ipse autem Ariel quatuor cubitorum, et ab Ariel vsq; sursum cornua quatuor, & Ariel duodecim cubitorum in longitudine, duodecim cubitos latitudinis quadrangulatum æquis lateribus, & crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis eius, & corona in circuitu eius dimidij cubiti, & sinus eius vnius cubiti per circuitum. gradus autem eius versi ad Orientem.

De altari holocausti quod supererat, hactenus nullum verbum fecerat: ideò eius formam iam depingit: prius tamen mensura explicata, quæ erat verissimus cubitus, id est, sacer qui vno palmo, hoc est, quatuor digitis cubitum vulgarem excedebat. si bene ergo altaris figuram mente complexus fueris, inuenies quadrato æqui latero tanquam cemento in terra inniti: & quadrato, etsi multum minori sursum terminari, ita vt sua restringendo latera, in modum fermè pyramidis surgeret. Dicit ergo, sinum, siue altaris fundamentum vno cubito è terra leuari, & cubito etiam superposito ædificio latiùs protendi. atque in hac secunda altaris erectione, in termino eius labrum constituit, per circuitum vnius palmi, id est, quatuor digitorum: vbi à parte interna fossa efficiebatur, victimarum sanguinem, & cineres, in quos resoluebantur, excipiens. quæ linea recta mensura adhibita, duobus cubitis è terra, distabat quos duæ bases fabricatæ efficiebant. Verùm à parte externa mensuram explorando, quatuor cubitis à terra distabat; vno quo prima basis surgebat; & altero quo latiùs extendebatur, & tertio, quo secunda basis superposita eleuabatur: & quarto, quo eius latitudo constabat, & sustentando ædificio latior patebat. Illam mensuram accipit, cum dicit: à sinu terræ vsque ad crepidinem nouissimam, id est, superiorem, duos cubitos esse: hanc verò, cùm à crepidine minori vsque ad maiorem quatuor esse cubitos. Crepido enim in propria significatione capitur, pro termino & ore planiciei. & altitudinem dicit vnius cubiti, quia hoc, vt dictum est, superiorem constructionem in latitudine superabat. His autem basibus dicto modo dispositis, superpositum erat altare, quod Ariel vocabatur, & leo fortis, (vt interpretatur D. Hieronym.) & fortitudinem item & illuminationem Dei significat. & aptè quidē, quoniam Christum Dominum in altare crucis vincentem,

Apocal. 4. nosq; à tyrannide dæmonis eximentem figurauit. secundum quod dixit B. Ioannes:

Vicit

Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. indeq; fortitudinem contra aëreas potestates, & illuminationem mentis, ad promouendas virtutes & vitia conculcanda accipimus. Hoc igitur altare quatuor cubitis proportionabiliter restrictū surgebat: quatuor cornibus à parte infima vsq; ad sursum erectum. itaque quadratum erat, æquis lateribus constans, tribus nempe cubitis vnumquodq;, qui duodecim in latitudine, & totidem in longitudine conficiebant; absolutissimam Christi perfectionem, tam in eius diuina vita, quàm sacrosancta in ara crucis oblatione, in nostrorum peccatorum expiationem planè exprimens. Deinde crepidinē eius quatuordecim cubitorum in longitudine, & latitudine ponit: quoniam metiendo altare extrinsecus per oram rostri superadditi in extensionem eiusdem rostri, siue marginis, cuilibet lateri dimidiū accrescebat cubiti: atq; hinc quatuordecim cubitorum tota mensura, tam secundum latum, quàm longum conficiebatur, & corona in circuitu eius dimidij cubiti. clausuram sanè, & finitionem altaris significans, quę dimidium cubitū super altaris superficiem erigebatur. Corona autem illa siue crepido claudens ædificium altaris è concauo, veluti corona siue crepido, è sinu eminentiam, siue quid altū pendens habuit cubiti vnius, vt modò è zimboriis in racemorum modum aurea quædam pendere vides. gradus autem per quos ascendebatur versus Orientem dispositi erant: quoniā ascensuri altare Domini ad Missam celebrandam in nomine Christi, qui verum Oriens est, & Sol iustitiæ, eiusq; auxilio muniti accedere habent. Verùm attende hic, quòd cum altare hoc non solùm crucem, in qua Christus salus mundi immolandus erat, perfectissimum Deo patri sacrificiū, quod figura quadrata exhibet, sed ipsam Ecclesiam corpus Christi mysticum referret, sic in modū pyramidis, per tres gradus se coangustando erigebatur. continuè enim vitam Christianam exercentibus, maior ac maior virtutis accretio fit: vt quæ dexterè cœperūt, laudabiliter perficiant, & fœliciter tandem ad perfectionem contendant, strictiùs adhuc, & arctiùs in vitę Christianę institutis animosè progredientes, & quia sic vitam agendo coronę gloriam fideles promerentur, etiā corona finiebatur, & pendulū id è sinu habebat, antesignanum militem, qui præmium suum reportet, significans.

Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris in quacunq; die fuerit fabricatum, vt offeratur super illud holocaustum, & effendatur sanguis: & dabis Sacerdotibus & Leuiticis, qui sunt de semine Sadoch, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus: vt offerant vitulum de armento pro peccato. & assumens de sanguine eius, pones super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu, & mundabis illud & expiabis, & tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato, & combures eum in separato loco domus extra sanctuarium, & in die secundo offeres hircum caprearum immaculatum pro peccato, et expiabunt altare, sicut expiauerunt in vitulo. Cumq; compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos in holocaustum Domino: septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatum offerent, septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud, & implebunt manum eius. Expletis autem septem diebus in die octaua, & vltrà facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

FABRICATO altari, eius consecrationis ritū docet: quæ Deo enim seruire debent, à fæce seculi & prophanis vsibus purgari oportet: ipsę etiam res materiales, quanto magis spiritales & animę fidelium, quę in templa Domino inhabitanda destinatę sunt. Ita quippe ait Paulus: Tēplum Dei sanctum est, quod estis vos. & rursus: ad Cor. 3.
Nónne templum Dei estis? & spiritus sanctus habitat in vobis. Iubetur ergo Propheta, annunciare populo templi reædificandi post captiuitatē consecrationem, &

dedicationem, quæ per oblationem vituli ſacerdotũ miniſterio de genere Sadoch & eiuſdem cremationem, & ſanctuarium, id eſt, atrium illud, quod ſic ſanctificabatur, & extra templum, in loco ad id deputato, vt in Leuitico legitur; & per immolationem deinde hirci ſimili modo: & tandem per hirci & arietis mactationem, quę omnia ſeptem diebus ordine poſito facienda præcipiuntur. & ſic templi conſecratio, ait, finietur. Quo tempore elapſo ſacrificia pacifica, id eſt, in gratiarum actionẽ offerent ſacerdotes, vt libro Leuitici diſpoſitum eſt. ſub typo autem conſecrationis illius templi proculdubiò Spiritus ſanctus, conſecrationem Eccleſię per effuſionẽ ſanguinis Chriſti in cruce ſignificauit. Vnde quoniam vniuerſum genus hominũ redemit, & eius diuinus ſanguis pro pretio omnium effuſus eſt, ſuper quatuor angulos altaris, hoc loco victimæ ſanguis aſpergi diſtringitur: & vituli mactatione, qui laboribus à natura deſtinatus eſt, ſacroſanctum Chriſti Ieſu ſacrificium figuratum fuit: quòd ſummis laboribus noſtram redemptionem operatus ſit. Deinde hircus offertur, quoniam peccatorum noſtrorum onere preſſus, ſufficiens æterno Patri pretium contulit. Eſt quidem ex lege hircus peccatorum figura: vnde & eius mactatio ſpeciem pœnitentis apprimè retulit. Deniq; tertio loco idem Chriſti Ieſu ſacrificium immolatione ſimul hirci, & arietis fuit obumbratum, quoniam ſumma fortitudine per arietem deſignata, qui fronte robuſtiſſimus eſt, & pœnitentia pro peccatis noſtris rem noſtram peregit, noſque à diaboli tyrannide, à mortis faucibus, & inferni carcere liberauit. aut hircus diuinæ ſapientiæ altitudinem in Chriſto ſignificet, quia verus Deus exiſtens, pro nobis omnibus non dedignatus eſt mori. Animal ſiquidem eſt, vt inquit beatus Hieronymus, ad excelſa ſemper feſtinans, & nihil periculi in præcipitio ſuſtinens, & ibi inuenit viam, vbi cæteris animantibus interitus eſt. & Græco ſermone (ait idem ſanctus) grex caprarum, ſublimium conuerſatio dicitur, hoc enim ſonat αἰπόλιον. Sic igitur Chriſtus Ieſus ſuam dedicauit, & conſecrauit Eccleſiam. atqui quòd ſacerdotes in ſacroſancto ſacrificio Miſſæ, hoſtia incruenta, eundem Dominum ſacrificaturi erant, Sadoch filij hîc nominantur, quod iuſtus ſonat. Iuſtus enim eſſe debet, qui ad altare Domini, ipſummet oblaturus accedit. & quoniam huius eſt, legem Domini populum docere, & explicatam tradere, iuxta præceptionem legis, ſalem figuratiuo illo ſacrificio apponere

Deuter. 17. Malach. 2. iubebantur: quod lex & Prophetæ ſapore Euangelij (inquit Hieronymus) condiendi erant. Rurſus dicitur, quòd poſtquam altare mundauerint, implebunt manus ſuas, bonis ſcilicet operibus pro Domini gloria in templo exercitis. Vel tunc proſpere, ad quæ manus ſuas ſacerdotes admouerint, in ſuo officio ſuccedent, &

Pſalm. 128. peccatoribus & Deo inobedientibus ſiniſtrè, iuxta illud regij vatis: Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit: de quo non implebunt manus ſuas, qui manipulos colligent. Similiter etiam, vt de conſecratione Eccleſiæ, de vniuſcuiuſque animæ fidelis dedicatione per pœnitentiam, quæ in templum Domini delecta eſt, hic prænuntiatur. Intereſt quidem primùm per fidem in remiſſionem propriorum peccatorũ, Chriſti Ieſu paſſionem & mortem æterno Patri offerre. quod vituli mactatione ſignificatur. Deinde dolorem & contritionem peccatorum, quibus Dei maieſtatem offenderit, acriter accipere: quod hirci immolatione inſinuatur. & deniq; opera pœnalia pro pœnis reſiduis remiſſionem peccatorum ſoluendis in ſatisfactionem, vt Purgatorij ſatiſpaſſio euadatur, & à malo in poſterum pœnitentes, cohibeantur, accipere animoſe. quod hirci & arietis iuncta immolatione notabatur. Et poteris etiam animalia hæc ad peccata mentis, oris, & operis, quibus vniuerſum genus humanum ſubiacet, & pro quibus ſacrificium Domini in cruce oblatum eſt, & pro quorum remiſſione quilibet ſollicitus eſſe debet, vt vult Hieronymus, referre. ita vt aries cogitationem referat, primam peccati radicem: hircus ſermonem, quo delinquitur, quia is alta diſputat: vitulus verò opera praua, quoniam vomeri, labori, & operibus mancipatus eſt. ſeptem autem dies durat expiatio dedicationis, quod integre & perfectè fieri debet, quod numerus ſeptenarius denotat. & quia tota vita conſecratio templi ſpiritualis, animæ nempe fidelis fieri debet, vt octaua die, quæ vitæ cœleſtis æternitas eſt, gratiarum actio in perpetuum, diuitiis gloriæ fruendo, ſemper celebretur.

CAPVT XLIIII.


T conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam. eritq; clausa principi. princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur. & adduxit me per viam aquilonis portæ in conspectu domus, & vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini, & cecidi in faciem meam.

MINISTERIVM Sacerdotum, leges & cæremonias quas obseruaturi erant templo reædificato, traditurus Dominus, & principis solennem ingressum in templum, & remissionem afflictionum, quibus tenebantur, præmittit. Spiritu igitur ductus est ab angelo illo, qui vicem Domini gerebat extra templum, & in via portæ Orientalis positus: porta autem clausa reperta, dixit illi angelus, qui Domini personam induerat: clausam permansuram, principi Israël tantum aditú datutam, quòd per eam Dominus Deus Israël ingressus esset. Ampliusq́ue dignitatem ducis exprimendo, in ea sessurum, panesq́ue propositionis, aut sacrificiorum partes, quæ sibi obtingerent, manducaturum: & rursus per viam portæ vestibuli, quæ huic seruiebat, Dei domum ingressurum & egressurum, declarat. Et bene in porta Orientali hæc præmonstrantur, quoniam cùm visitationem Ecclesiæ, per verbi diuini incarnationem porta hæc figuraret, ab orienti eius ingressus signandus erat: ob quod & clausa fuit inuenta. Atqui, quod dux & princeps populi Christum Dominum significaret, eius maiestati & dignitati porta hæc deputabatur, vbi sessurum dicit, atque panem manducaturum, quia in Bethleem domo panis, ex vtero virginis proditurus erat, nostramq́ue lucem homo factus experturus. vnde aptissime Rupertus Abbas, vitiq́ue alij sacri, claustra virginalia beatissimæ virginis in ingressu, atque egressu Domini Iesu ex eius fœlicissimo vtero, per portam hanc clausam intellexerunt. Imò & Rabini Hebræorum simul in hac expositione consentiunt, dicentes: ter in hac prima periodo ianuam clausam repeti, quia beatissima Maria Christi mater virgo ante partum & in partu & post partum permansura erat. Et rogatus Rabi Iuda quare non venit Messias? Respondit: Ecce in hoc tempore dies propitiationis est, & constupratæ quot virgines in Nehardaa, id est, in flumine conscientiæ. manifestè insinuans causam, ob quam Messias sui aduentus tempus non accelerauerit, fuisse corruptionem conscientiarum virginum Iudaicarum: quæ omnes ferè vel per coniuges, vel per alios deflorari cupiebant. vnde quoniam sola beatissima virgo inter omnes virginitatem perpetuò seruaturam proposuit, (vt ipsa angelo respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? id est, non cognoscam, præsens pro futuro more Hebræorum) Christum Dei filium in suo sacratissimo vtero concipere & portare meruit. Atque hinc per viam vestibuli, per quam rex ingredietur, & egredietur, aptè intelliges fidem diuinam virginis, per quam gratia Spiritus sancti operante, eius sacrosanctum vterum filius Dei ingressus est: & per eandem viam, ait, non iam vestibuli portæ, sed per viam eius egredietur, id est, per integra virginalia, vera de carne caro, verus de matre homo nascetur. Deinde adductus Propheta ad portam Aquilonarem, gloriam Domini templum, siue domum Dei implentem vidit. & conuenienter quidem, qui viderat ante in porta Orientali misericordiam Dei in populum propensam, in porta iam aquilonari, (in qua omne malum tam culpæ quàm pœnæ significatur: quoniam vt infectus aër corporibus, ita animabus noxius & pestilens spiritus, nunc vitiis & peccatis homines inescans, nunc vt diuinæ iustitiæ executor eos flagellans, inde nascitur) veniam & captiuitatis inde cessationem, populiq́ue libertatem oculis contemplatur, cùm gloriam Domini domum replentem respicit. in quo Christum Iesum Dominum

Galatinus libro 7. cap. 14.

Luc. 1.

noſtrum in Eccleſia ſua cómorantem;peccataq́; noſtra purgantem & condonantem docemur: Ad hoc enim portam clauſam deſcriptam ingreſſus eſt, & ſua mirabili in mundo conuerſatione, ſuaque item ſacroſancta morte id operatus eſt. Vnde ad tantum rei miraculum præ admiratione, & animi grati reuerentia, in faciem ſuam Propheta cecidit: quòd ſi tantùm reſtaurationem templi materialis videret, non erat quòd ſic ſtupore deiiceretur.

Et dixit ad me Dominus: Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi. omnia quæ ego loquor ad te de vniuerſis cæremoniis domus Domini, & de cunctis legibus eius: & pones cor tuum in viis templi per exitus omnes ſanctuarij, & dices ad exaſperantem me domum Iſraël: Hæc dicit Dominus Deus: ſufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſraël, eò quòd inducitis filios alienos incircunciſos corde, et incircunciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam. & offeretis panes meos adipem, & ſanguinem, & diſſoluiſtis pactum meum in omnibus ſceleribus veſtris, & non ſeruaſtis præcepta ſanctuarij mei, & poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobiſmetipſis.

Commendatio ſanè magnæ attentionis eſt, cor apponere, oculis intueri, auribus audire cæremonias & leges, quas Dominus expreſſurus eſt, ſi de legibus, cęremoniis templi, quas cum lacte ebiberant, tantùm ſermo eſſet: atq; iterum iubere cor ponere in exitus, & introitus viarũ templi, quæ pertinaciter memoriæ adhærebant, niſi quippiam aliud edocere voluiſſet. Quapropter leges & cæremonias Eccleſię, vitamq; ſacerdotum per exitus & introitus viarum templi ſignificatam, proculdubio intendit Dominus per regem vatem cùm dicit, Pſal. 118. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum: vt hinc hæretici externum cultum & cæremonias tollentes compeſcant. animi igitur attentione præmonita; fontẽ ſcelerum, quæ nauſeam Domino excitarunt, prius narrat, quàm leges præſcribat: Ea autem innumerabilia fuerunt ex inordinata vita ſacerdotum emanantia: quapropter eorum indignam ordinationẽ, in legibus Eccleſiaſticis ſeruãdis contumaciã, & ordinantiũ auaritiam taxat, cùm ait: Hæc dices ad domum me exaſperantem: ſufficiant vobis omnia ſcelera veſtra. non enim tantùm Dominus dolet, quòd peccaueris, quantum quòd in peccatis obduratus perſeueres. vnde pœnitentiam exigit de præteritis, vt futura abhorreas: quia odium peccatorum gratum eſt, quod amorem virtutis, humilitatis, manſuetudinis, obedientię & vitę gratificandi Deo ingeneret. quod apprimè in ſacerdotibus obſeruandum eſt: qui cum duces cuſtodiendæ diuinæ voluntatis populo eſſe debeant, iuxta illud Prophetæ: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: quando inordinatè ambulant, prauis ſuis moribus totum populum corrumpunt. Totius ergo populi frugaliorem vitam exoptans dicit: Sufficiant præterita ſcelera veſtra. Ad quod alludens beatus Petrus aiebat, his qui ex ſoluta vita ad Dominum confugerant: ſufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium conſumandam &c. fontem igitur ſcaturientem malorum enarrans, in hoc vno conſtituit, quòd incircunciſi corde & carne ſacerdotio functi fuerint. Admiſerunt enim illi alienigenas ad diuinum miniſterium explendum, quod grauiter Dominum offendit, & ſuæ Eccleſię, quòd indigni ſacerdotes præficiantur, repręhendit. vnde incircunciſos corde & carne coniunxit, vt doceret circunciſionem carnis, cordis ſignaculum fuiſſe, eiuſq́; circunciſionem notare: & vt Eccleſiæ ſtatum præfiguraret, in qua circunciſio carnis antiquanda erat. Circuncifionem tamen cordis ſimul reiecerunt, quam in perpetuum duraturam Dominus amauit, vt eleganter docet Cyprianus. Præmonuit ergo hic circunciſionem hanc in ſacerdotibus, qui integrè eam obſeruare debuiſſent, in præputium creuiſſe: hacq́; indignitate ad ſacroſanctum Miſſę myſterium accedere, vt illi veteres ad oblationem panũ propoſitionis, adipis, & ſanguinis animalium. vnde totũ eorum miniſterium damnans ſubdit: Diſſoluiſtis pactum ſiue fœdus meum in omnibus ſceleribus veſtris. ſed magis ꝓbo,

Malach. 2.

1. Petr. 4.

Cyprianus in ſermone de circunciſione Domini.

vt ad

vt ad Pontifices, & ministros sacrorum ordinum, sit conuersio, & eos reprehendat: quòd pactum & legem in ratione promouendorũ non seruauerint, cùm & indignos initiarent, vt explicat quod sequitur: & non seruastis præcepta sanctuarij mei: secundum quæ ordinandi erant, & ad ministerium diuinum instituendi. Quare eorum auaritiam carpens, subiungit: Et posuistis custodes obseruationum mearum in sanctuario meo, vobismetipsis: hoc est, in commodum, & lucrum vestrum sacerdotes ordinastis, quos custodes in sanctuario suarum obseruationum nominat: quod custodia diuinorum, ceremoniarum obseruatio, religionis integritas, eorum curæ & vigilantiæ demandata sint, vt pro illo legis tempore congruit. & similiter pro Ecclesiæ statu, secundum quod spiritu sancto illustrante, ab ea constitutum est.

Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircuncisus corde, & incircuncisa carne non ingredietur sanctuarium meum: omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israël; sed & Leuitæ, qui longè recesserunt à me in errorẽ filiorum Israël, & errauerunt à me post idóla sua, & portauerunt iniquitatem suam, erunt in sanctuario meo æditui et ianitores portarum domus, et ministri domus. ipsi mactabunt holocausta, & victimas populi, et ipsi stabunt in conspectu eorum, vt ministrent eis. pro eo quòd ministrauerunt illis in conspectu idolorum suorum, & facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis. Idcirco leuaui manum meam super eos, ait Dominus Deus, & portauerunt iniquitatem suam, & non appropinquabunt ad me, vt sacerdotio fungantur mihi, neq; accedent ad omne sanctuarium meum, iuxta sancta sanctorum, sed portabunt confusionem suam, & scelera sua quæ fecerunt, & dabo eos ianitores domus, & in omni ministerio eius, & vniuersis quæ fient in ea.

LEGEM sacerdotum restituendo, quę in posterũ obseruanda sunt, præcipit: & sacerdotibus, qui idóla colendo populum imitati sunt, pœnas admonet. Lex ergo, inquit, sit: quod nullus alienigena in sacerdotẽ ordinetur. Execrata enim sunt Domino illorũ sacerdotum sacrificia, qui corde & carne incircũcisi sunt. id est, qui corde, & opere præputium attrauerunt; tam cordis, quam operis flagitia omnia, & scelera, more gentiũ perpetrantes. Incircuncisio enim carnis ad omne genus peccati extenditur; iuxta illud Moysi: Incircuncisus labiis ego sum. & inobedientes populi aures incircuncisas appellauit. Exod. 6. Hierem. 6. Nullum igitur incircuncisum in sacerdotem illius temporis eligi voluit, quantúuis ex nobilibus esset: hoc enim est, quod explicat subdens: Omnis filius alienus, qui est in medio filiorũ Israël: Quanto ergo magis id, in Ecclesia sua fieri abhorrebit, quã templi ritibus & mensuris figurabat? sed neq; Leuitas, id est, sacerdotes de genere Leui, qui deliquerant, impunitos abire permittit: pro eo quidẽ quòd idôla coluerunt, lasciuiam populi sectantes, quam cohibere debuissent, portauerunt iniquitatẽ suam, præteritum pro futuro, id est, portabunt. Nã ianitores, & domus Dei custodes, quorum interest stare coram populo, vt ei ministrent, holocausta quę attulerint mactando, excoriando, intestina lauando, domum purgando, in custodiis domus Dei assistentes: & populo gratificati fuerint: ad illorũ vota idôlis sacrificando, & ministrando, offendiculum ad eorum augenda scelera apponentes, suam quoq; iniquitatẽ portabunt; quia secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus. Quapropter iureiurando affirmat Dominus, nunquam in domo sua eos sacerdotio functuros. Deuter. 19. Tunc equidẽ leuare manum, in alicuius rei attestationem iuramentum fuit, & adhuc in vsu perseuerat. Itaq; nec sanctuarium, & templi gazophylacia deputata sacerdotibus intrabunt: sed in ingressu ianitorũ officium exercebunt, & custodum domus, populo ingredienti. & ita lex se habuit in Ecclesia, quòd sacerdotes à sua dignitate degenerantes, in populi vilipendium deciderunt: id Domino Iesu Christo ad eos dicente, & locum hunc explicante: Vos estis sal terrę: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi Math. 5. vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus, quod est pro ianitoribus, vt hoc loco exprimitur, haberi.

Sacerdotes

Sacerdotes autem et Leuitæ filij Sadoch, qui custodierunt cæremonias sanctuarij mei, cùm errarent filij Israël à me, ipsi accedent ad me, vt ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo, vt offerant mihi adipem & sanguinem, ait Dominus Deus. ipsi ingredientur sanctuarium meum, & ipsi accedent ad mensam meam, vt ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas.

QVOS Sacerdotes inuenisset, non sequutos populum, idôlis seruiendo, præmio afficit, in suamq; gratiam recipit, eosq; ad templum suum accessuros ordinat, vt ei seruiant, sacerdotaleque impleant ministerium, offerendo adipem & sanguinem, iuxta legis præscripta: & stabunt, ait, in conspectu meo, quod est gratum eorum officium habere. Hic autem sacerdotes nouæ legis præfigurasse non dubites, eorumque officium obumbrasse. vnde filios Sadoch, id est, iusti, eos nominat: præcedentes autem solùm Leuitas, id est, ministrantes: quoniam lex quæ in illis præfigurabatur, Euangelio inseruire debuisset. Cuius promulgatio, explicatio, & cura sacerdotibus maioribus in Ecclesia, id est, Episcopis demandata est: dicente Domino Apostolis: [Marci vltimo.] Ite & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. basis enim Euangelij, fideique Christianæ, lex & Prophetæ existunt: [Lucæ 24.] remittente Domino duos illos discipulos, dubitantes de eius resurrectione, ad psalmos & prophetas, qui hæc oportere Christum pati dixerunt, & ita intrare in gloriam suam. [Lucæ 16.] & rursus diuiti sollicitanti Abraham, vt aliquem mortuorum ad suos fratres mitteret, vt locum eum tormentorum euaderent; vice Domini respondit: Habent Moysen & prophetas, audiant illos. & infra, Quòd si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. & beatus [2. Petr. 1.] Petrus, cùm testimonium Christi præberet, quòd vocem Patris audiuisset testantẽ, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, subdit: Sed habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, donec Lucifer oriatur in cordibus vestris. Sacerdotes ergo Euangelij verè sunt filij Sadoch, [Psalm. 80.] qui iustum sacrificium in sacrificio Missæ quotidie offerunt, adipem & sanguinem, id est, corpus Iesu Christi verum, (quod adipem frumenti appellauit Scriptura) & verum sanguinem agni immaculati, Iesu Christi in calice. sicque accedere ad mensam suam dicit: [1. Petr. 2.] nam ibi corpus & sanguinem Domini sumunt, atque manducant & bibunt. Quare propriæ mensæ nomine altare Domini intellexit, quod mensa illa panum propositionis planè significauit.

Cumque ingredientur portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: neque ascendet super eos quicquam laneum. quando ministrant in portis atrij interioris, & intrinsecus, vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & fœminalia linea erunt in lumbos eorum, & non accingentur in sudore. Cumq; ingredientur atrium exterius ad populum exuent se vestibus suis, in quibus ministrauerant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarij, et vestient se vestibus alijs, & non sanctificabunt populum in vestibus suis: caput autem suum nõ radent, neq; comam nutrient, sed tondentes attondant capita sua.

HABITVM, quem sacerdotes ministraturi Domino gestare debeant, iã docet, cæterasque leges, quas vita sua obseruare velit. Primùm ergo quoniam sacerdotes crucem Domini potissimum gestaturi sunt, & Christum in cruce, cum mysterio referunt, humetos patientiæ, humilitatis, mansuetudinis, obedientiæ ab ipsis exigit. vnde molliciem omnẽ respuendo (quam laneum vestimentum significat) lineis vestimentis quæ laborem notant (per mille etenim tunsiones, & tormenta linum vsui hominibus venit) eos induit. atque in hanc rationem alba, aut talari, toto corpore teguntur, & Dominum nostrum Iesum Christum induunt: iuxta doctrinam Pauli, [ad Roman. 13.] qui in irrisionem ab Herode veste alba donatus fuit. [Lucæ 23.] Lineis item vittis vult caput astringi, quoniam fidei doctrina, obedientiæ & mansuetudinis cinctura, distringi debet, ne proprij & mundi sensus luxuria, diffluat. Debent etiam continentiæ legibus corporis voluptates ablegare, ob quod vsum fœminalium iubet. Quod explicans Dominus Iesus dixit: [Lucæ 12.] Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in ma-

nibus

nibus vel [illegible] & tandem medio [illegible] ore succinctas [illegible] vest[illegible] dif-fluxam, molesto impedimento sint. atq; media parte corporis, [illegible] partes e-m[illegible], iuxta alas aut femoralia, quibus sudor emittitur. [illegible] enim n[illegible]us [illegible] posset absolui. Prohi[illegible] autem his vestibus extra atrium pro-dire ad populum, ne ipsum sanctificent: prophana enim contactu sac[illegible]orum effi-ciebantur sacra. & quod [illegible] est, virum [illegible]dotem à vita secularium [illegible] cupere, quæ vestibus notatur: & insuper spiritalem doctrinam spiritalibus traden-dam, [illegible] Carthusia[illegible], & vulgo [illegible], [illegible]; [illegible] ac[illegible]m modatam: & [illegible] tum natiuum: denique capillorum in sacerdotibus moderatur vt vtrum[illegible] extremum fu[illegible]tes rationis, [illegible] comæ, n[illegible] capit[illegible]n-de[illegible] [illegible] externum, & c[illegible]remon[illegible] signi ficant, quibus vis reli-gionis continetur. Tonsus quandoquidem capite iudex ille Samson, omni[illegible]r-pori[illegible] [illegible]. Quapropter [illegible] caput, id est, cære[illegible]onias [illegible] hæ-reticos apprime taxando prohibet: & super[illegible]itiosos item notando, qui [illegible] re[illegible]i-gionis vim in externo cultu [illegible] ponunt, [illegible] more com[illegible] et Iudic. 16.

Et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium [illegible] vi[illegible]nam & repudiatam non accipient vxores, sed virgines de [illegible] do-mus Israel. [illegible] & viduam quæ fuerit vidua a sacerdote accipient. & po-pulum meum do[illegible]bunt quid [illegible]t inter sanctum & pollutum, & inter mun-dum & immun[illegible]dum ostendent eis. & cum fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt leg[illegible] meas, & præcepta mea in om[illegible]us so-len[illegible]ta[illegible]bus me[illegible] cust[illegible]od[illegible]t, & sab[illegible]athum meum sanc[illegible]cabunt.

LEGES iam statuit, quas sacerdotes obseruare maxime conuenit. A[illegible] temperantia[illegible], ad altare Domini accessuris commendat, quos ieiunos [illegible] Ec-clesia. animum deinde in Deum conuersum habere oportet, qui ad Deum nego-tiandum accedunt; quod in Missę sacrificio intenditur, hoc autē repletio [illegible]pe[illegible]t. Quare vinū sumere inhibuit, eius nomine temperantiam omnem, & a quouis cibo abstinentiam cōmendans. Primò tamen sobrietatem requir[illegible] fornicati[illegible], vi-num, & ebrietas, cor auferunt, dixit Deus. Præterea continentiam exigens a[illegible] cotū vita, viduam repudiatamq; ab alio accipere vet[illegible]t, v[illegible]ores tantū [illegible] p[illegible]itte[illegible]s. Notata quide[illegible] libidine habetur, quæ secundas nuptias amat; vt quę repudiata est, solutioris vitæ se[illegible]atrix. Quā vitæ continentiam commendans B. Pau[illegible]s, Vnius v-xor[illegible] [illegible]m E[illegible]iscopum oportere esse monuit. scientia pollere sacerdotes vult Do-minus: a[illegible] ip[illegible]s namq; spectat, populum docere sanam doctrinam, & e[illegible]ores caue-re: [illegible]od est inter proph[illegible]m & sa[illegible] di[illegible] & [illegible]m & im-mundum, id est, rationem pec[illegible]atorū declarare: vt illo tempore inter mundum ci-bum & i[illegible]mun[illegible]um distan[illegible]am signare. I[illegible]o ad ipsos spe[illegible]t & ad [illegible]iores potis-sim[illegible], quæstiones omnes de fide & re[illegible]one d[illegible]finire. Quapropter in omni con-trouer[illegible]ia, [illegible]usmodi iudices eos constituit, quales in conc[illegible]lis ag[illegible]. & demum vt faciant sa[illegible] D[illegible]ni custodire, in legem [illegible] & quod præcepta Domini ad-implere semper debeant, festis tamen die[illegible]us strictius declarat. quod maxime no-stro te[illegible]pori[illegible] [illegible] est, cum hu[illegible]o [illegible] dieb[illegible] [illegible] omnes, & v[illegible]lupta-tes referu[illegible]ntur. & dum Deum negotiari debuissent, eum effrænatius offendunt, corpo[illegible] potius tota libidine hos dies contaminantes, quos bonis & pijs operibus sanctificare Dominus præcipit. Oseæ 4. Timoth. 3.

Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem & [illegible]atr[illegible]m, & [illegible] fi[illegible]am & [illegible]rem & sororem, quæ alterum virum n[illegible]n [illegible]uerit, in quibus contaminabuntur. & postquam fuerit emunda-tus, [illegible] numerabuntur ei, & in die introitus [illegible]i in sanctuarium ad at[illegible]ium interius vt mi[illegible]rent mihi in sanctuario offeret pro pe[illegible]ato suo, ait Dominus Deus. [illegible]on erit autem eis hæreditas. ego hæ[illegible]tas eo-rum, & po[illegible]nem [illegible] d[illegible]tis eis in Israel. ego enim [illegible] eorum. V[illegible] & pro p[illegible] & p[illegible] d[illegible] ips[illegible] comedent, & omne votum

in [illegible]-

[illegible] pri[illegible] m[illegible] [illegible]erunt, [illegible] erunt; et p[illegible] ve[illegible]orum [illegible] rosis, vt reponat bene[illegible] [illegible] [illegible]um a b[illegible] a de an[illegible]s, & d[illegible] pe[illegible]oribus [illegible] sacerdotes.

Cor [illegible] & p[illegible]um ab omnibus fid[illegible] c[illegible] Dominus, po[illegible] tamen à sacerdoti[illegible]us, qui eius ministerio deputati sunt: vnde & ad [illegible] n[illegible], vt n[illegible] non ta[illegible], [illegible] quos [illegible] c[illegible] vt [illegible], scilicet fratre[illegible] & sorores, etiam officij gratia, [illegible] vt hæreditatem & pos[illegible] propriam non [illegible] [illegible] tandem n[illegible] [illegible] sponte mortuum [illegible]edant. Prima lege id expetit Dominus [illegible] vt a [illegible] eorum, qui [illegible] ad peccatum [illegible],

Math 5 Dominus explicuit, dicens: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & [illegible] te, &c. P[illegible] [illegible], mors [illegible] per p[illegible]

Roman 5. eius ca[illegible] mors in mundum intrauit. Quapropter cum a parente[illegible] fratre[illegible] & so[illegible] [illegible] pollu[illegible], quat[illegible] in dies expendi [illegible]: quibus expletis, hostiam pro suo peccato offerre iubet. Poteris etiam dicere, & fortasse accommodatius, inhibere testamen[illegible] legationes, quas [illegible] sacerdotes à morituris, quibus sacramenta administrauerint. Hoc enim in causa esse potest, vt minus debite sacramenta tra[illegible], & [illegible] diantur, auaritiæ labe contaminati. quod Dominus etiam explicuit, cum [illegible] ti [illegible] patrem, postquam viam Domini ad perfectiorem v[illegible]

Math. 8. denti arripuerat dicendo: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Secunda lege ex[illegible] ne Deo militando, se ne[illegible] secul[illegible] p[illegible], iuxta doctrinam Pau-

2. Timo. 2. li. Hæreditatem habere in Israël, & possessionem eis assignare, etiam popul[illegible] ber[illegible] cum propria [illegible], ita ad se [illegible] rapiunt, quod [illegible]em deprimunt, cor à Deo ablegant, & terrenam inhabitationem plus æquo di[illegible]gere faciunt: & in terrenis sic ambulantes, serpenti, qui terram comedit, facultatem no-

Ambrosius de fuga seculi. cendi præbent, vt inquit D. Ambrosius, & luculentius beatus Paulus, dicendo. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria

1. Timo. 6 multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Sed p[illegible] [illegible], & corporis tegumento [illegible] habebunt, [illegible] populi offerunt, siue sint oblationes ratione primogenitorum, siue frugum [illegible] & pe[illegible] cum libam[illegible] [illegible] sacerdoti[illegible] bro Leuitici latius continetur. Denique tertia lege, a morticinio quouis ab[illegible] vult: quoniam [illegible] peccati mortalis, qui vitam aliorum [illegible], vt [illegible], expertes esse cupit: præcipue tamen public[illegible] quod maximo scandalo popul[illegible] per[illegible] peccati [illegible] omne c[illegible] a bestia, & [illegible] sponte mortuum, aptissime significat; quod [illegible] huiusmodi cor[illegible] soleat de[illegible], & in ma[illegible]sto po[illegible]re. vnde & peccatu[illegible] [illegible] comparatur, quod [illegible] [illegible]leant.

Capvt xlv.

C[illegible]M c[illegible]peritis terram diuidere [illegible] [illegible] separate primitias D[illegible] [illegible]ificatum de terra, lo[illegible] viginti quinque millia & [illegible] [illegible] [illegible]catum erit in omni termino eius per circuitum. [illegible] omni parte [illegible] quingentos per quingentos quadrifariam p[illegible], & [illegible] cubitis in [illegible] urbana eius p[illegible] [illegible] bis [illegible] viginti quinque millium, & latitu[illegible] decem millium [illegible] erit templum sanctum sanctorum: sanctificatum erit de terra [illegible] ministris [illegible] qui accedunt ad ministerium [illegible] erit [illegible], [illegible] [illegible] tatis, v[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]nis erunt Leuitis qui ministrant domui, ip[illegible] [illegible]ebunt [illegible] [illegible].

MINISTERIO Sacerdotum expoſito, vitæ qualitatem ipſorum & ciuium, ſitum habitationis omnium ſignando, explicat: & rurſus adminiſtrationem iuſtitiæ principibus commendat: ſimulque curam placandi Deum per ſacrificia memorat. Eſt quidem prima cura de Dei cultu, & honoratione ſemper habenda: vnde in terræ partitione, partem in medio eius tanquam primitias vult, vbi ſitus templi, habitatio communis Sacerdotum & Leuitarum eis ſeruiētium prænotatur. hanc autem partem longitudinis ab Occidente in Oriens viginti quinque milium calamorum: & latitudinis à Septentrione in Meridiem decem milium ponit. quam ſacram, & Deo ſanctificatam appellat. In medio igitur huius ſortis ſitum conſtituit ſub figura quadrata, ita vt quodlibet latus quingentorum calamorum eſſet. cui in ſuburbium quinquaginta cubitorum ſpatium vacuum circumiacebat, vbi templum, ſanctumque ſanctorum in figura quadrata erigit. quia vt ſuprà memoratum eſt, quodlibet muri eius latus quingentorum calamorum erat: in cuius ędificij amplitudinem, decentiam, & reuerentiam, ſpatium illud quingentorum cubitorum vbique murum ambiens diſponebatur. & hoc eſt, quod dicit: & à menſura iſta menſurabis, &c. ita quòd prius circumcludit locum: deinde in eo templum ædificat: Eccleſiam planè intelligens, quam prius Dominus typis & figuris per Patriarchas & Prophetas deli- Galat.4. neauit, & pòſt adueniente plenitudine temporis, ſua præſentia ædificauit, & amplitudine diuina honeſtauit. & ſtatim in hac prima ſorte, quæ locus ſacer & ſanctus poſitus eſt, in circuitu ſpatij templum ambientis: ſitus pro domibus ædificandis, ſacerdotibus, qui miniſterio templi præficiebantur, aſſignatur. Miniſterio enim Apoſtolorum maiorumq́; Sacerdotum ex inſtitutione Domini noſtri Ieſu Chriſti, Eccleſia per Euangelij ſacri prædicationem ædificanda erat, corda fidelium, tanquam nouas domos, quas Chriſtus inhabitaret, conſtruēdo: Ædificare enim, pro prædicare vſurpauit beatus Paulus, cùm dixit: Si quis ędificat ſuper fundamentum hoc, aurum, ar- 1.Corin.3. gentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, & ſtipulam, dies Domini probabit, quæ in igne, id eſt, tribulatione, reuelabitur. & præfigurati etiam fuerunt per ædificantes illos, qui lapidem in ædificio ſuo, donec inuenerunt, qui angulum coaptaret, reprobarunt. Deinde poſt locum iſtum templo ſanctitatis ædificando, & domibus Sacerdotum ſignato, ſub eadem menſura viginti gazophylaciis, ſiue cellis pro Leuitis cōſtruendis, viginti quinque milium, nempe calamorum, in lōgitudine, & decem milium in latitudine, locus vicinus adiudicatur. Leuitæ enim miniſtrabant Sacerdotibus in templo ſacrificantibus, vt Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, ipſis Epiſcopis, maioribusq́; Sacerdotibus, quibus cùm prædicationis munus nō incumbat, ſed pro debita ſui muneris exequutione, ſermone & opere decalogi præcepta ſua vita integre adimplere, viginti gazophylacia in eorum habitationem deſignantur. Et nō domus vt Sacerdotibus: ſed cubicula ſiue cellæ incolendæ deputantur. vt amplas proculdubio Epiſcoporum domos, pauperum, & afflictorum, ſubſidium & conſolationem quærentium: & ſtrictiores aliorum Sacerdotum, vt qui eorum miniſterio, & non aliorum deputati eſſent, præmonſtraret.

Et poſſeſsionem ciuitatis dabitis quinque milia latitudinis, & longitudinis viginti quinque milia ſecundum ſeparationem ſanctuarij omni domui Iſraël. Principi quoque hinc, & inde in ſeparationem ſanctuarij, & in poſſeſsionem contra faciem ſeparationis ſanctuarij, & contra faciem poſſeſsionis vrbis à latere maris vſque ad mare, & à latere Orientis vſque ad Orientē. longitudinis autem iuxta vnamquamque partem à termino Occidentali vſque ad terminum Orientalem, de terra erit ei poſſeſsio in Iſraël. & non depopulabuntur vltrà Principes populum meum, ſed dabunt terram domui Iſraël ſecundum tribus eorum.

VRBI ædificandę iam ſitus deſignatur, principum hęreditas ac tribuū omnium æqualis poſſeſſio. ita vt ſecundum Nicolaum tota Iudæorū terra, in quadro ſit conſtituta. è regione ergo & ad latus portionis ſanctę Sacerdotum nempe, in qua erat templum, & Leuitarum, locus vrbi Hieruſalem, pro habitatione omnium tribuū Iſraël conſtituitur: ex omnibus quippe tribubus ciuitas illa incolebatur. Longitudinis autem eiuſ-

tem eiusdem ponitur,quòd sacra portio,non quòd totam occupet, sed quoniá eius cultus,in verum orientem,Christum nempe redemptorem nostrum,tenderet:quē Ecclesia,per eam vrbem significata,exhibet. Atq; ita apertissimè spiritalē sensum intendisse hic Angelum videas:latitudinis subduplæ,& quinq; miliū calamorum tantùm ponitur:quoniam latitudo charitatis ciuium multo minor est:tum quòd in dilectione proximi,& adimpletione præceptorum,quæ eam concernunt,potissimum versari debet:tum etiam,quoniam eorum vita latiùs pateat, iuxta præscriptum

2. Tim. 2. rationis,sensibus indulgendo per operas matrimonij, rerum item sæcularium procurationem,& negotiationem,à quibus Sacerdotes,religiosi viri, & omnes qui rebus diuinis tractandis ordinati sunt,vt qui Deo militant,abstinere debent.Ob quod his omnibus latitudo, decem milium calamorum constituitur: quia in tota & integra obseruatione mandatorum Dei, quam denarius numerus significat, cum quinque sensuum carnis mortificatione,ambulare conuenit. Verùm omnibus æqua lōgitudo tribuitur:quæ intercapedo illius terræ est,ab Occidente in Orientem:quoniam ad verum Orientem Christum Iesum Dominum nostrum,quæcunque agát,referre debent,& in gloriam eiusdem præcepta omnia seruare. Poteris etiam & aptè dicere,latitudinem quinque milium calamorum vrbi esse datam,in obseruationē quinque librorum Moysis:quoniam ex illis Euangelij veritas,per quinq; sensus spiritales ministerio Apostolorū, Episcoporum, Doctorum,ac omnium Ecclesię ministrorum eruenda erat. Vnde longitudo viginti quinq; milium eorum cohabitationi signatur, & eadem etiam plebi:quia eorum definitionibus sancitis,& statutis stare debet. Et vt paruulis & rudibus, quę quinq; sensibus spiritalibus à doctoribus decerpta sunt,

1. Cor. 3. pleno & intelligibili modo,vt docet beatus Paulus,tradenda sunt: vt tempus legis, in qua omnia sensibus exponebantur,tempus pædagogię omnium fidelium,extitit. Quę ratio prędicandi apprimè seruanda esset cū insulanis,& Indiis Occidentalibus Philippo Regi nostro Catholico subiectis. Etenim sacra Euangelij doctrina cibus animę est & potus,dicente Domino: Cibus meus est,vt faciam voluntatē patris mei, &c.& rursus: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo,non sitiet in ęternum. Esurientibus ergo & sitientibus tantum expetitus erit. Quapropter gentes cognitione Dei carentes, esurientes appellat Scriptura, & sitientes etiam. ita enim dixit beatissima virgo,has significans: Esurientes impleuit bonis,& diuites dimisit inanes, id est, Iu-

Esaiæ 55. dæos perfidos. Et Propheta, Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum,emite absq; pretio,& absq; vlla commutatione. Est præterea Euangelij gratia thesaurus inuentus in agro,id est,in lege,quę vt ager in institutionem & hominis pędagogiam excolendus data fuit.& est margarita inuenta à mercatore. Ea ergo a-

Matth. 13. uiditate,qua agricola thesaurū è visceribus terræ extrahere cupit,& mercator emere,in fide initiandus eam expetere debet.

In primis igitur curandum est,vt famem hanc sacram, & sitim habeant,& tantii rem thesauri, & gemmę appellatione premantur, quod fiet, elementa & rudimenta prima fidei,quæ lege fermè naturali complexa sunt, docendo, & euulgādo. Hæ autem quatuor,vel quinque positiones,quæ vti principia fidei, & sacræ disciplinæ existunt,continentur. Primùm est cognitio Dei optimi max. qui pater omnium est iure creationis de nihilo,conseruationis ministerio quotidiano cœli & terræ, atque institutionis per legem naturalem mentibus hominum impressam,& per auxilia etiam & iuuamina,quibus ad bonum quotidie prouocamur. Secundum est cognitio dignitatis hominis,per rationalem animam perpetuam & immortalem contra bestias omnes,imò & contra seipsum, secundum sensualem, & exteriorem hominem, in qua se tota moralis doctrina Philosophorū est, quam nos compendio aliquando libro primo Ethicorum edidimus. Tertium,est cognitio finis & beatitudinis, ad quam homo creatus ęst, quæ est intuitio clara, & fruitio ipsius Dei, à quo tanquam à principio exiuimus. nam vnaquæque res ad illam tanquam ad finem

Aristot. Physic. 2. recurrit,ipsa suggerente natura, à qua primum exiuit. De qua re Theologi plura pulchraque dixerunt, à quibus sunt mutuanda. Quartum, est cognitio illius fœlicis status innocentiæ, in quo homo, vt memoratam beatitudinem assequeretur, & continuè ad eam absque lapsu & lassitudine tenderet donis gratiæ, & iustitiæ supernaturalis adiutus, & præditus fuit à quo inuidia diaboli Angeli mali,

mali, vt eo homo non ascenderet, vnde ipse cum Angelis suis prauis eiectus fuit, Domini præceptum frangendo, sicque ipsum offendendo, deturbatus fuit. Cuius Dominus misertus, redemptionem per filium suum vnigenitum, futurum hominem promisit, in cuius fidei virtute, per signa exteriora & sensibilia protestatæ, pro ætatibus Ecclesiæ gratiam & remissionem peccatorum adepti sunt. reliquis qui ab hac fide discesserunt, in damnatione inferni cum diabolo, & apostatis Angelis eius, quorum in vita sua societatem, & cultum amauerunt, remanentibus. vt hinc reposcendam vitæ rationem esse post mortem à Domino intelligant; qui cùm in hac vita pro sua mirabili prouidentia, immensa beneficia cunctis largiatur: bonis, vt in officio contineat, & maiora mereantur; malis, vt à peccato reuocet, ad summúque amorem incitet, omnium rationem exacturus est: sed potissimum huius, quòd vt ad memoratam redemptoris fidem, (sine qua salus contingere non potest) homines assurgerent, legem dedit circuncisionis contra peccatum originale, & qua homines in fide redemptoris assuescerent, per legem Moysis, per Prophetas, eandem fidem variis picturis significantes, vitam hominum instituentes, vt per eam redemptorem expectarent. qui tandem accedente plenitudine temporis, quo signa eius aduentum prænuntiantia accesserant, factus homo prodiit. Cuius doctrina cælesti edocta Ecclesia Catholica, & sanguine abluta, sensibilibusque sacramentis eius valorem, & meritum continentibus, in dies renouata, vt indulgentissima mater, diuitias has sapientiæ & scientiæ Dei omnibus hominibus in eorum salutem per varias regiones & loca euulgat. sic enim homo per paulatinos progressus, vt infans lacte proficit, vt mysteria abstrusiora cætera fidei, percipiat, quibus hęc vt elementa prima proponenda sunt. beatus enim Paulus Atheniensibus prædicans à cognitione Dei exorsus est; occasionem sumens ab inscriptione aræ, quam viderat, ignoto scilicet Deo, non alium quàm quem ipsi ignorabant, prædicare Deum. Et *Actuū 17.* gentibus quæ ad populum suum non conuenerant tempore illo, prouidentiam, & gubernationem totius vniuersi oculis omnium subiectam, per quam dimittens pluuias, lumen & cæteras virtutes, quibus hęc inferiora consistunt, in sui testimonium dedit. vt in historia Apostolorum narratur. Quòd si eum maioribus & de- *Actuū 14.* fensoribus sectarum contingat de religione disceptatio, hæc eadem ipsum conuincere sufficient, addendo quantas immanitates contra legem naturalem, in qua omnes conueniunt, eorum sectæ admittant. Christiana autem religio, etsi plura supra naturam doceat, nihil tamen contra legem naturalem profitetur. Deinde principibus sua etiam hęreditas assignatur, & populo omni Israël. Etenim post tempus illud prædicationis Apostolorum subiectis tyrannis, & Ecclesiæ iugo eorum collis submissis, & principes seculares in Ecclesia esse cœperunt, qui eam tuerentur, & defenderent. Vbi proprias res Christiani habere cœperunt, quibus antea sub pœna capitis tyrannico gladio imminente non licebat. Quod tempus præuidens Spiritus sanctus sub typo hęreditatis principum Iuda, & Israëlitarum item, prænunciat. Ex vtroque igitur latere iuxta portiones tres signatas, sacra, hoc est, Leuitarum Sacerdotum, ac vrbis, sua hęreditas principi adiudicatur: ne vectigalium iniusta exactione, vexatione, & extorsione populum expoliarent. Continetur verò eorum portio à mari vsque ad mare: id est, à termino & plaga Occidentali, vsque ad finem terræ promissionis, versus occasum: & ex opposito latere à plaga seu termino Orientali, vsque ad Orientem: ita quòd cum Sacerdotibus, Leuitis, & vrbe vicinis, princeps conuersabatur. Quia cum his ad sui regni legitimam gubernationem, & Ecclesiæ sanctæ accuratam defensionem, agere debet, nec ab eorum latere, & consiliis vnquam discedere. Atqui quoniam in eundem finem, quem Ecclesia vniuersalis intēdit, Christi nempe Iesu gloriam, omnem suam operam rex & imperator collocare debet: Eadem longitudo ex vtraque parte ab Occidente in Oriens illi constituitur. Reliquum verò terræ diuident, ac ęqualiter distribuent tribubus Israël.

Hæc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis Principes Israël: iniquitatem, & rapinas intermittite, & iudicium, & iustitiam facite: separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus. statera iusta, & Ephi iustum,

& batus iustus erit vobis. Ephi, & batus æqualia, & vnius mensuræ erunt, vt capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori, Ephi. iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sic liminam faciunt.

DISTRIBVTIS rebus, ac singulis è populo suis appropriatis, reliquum est, vt in iustitia & æquitate sua quisque in pace possideat: & è medio omni dolo, & fraude in commutationibus, & emptionibus sublatis iustitiæ ęqualitas semper seruetur. At quoniã his prospicere Regi & Principi, vt in virtutis officio ciues suos contineát, ex iniuncto munere incumbit; & qui alios carpit, & castigat, omni labe carere debet, Ioan. 8. iuxta Domini elogium de adultera: Qui sine crimine est, primus in eam lapidé mittat: integritatis vitæ Principes admonet, vt peccare cessent, admissaq; iam crimina sufficiant: confinia sua, hoc est, exactiones, & tributa iniusta (vt alij transferunt) auferant, & separent, & suis contenti populum vexare desinant: alioquin, quòd cõfer-uos percusserint, mundi vino inebriati, eos diuidet Dominus, & eorum partem po- Matth. 24. net cum infidelibus. Præterea officij commonet, vt in legitima gubernatione, & iustitiæ administratione semper intentus, tam in commutationibus, quàm in emptionibus nulli iniuriam fieri patiatur. Vnde bilancem, siue stateram iustam optat: mé-suras item aridorum, vt erat Ephi, & liquidorum, vt erat Batus, quarum quælibet decima pars erat cori: Corus autem teste Hieronymo, triginta modios continebat, & ita tres modios singula mensura capiebat. Iustas autem esse præcipit, quia dicit Scriptura: Statera grandis & minor, abominabile est vtrumque in conspectu Dei. Prouer. 11. Denique, quoniam commerciorum & rerum venalium omnium mensura moneta existit, & lex iusti pretij, vnde nomen accepit, & nummus dicitur: eius valorem approbat, secundum quod eo tempore æstimabatur. & siclum, siue staterem viginti obolos continere: & mnam, siue minam, aut talentum prophanum (nam sacrum maioris censebatur) sexaginta siclos valere, quod viginti siclis, viginti quinque, & quindecim mnam conficit, quia horum trium valorum nũmi genera minæ æquipollentia currebant. Atqui quòd negotiatio hæc corporalis, spiritali inseruire debet, Lucæ 19. secundum quod dixit Dominus: Negotiamini dum venio, iustis talentis exhibiris, vt eam mentibus Christianorum in sua Ecclesia ingereret, huius corporalis meminit. Et quia spiritales gratias, talentorum nomine erat suis commissurus, quarum ra- Matth. 25. tionem reddés seruus ille fidelis, dixit: Domine quinque taléta tradidisti mihi, ecce alia quinq; superlucratus sum, &c. Et quoniam minoribus & communibus è plebe minores distribuit, & committit gratias, obolorum hic & siclorum mentionem fecit. & aduerte insuper, quòd numerus senarius perfectus est, & cùm sexaginta & sex denariis constet, apertum est à quibus perfectionem in suo genere exigat, taléta Dominum commisisse. Atqui cùm nomine & fide sanctissimæ trinitatis negotiari debeant, ex tribus memoratis monetis compleri talentum dixit: Eas autem gratias numeris tribus etiam expositis significauit: quoniam adimpletione decem præceptorum internè & externè verbo & opere, vita perfecta negotiari debet, vnde numerũ vicenarium posuit. & præterea quòd meditatione Scripturarum per quinque sensus spiritales memorata vita indiga sit, alterius monetæ, viginti quinq; siclorum meminit. & tandem illius, quæ quindecim siclorum valoris erat, quia cum mortificatione quinq; sensuum carnis per decem Dei pręcepta ad vitę perfectionem gradiendũ est.

Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis, sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de Coro hordei mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est, quia decem bati implent corum, & arietem vnum de grege ducentorum, de iis quæ nutriuit Israël in sacrificium, & holocaustum, et in pacifica ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus: Omnis populus terræ tenebitur primitiis his Principi in Israël.

IN pace & iustitia constituta Republica, omnia bona sua Deo accepta referre restabat

restabat. quapropter, quæ ex frugibus, & animantibus in primitias Sacerdotibus, qui in nomine Domini accipiebant, conferenda erant, determinat. Ex frugibus enim, vt ex traditione Hebræorum refert Hieronymus, pars Domini non erat definita, sed qui largiores erant, quadragesimam partem soluebant; qui verò strictiores, sexagesimam. Ita vt inter hos terminos ex more, primitias Deo reddere sufficiebat. Ne autem res indefinita manens auaritiæ Sacerdotum, & populi, occasionem præberet, primitias frumenti, hordei, olei, & cæterarum frugum definit, sextam scilicet partem Ephi in aridis, & Bati in liquidis: quæ cum dimidium modij sit, continente Ephi tres modios, & cori triginta, relinquitur sexagesimam partem frugum esse soluendam, qui in pristina consuetudine minimus terminus habebatur. Semen enim, quod in bonam terram cecidit, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, & aliud centesimum fructum attulit: cuius hic non meminit. sed de trigesimo fructu, per corum significato, & de sexagesimo, per sextam partem Ephi, quæ est frugum sexagesima, quoniam de populo & ciuibus est sermo, in quibus incipientes & proficientes communiter agunt. Qui enim ad perfectionem contendunt, & centesimum fructum referunt, in religiosis, & Sacerdotibus, quibus primitiarum solutio hic deputatur. De animantibus verò hic primitias soluere iubet, vt de grege ducentorum, vnum tantùm animal persoluant: quoniam maiore labore pecora, & cætera animalia parantur, & sic iustum exigit, quòd vbi maior labor & industria ponitur, minus onus sentiatur. nomine enim arietis, omnia animalia intelligenda veniunt: quoniam, vt testatur Hieronymus, nomen Hebræum, quod per arietem hic vertit interpres, latè patet, & omnibus animalibus est commune. Verùm quoniam primitiæ hæ Deo offeruntur in recognitionem, quòd de sua largitate cuncta proueniunt, non macilentum, nec claudum, sed quod pinguius est, & magis æstimatur, sibi offerri præcipit. Et hoc est, quod textus ait, de his quæ nutriuit Israël. Vnde alia translatio habet: de saginario Israël. & verbum Hebræum auctore Hieronymo, de pascuis, siue canalibus, & irriguis sonat: quod ipse de his quæ nutriuit Israël, interpretatus est. Quas primitias, etsi omnibus Sacerdotibus deberentur, summo tamen Sacerdoti tantùm deputat: quoniam templo reædificato, in eius dedicationem, & consecrationem hæc offerri iubet, quæ per summum Sacerdotem facienda erant. & quòd Ecclesiastici status item caput esset, quia cùm capiti Reipublicæ ciuilis, suas res designasset, conuenienter ad caput Ecclesiastici status transiens, sua etiam vectigalia definire oportuit. Vbi apertissimè vides, duas potestates supremas in Ecclesia hîc à Domino fuisse prænunciatas, Ecclesiasticam nempe & Ciuilem, contra rabiem hereticorum huius temporis Christi vicarium è medio tollentium. Rursusque summo Pontifici Romano diuitias & ampla vectigalia præsignasse: imò quòd eius arbitrio Ecclesiastica omnia bona deputanda, & distribuenda essent, vt nunc fit: in cuius signum primitias soluere summo Sacerdoti, vniuerso Israëli præcipit, à quo in cæteros Sacerdotes, portio debita diffundebatur.

Matth. 13.

Et super Principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solennitatibus, & Calendis, & in Sabbathis, & vniuersis solennitatibus domus Israël. ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israël. Hæc dicit Dominus Deus.

FACTA Ecclesiæ consecratione, sub typo dedicationis templi reædificandi tempore Esdræ: officium & ministerium, quod debeant Sacerdotes, à summo vsque ad minimum explicat. Vt enim populus primitiarum collationes eis facere tenetur, ita ipsi sacrificiorum debitores sunt populo ad Deum propitiandum. atque primùm tempora sacrificiorum definit, deinde de sacrificiis ipsis præscribit. Ad summum igitur Sacerdotem spectare dicit, sacrificia, holocausta, & libamina quæ in lege definita erant, maioribus solennitatibus, vt Paschæ, Pentecostes, tabernaculorum, & in neomeniis, siue mensium Calendis, in Sabbathis, & cæteris diebus festis pro expiando populo, ipsique Deo placando offerre. Huc enim spectat dedicatio templi, in quo Christus Iesus in Sacramento Eucharistiæ inhabitat:

vt facet locus suo creatori sit sequestratus,& rerum diuinarum celebrationi, & cultui,pro populi reconciliatione,aptatus. Loquitur autem de summo Sacerdote, omnibus officium præscribendo: quoniam eius auctoritate instituendi & ordinandi erant. Claues enim ordinum,ab ipso summo Pontifice in cęteros Sacerdotes dimanant. Quòd autem dies festos Ecclesiæ per hos, quos recenset, intelligat; colligit beatus Hieronymus ex illo Prophetæ; per quem dicit Dominus: Neomenias vestras & Sabbatha vestra, & diem magnum non suscipio, ieiunium & ferias,& neomenias,& solénitates vestras odit anima mea, &c. quòd si Iudæorum solemnitates odit,manifestum est suas diligere,Ecclesiæ nempe,quas hîc designat.

Esai. 1.

Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense vna mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium. & tollet Sacerdos de sanguine quod erit pro peccato, et ponet in postibus domus, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrij interioris, & sic facies in septima mensis pro vnoquoque qui ignorauit, & errore deceptus est, & expiabis pro domo.

DEDICATIONIS Ecclesiæ rationem, sub forma dedicationis,& consectationis templi, qua in cortice literæ demonstrat, iam ponit. quę sanè passio,& mors Domini nostri Iesu Christi existit. Quemadmodum enim mactatione vituli indomiti, & de ipso grege, qui collum iugo non submiserat, quando per sanguinem eius tinctum in postibus domus externis,& item internis,atrij Sacerdotum scilicet,& in quatuor etiam angulis crepidinis altaris,de quibus suprà habitum est, sanctuarium expiabatur, sacrumque atque Deo dicatum templum reddebatur: Ita sanguine Christi Iesu in cruce pendentis, vitamque exhalantis, qui peccati seruituti nunquam fuit, nec potuit esse subiectus: tota Ecclesia Deo sacrata, & dedicata fuit. imò totum genus hominum, quantum ad sufficientiam secundum omnes quatuor angulos terræ: in cuius figuram in angulis quatuor crepidinis altaris, & in postibus tam externis quàm internis templi, sanguis vituli tingebatur. Nec tamen sic templi dedicatio completa erat, nisi septima die eiusdem primi mensis Nisan, id est, Martij, rursus vitulus sacrificaretur expositis cæremoniis adhibitis, causa viri ignorantis, aut decepti: et tunc expiatio domus absoluebatur. Per quod non aliud intelligo quàm opus esse applicatione passionis Christi, vt cuique efficaciter prosit, à iugoque & seruitute peccati eximatur, quæ per susceptionem sacramentorum Ecclesiæ, atque iustitiæ fit. atque deinceps, per iustitiæ & charitatis opera, in gratia constitutus, meritorum cumulos operatur, vsum thesauri passionis Christi applicatæ, eiusdem gratia & spiritu vita proferens. Sic enim peccator, per charitatem operâtem membrum viuum Christi efficitur, ipsiq; in templum, quod habitet, sacratur: iuxta doctrinam Pauli dicentis, Templum Dei sanctum est, quod estis vos: perinde ac occisione vituli, ignorans aut deceptus, loco sacro coaptabatur. Aptissimè item dixeris, septem diebus compleri expiationem templi, quoniam per totum tempus quo hebdomada clauditur, per aduentum nouorum militum ad fidem & pœnitentiæ exercitium, Dei Ecclesia semper renouatur, dedicatur & consecratur: quod hoc loco prænunciatur.

1. Corin. 3.

In primo mense, quarta decima die mensis erit vobis paschæ solennitas. septem diebus azyma comedentur, & faciet princeps in die illa pro se, & pro vniuerso populo terræ vitulum pro peccato, & in septem dierum solennitate faciet holocaustum Domino, septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus, & pro peccato hircum caprarum, & sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet, & olei hin, per singula ephi. septimo mense quintadecima die mensis in solennitate faciet, sicut suprà dicta sunt, per septem dies, tam pro peccato, quàm pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

DISTIN-

DISTINCTIVS iam passionem Christi, redemptionem esse generis humani, per immolationem vituli, & per immolationem septem arietum, vitulorum & hirci singulis diebus obumbrat. Quod planè hinc colligitur, quòd legem de agno occidendo decimaquarta luna repetit, quod non opus erat: & quem agnum ibi appellauerat, hîc vitulum facit, & soli summo Sacerdoti immolare præcipit. Quasi apertè doceret, comestionem illam agni Paschalis Christum figurasse, quem moriturũ pro hominibus hic immolatione vituli & memoratorũ animalium, explicatiùs suggerit. Christus verò in cruce, immolatione vituli de grege, hoc est, indomiti & nõ subditi iugo, aptè exprimitur: qui iugo peccati collum submittere non potuit, seipsum in sacrificium obtulit. pro se quidem, quia peccatis omnium nostrum onustus pepẽdit: & pro toto populo, quia eorum omnium reus erat, idque summo labore, cuius symbolum bos aut vitulus existit. Vitulis item septem, & totidem arietibus, & vno hirco, continuis septem diebus, qui totum tempus dicunt, immolabatur: vt ex perfectione numeri, tam in animalibus, quàm in dierum numero absolutam, & perfectam, quoad sufficientiam, redemptionem Christi intelligeres: & quòd per omnes ætates, item vsque ad finem sæculi, Sacramento incruento per celebrationem Missæ, continuè erat sacrificãdus. atque quoniam insuperabili labore & incredibili fortitudine opus hoc consumaturus erat, accommodatè satis vitulorum, & arietũ immolatione, mysterium hoc significatur. Vnius tamen mactatione hirci, qui symbolum peccatoris gerit, quia totũ genus humanum, vnius hominis peccatoris in Scriptura speciem retulit: vt in Esau & Cain, & in filio etiam prodigo figuratum est. & præterea, quoniam in lege in vno hirco, qui tanquàm anathema, omnium peccato- [Leuit.16.] rum populi onustus extra populum eiiceretur. Per singulos autem iuuencos & arietes, epham, id est, mensuram ephi, mensuram pro re quæ in sacrificiis sic mensurabatur, accipiendo in ephis insuper, hin olei misceri iubet: ita, quòd panem aut frumẽtum cum oleo simul, cum animalibus offerre debebant, quòd passio Christi Iesu, immolatis animalibus præsignata, panis spiritus futurus erat fidelibus, fomentumque luminis fidei, & omnium laborantium requies. Oleum enim & lassa membra recreat, & lumen fouet: atque ita dixit Dominus: Cũ exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. [Ioan.3.] Nam quis mundi amorem, pro amore sui creatoris, pro saluandis hominibus in cruce pendentis, non commutabit? nemo sanè erit mentis compos, & ab affectuum feritate liber, quem tantus amor non deuincat, vt ad se amore pertrahat, quo tanquam pane nutriatur. & insuper: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Cum hirco verò nec ephi, nec hin olei [Matth.11.] offertur: quòd absque vlla consolatione, peccatorum onere pressus, tota animę amaritudine, immanissima tormẽta perpessurus erat. Et quoniam vitę Christianę etiam comites indiuidui, meditatio passionis Christi, & exilij, quo peregrinamur à Domino, esse debent, præsignationi sacrosancti mysterij passionis Christi, celebrationem tabernaculorum, (quæ in memoriam peregrinationis in deserto decima quinta die mensis septimi, quem nos Decẽbrem appellamus, statis septem diebus, agebatur) immolationes expositorum animalium facere iubet; & simili ratione, cum oblatione, seu sacrificio, ex mensura ephi & olei memoratis.

CAPVT XLVI.

HÆc dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbathi aperietur, & intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, & stabit in limine portæ. & facient Sacerdotes holocaustum eius, & pacifica eius; & adorabit super limen portæ, & egredietur. porta autem non claudetur vsque ad vesperam, & adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in Sabbathis, & Calendis coram Domino.

QVIBVS rebus dies festi in Ecclesia honorandi & sanctificandi sunt, sub cortice festorum legis præscribit: quibus vt fideles pædagogentur, intendebat. hæ autem

sunt orationes, & sacrificia, de quibus latè docet. De oratione ergo agens, hæc per ordinem præcipit: quòd non nisi septimo die post opera seruilia, & negotia, quibus corporalis vita versatur, aditum portæ Orientalis atrij Sacerdotum, qua ad orationem petendum erat, haberent. Deinde ingressum signat per viam vestibuli portæ exterioris. Tertiò, holocausta & pacifica à Sacerdotibus celebrari exigit, quibus reconcilietur Princeps: atque his obseruatis in limine portæ orare iubet, & post eum omnem populum. ob quod portam post eius egressum claudi non permittit. Quem morem in Sabbathis & Calendis, siue neomeniis colendis obseruari iubet. In eo autem, quòd Principi hanc legem imponit, Christianos omnes

Apocal. 1. Ecclesiæ alloqui certum est: quos regnum & Sacerdotes fecit Christus Iesus sanguine suo, vt testatus est beatus Ioannes. Et quoniam caput in religione sequi omnes debent: Principem & summum Sacerdotem, qui virtutibus religionis, cæteros anteire debet, instituit. Et quia versari mente & ratione in regione rerum corporatarum, cum negotio, & tractatione rerum spiritualium, & intelligibilium,

Plato in Alcibiade. explicat (ob hoc enim quidam, animam hominis, numerum se mouentem posuit, quòd ad distincta & diuersa munera posita) sex diebus, quibus corporali vitæ vacatur, & negotiis sæculi totus animus est occupatus, portam Orientalem penitioris atrij Sacerdotum, clausam esse, dicit: Quia tunc ad res spirituales tractandas, animique negotia operibus fidei, spei, & charitatis expedienda, & necessitates spiritus Deo aperiendas, præclusus est aditus. Etenim cùm vitæ spiritualis negotia aguntur, oculos mentis sursum attollimus, corque ipsum & amorem nostrum Deo in sacrificium offerimus, & Sacerdotum quodammodo munere fungimur, iuxta illud Dauid: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, meritò

Psalm. 50. per atrium Sacerdotum hæc præfigurantur. Rursus ingressus per viam vestibuli fieri debet, quòd in vestibulo de ratione negotij communicandi, & eorum, cum quibus habendum est, paulisper stetur: & ante orationem præparare animam oporteat,

Eccles. 18. vt dixit Sapiens, intra seipsum oraturus ingrediens, sensusque intus colligēs, Deum præsentem cernere, & intima quæque mentis penetrantem attendere, quem negotiari instituit. omnia quippe permeat, omnia lustrat, bonosque & malos semper intuetur, vbique præsens. sacrificiis Sacerdotum deinde reconciliari iniungit, vt doceret nos cor sursum prius attollere, cordaque e Deo offerre, finemque nostræ orationis honorem Dei, & gloriam constituere, ob quam nostris necessitatibus prospiciat, petituri accedimus. Atque vt ad hæc accingaris, contemplare quid eo temporis articulo Christus pro te ageret. Nam cùm nullum prætermiserit temporis momentum, in quo nostram salutem non operaretur, te otiantem accusabis, & officij gratitudinis te debitorem agnosces. sic enim Deo per amorem reconciliamur, Deum super omnia diligendo, vt cordis oblatione accepta, gratum fiat nostræ orationis munus. deinceps in limine portæ orationem fundere vult: quoniam omni humilitati nihil de se præsumendo, subiicere debet: Publicanum il-

Luc. 18. lum sequendo, qui se peccatorem accusando, propitiari Dominum petebat: Et rursus Abrahamum, qui se puluerem, qui ad omnem ventum superbiæ, auaritiæ, & cæterorum vitiorum statim leuatur, & ciuem item, ad omne opus bonum, abs-

Genes. 18. que Dei auxilio infœcundum fatendo, flectere iram Domini in Sodomitas excandescentem precabatur: & tu orans oculos in cælum attollere audes? caue tibi, &

Eccle. 35. introspiciens teipsum humilia: oratio enim humiliantis se, penetrat cælum. In quam etiam rem, inquit beatus Hieronymus, integra & solida fide orans, solùm mysteria Dei adoret, nec exactiùs ea scrutari præsumat. Nam qui multum mel comedit, non est bonum ei; & qui scrutator est maiestatis diuinæ, opprimetur à glo-

Prouer. 25. ria, dixit Sapiens. sed contentus quisque sit, videre nunc in speculo & in ænigmate, visurus aliquando facie ad faciem, vt inquit Paulus. Nulla enim mentis acies, quan-

1. Cor 13. tumuis acuta, & perspicax est, quæ posset Deum intueri, vel eius naturam vlla ratione, aut cogitatione comprehendere: in cuius testimonium, templum illud

Esaiæ 6. augustissimum Salomonis aduentante Domino, densissima nebula oppletum est. vt veniens ad Moysen legem daturus Hebræis nube obscurissima montem

Exod 19. Oreb obductum legimus. memoratam igitur orandi formam ducis, & strenui militis Christi populus sequendo similiter suo modo orabit in ipso ostio persistens, nedum li-

dum limen valens attingere. Quam orationem præcipuè diebus festis exerceri debet, qui ad negotia animæ sunt deputati, quos per Sabbatha, & Calendas illius temporis intelligit. In ipsis enim est requies à laboribus corporalibus: & Domini resurrectio, quæ primùm nostram resurrectionem operata est, diebus Dominicis recolitur, vt illo tempore, in Sabbathis perfectio creationis, in primis diebus mensium, vbi lumen nouum Lunæ renascitur, in gloriam Domini, qui tenebras fugauerat, ab illis celebrabantur.

Holocaustum autem hoc offeret Princeps Domino in die Sabbathi sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum, & sacrificium Ephi per arietem. in agnis autem sacrificium, quos dederit manus eius, & olei hin per singula Ephi. in die autem Calendarum vitulum de armento immaculatarum offert, & sex agni, & arietes immaculati erunt, & Ephi per vitulum. Ephi quoque per arietem faciet sacrificium. de agnis autem sicut inuenerit manus eius, & olei hin per singula Ephi. Cumque ingressurus est Princeps per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eandem viam exeat. & cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in solennitatibus, qui ingredietur per portam Aquilonis vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis, non reuertetur per viam portæ per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur, & in nundinis, & solennitatibus erit sacrificium Ephi per vitulum, & Ephi per arietem: magnis autem erit sacrificium sicut inuenerit manus eius, & olei hin per singula Ephi.

SACERDOS, qui sacra tractaturus accedit, cum omni decentia, & reuerentia accedat oportet, ne manus Deo odibiles ingratum reddát sacrificium. Quapropter de præparatione & dispositione eorú, qui interpellatores sunt apud Deum pro populo docet. atque in primis cùm eos nomine principis significet, planum est commendare eos tales desiderare, qui virtutum proceritate, & integritate, populum excedant, perinde ac Princeps, quem sibimet legem esse debere quidam dixit: similiter ac de viro iusto censuit beatus Paulus. Ad hoc autem omnes sensus, affectus, qui Aristot. 3. Polit. c. 1. Tim. 1.
per sex agnos notantur, & voluntatem propriam, (quę vt dux eos ad se trahere solet, quemadmodum aries oues) mortificatos in sacrificium offerre debent. quod cùm virtutis animoso complexu exercebitur, fiet vt cæteri motus irrationales posthabeátur. Et cum oblatione cordis, item & omni puritate & synceritate hæc postulat, quam olei hin significat: sicut Ephi, aut mensura similæ (quæ purissimum farinæ est) virtutem ipsam quæ vitæ integræ firmamentum, & purissimum quid existit. Vnde in sacrificio agnorum & arietis de Epha, & de oleo non sub certa mensura, sed prout facultates suggesserunt, admiscere iubet: quoniam virtutis amplexus, pœnitentiæ rigor, cordis puritas & amor, non omnibus æqua portio, sed prout Dominus suo auxilio & gratia dederit, contigit: cui cooperando, & vitia calcantur, & virtutes promouentur. Nullus enim homo quantumuis perfectus carere affectibus potest. cui rei testimonio est eximius ille perfectionis cultor Paulus, qui in culmine virtutum positus aliam legem mentis legi repugnantem sentire querebatur. Roman. 7.
hic etenim homo semper infirmus iacet, & moritur, quando contra Deum aut proximum eos sequendo, iniuriam committit. Vnde nobis exemplo extitit beatus Petrus, qui dum surgente infirmitatis affectu, & suam infirmitatem non agnoscens, in confessione Christi, ad mortem vsque perduraturum r~status est, tamen à cœlesti medico qui infirmitatem humanam, & morbosos affectus eius Matth. 16.
sic blaterantes, optimè intus, & in cute nouerat, ad mortem infirmari prædixit, dum reuelauit ante galli cantum ter ipsum negaturum: vt explicat Diuus Augustinus. Memoratam autem præparationem in Sabbathis præcipit, quo tempore requies peccatorum contingat oportet, quam summopere optat. In diebus item Calen-

Calendarum, qui lucis nouæ celebrationem, hoc est, Euangelij sacri prædicationem & inuulgationem post importunam legis noctem præfigurabant. Vituli autem de armento, id est, indomiti, oblatio cum eisdem appendicibus adiungitur, quod carnis mortificationem signabat: qua summopere Deus delectatur. sic enim interpretatus est diuus Paulus, cùm dixit: Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam sanctam & immaculatam & beneplacentem Deo, rationabile obsequium vestrum, & cætera. Et alibi: Semper mortificationem Iesu in corpore vestro circumferentes. insuper perseuerantiam, & constantiam propriæ vitæ, commendat, & vitæ rursus aliorum curam. Illud, dum eadem porta Orientali, id est, intelligentiæ & contemplationis exercitio illuminatæ, qua tunc templum ingressus fuerat, egrediatur, nec animum despondeat muneris & officij onere: sed videat qualiter acceperit, vt inquit beatus Ioannes. Hoc autem, dum populo ingredienti atque per aliam portam egredientem Principem, id est, Sacerdotes, & altioris vitæ viros, illi duces strenuos & continuo se præstent. Etenim vt doctrina, ita & vita, Episcopi & Sacerdotes, summum Pontificem Romanum, suum ducem sequendo, ductores populi Christiani esse debent: quos, sicut pastores oues, vt selectis morum & religionis pascuis alantur, indiuidui, sequi debent. Verùm quare ingressus, & egressus, portas è regione oppositas, Orientalem nempe & Aquilonarem signat? quoniam cùm in latiori vita populus agat, & furentibus mundi fluctibus huc atque illuc continuè impellatur, inter aduersa, & prospera, semper instantem gloriam Christi Iesu, constantibus: barathri autem tormenta, deficientibus, præ oculis habeant, admonet. vt his tanquam fræno cohibitus, & illis præmiis allectus, & tanquam appositis calcaribus stimulatus, strenuus miles Christi, in officio virtutis, fortis semper se contineat. quòd non recalcitrans plebs exhibebit, quando in specula vitæ Pontificem Ecclesiæ caput, suosque Sacerdotes naucleros, suis viderit operibus præstantes, quod verbis & doctrina docent. Et præterea docemur à virtute patientiæ, cùm in aduersis & Aquilonaribus rebus agimus, ad cæteras virtutes, quibus halitus præstatur, progrediendum esse. & quòd dum in prosperis tanquam in portu viuitur, securum statum nemo sibi promittat. Nam vt tunc vires reficiat, aliquantulumque respiret, & vt retrò, gressus faciendo, ad cursum mediis tribulis velocius ineundum, tempus id concessum est; quandoquidem post tempestates tranquillum facere, & post lachrymationem & fletum exultationem infundere nouit Dominus. In maximo enim periculo constitutus, & in grauissima tentatione positus est, qui in statu florenti pro voto suo degit. Quapropter aliquando suo populo dixit Dominus: Dum ædificaueris domos, habuerisque armenta boum, caue ne eleuetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui, & cętera. similia denique sacrificia in nundinis fieri præcipit: quoniam in toto vitæ curriculo, quæ nobis pro nundinis datur, negotiationi virtutum, spiritualiumque donorum, vacare oportet, iuxta illud Domini: Negotiamini dum venio.

Roma. 12. · 2. Corin. 4. · Apoc. 3. · Thobiæ 3. · Deuter. 8. · Luc. 19.

Cùm autem fecerit Princeps spontaneum holocaustum aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solent in die Sabbathi, & egredietur, claudeturque porta postquam exierit; & agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino. Semper manè faciet illud: & faciet sacrificium super eo cata manè, mane sextam partem Ephi, & de oleo tertiam partem hin, vt misceatur similæ, sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum. faciet agnum, & sacrificium, & oleum cata mane. manè holocaustum sempiternum.

QVOD de Principe dicitur, de Sacerdotibus ob vitæ selectionem intelligi iam dictum est: quibus, cùm spontaneum sacrificium fecerint supra id, ad quod ex obligatione tenentur, in diebus festis forma præscribitur. Atqui quoniam sacrificia hu-

cia huiusmodi, siue holocausta sint, siue pacifica, ex deuotione fiunt, vt diuinam beneuolentiam promereantur, vt se eisdem propendi Dominus pollicetur. Vnde portam Orientalem, id est, intelligentiam maiorem bonitatis diuinæ assequuturos certos facit: Quantò enim quisque se magis Deo consecrare nititur, tantò magis ei Dominus sui copiam facit, bonitatis, amoris, & cognitionis purioris participem faciendo. Quamobrem & post ipsum, porta clauditur, quam appetere populus non potest, qui tanti luminis non est capax: & ampliùs suam beneuolentiam ostendit, quòd sacrificium sibi gratum futurum significat, agnum anniculum præscribendo: id est, Christum redemptorem nostrum in sacrificio Missæ à Sacerdote ministro, aut ab audiente Missam, (qui etiam offert) quo nihil gratius Deo, nec acceptius offerri potest, vt quotidie nunc in Ecclesia fit. Imò autem manè, id sacrificium exigit; quia manè, & ante prandium Missa celebratur: quod hîc prænunciatum est, vt inquit Carthusianus. Verùm quoniam, teste Hieronymo, manè in Scriptura pro propensione ipsa Domini, qua vix clamare incipientes exaudit, accipitur. vt eo loco: Manè exaudies vocem meam. & iterum: Manè præueniet ma- Psalm. 5. nus eius Deo. Cum præuentione se Dominum exauditurum promittere non minus, probo. & nota, quòd cùm similam & oleum miscere in hoc sacrificio mandet, Psalm. 97. minorem partem similæ, sextam nempe Ephi, & maiorem olei, quia tertiam partem hin exigit: quòd maxima animi lætitia, ex ingenti confidentia ebulliente, offerri debet, iuxta illud Dauid: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psalm. 44. atque hoc perpetuum sacrificium sibi petit: proculdubio significans Euangelij sacrificium, id est, Missæ sacrosanctæ oblationem, in qua vsque ad finem sæculi Christus Iesus sempiterni Patris filius, est offerendus: & quoniam liberum à seruitute legis, & cum libertate Christiana hoc sacrificium celebrãdum est: & quod tale sit, quòd cætera lege præscripta, magna cum seruitute imposita, longè superexcedat, spontaneum, ac voluntarium nuncupatur.

Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit Princeps donum alicui de filiis suis, hæreditas eius filiorum suorum erit; possidebunt eam hæreditariè: si autem dederit legatum de hæreditate sua vniuersorum suorum, erit illius vsque ad annum remissionis, & reuertetur ad Principem. hæreditas autem eius, filiis eius erit, & non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de possessione sua dabit hæreditatem filiis suis, vt non dispergatur populus meus vnusquisque à possessione sua.

AMPLIVS filios suos in Ecclesia hic Dominus præsignari manifestiùs indicare pergit, cùm donum Principis filio factum, perpetuò in hæreditatem cessurum statuit: si verò in testamento legatum fuerit seruo, vsque ad annum iubilei obtenturum adiudicat: quo accedente, reuersurum ad Principem proprium que dominum declarat, vt filiorum tantùm perpetua sit hæreditas, in quo planè significat Dei Ecclesiam perpetuo vsque ad finem sæculi duraturam, eiusque donaria nunquam in ea defectura: quia principis sunt, id est, Dei optimi maximi ea filio donantis. Quapropter in perpetuam eorum hæreditatem cedent. quæ verò in lege, tanquam in testamento seruis legata (erat enim lex seruitutis, & ei subiecti, serui erant, non amore, sed timore seruientes) terminum habitura erant: & adueniente iubileo, id est, Euangelij tempore casura. Et rursus deuoluenda ad dominum suum, vt in filiorum perpetuam hæreditatem cedant, subministrando Euangelio veritatem, quæ in intimis legis continebatur, & extrinsecus eius figuris promittebatur. hanc enim libertatem fidelium contra seruitutem legis explicuit Dominus, quando exactore tributorum instante, dixit Petro: Reges à quibus petunt didrachma, à filiis, an ab alienis? Respondenti verò, quòd ab alienis, dixit: Ergo filij liberi sint. sed ne scandalizemus hos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto

& aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & pro te. Vbi ad tempus gratia vitandi scandalum, facto docuit legalia seruandi. Et rursum idem insinuans, ait: (Ioan. 8.) Seruus non manet in domo in æternum. & tandem beatus Paulus in Epistola ad Hebr. hoc latiùs deducit, cuius primus scopus, hic est.

Et introduxit me per ingressum qui erat ex latere portæ in gazophylacia sanctuarij ad Sacerdotes, quæ respiciebat ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem, & dixit ad me: Iste est locus vbi coquent Sacerdotes pro peccato, & pro delicto, vbi coquent sacrificium, vt non efferant in atrium exterius, & sanctificetur populus. Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce atriolum erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij, in quatuor angulis atrij atriola disposita quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum. Mensuræ vnius quatuor erant, & paries per circuitum ambiens quatuor atriola. & culinæ fabricatæ erant subtus porticus per gyrum. & dixit ad me: Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

DENIQVE Sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ officium explicando, ad locum portæ Aquilonis versus Occidentem protensum, vbi officinæ erant hostiis & victimis concoquendis seruientes, Propheta introducitur: & rursus ad atrium mulierum extrà educitur, vbi in angulis atrij atriola videt, quę culinæ erant, & foci subter murum atrij per circuitum, in quibus ministri victimas coquebant. In officinis quidem Sacerdotum Episcoporum, & maiorum Ecclesiæ principum officium designare videtur: nam cùm in interiori & sacratiori atrio hæ constituantur, & Sacerdotum officio deseruiant, non nisi magna & propria procerum Ecclesiæ opera pro suo officio optimè fungendo denotant. signantur ergo loca secretiora, in quibus intelligentiæ sanctæ Scripturæ, vt Dei voluntatem apertiùs agnoscant, incumbunt: orationibus pro sui officij expletione diligentiùs vacant, & peccata populi considerando, (Oseæ 4.) diuinam iustitiam placando, igne charitatis incendunt atque absumunt. Qui enim peccata populi comedunt, vt inquit Propheta, sic ea coquere, & extrà educere oportet. Vnde quoniam mysteria magna, & quæ supra eorum captum sunt, populo (Matth. 7.) non sunt committenda, (nam esset in porcos margaritas proiicere, in exteriori atrio offerre prohibet. in focis verò ministrorum, cæterorum Sacerdotum, ministrantium Ecclesiæ, qui suis orationibus, suffragiis, & sacrificiis in Ecclesiis Deum placare, eius beneuolentiam populo promereri, atque eidem placatum pro officio reddere curare debent, munia proculdubio significantur. Vnde quoniam strictiùs populo, vitam agere debent, in angulis extra frequentiam populi eorum loca disponuntur. & quoniam sub fide sanctissimæ Trinitatis & quatuor virtutum cardinalium integro quadrato, suum officium soluere oportet, ministros ipsos erudiendo: focos, & culinas triginta cubitorum in latitudine, & quadraginta, in longitudine disposuit.

CAPVT XLVII.



T conuertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem. & ecce aquæ redundantes à latere dextero, cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos, & transduxit me per aquam vsque ad talos: rursumque mensus est mille, & transduxit me per aquam vsque ad renes, & mensus est

sus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari. & dixit ad me: Certè vidisti fili hominis.

DOCET Spiritus sanctus apertè in hoc capite, omnia ea quæ de templo dixerat, mysteria Christi Iesu & Ecclesiæ obumbrasse, lineisque rudibus duxisse. quod & beatus Paulus explicuit, quando supereminentis scientiæ & charitatis Christi culmen inaccessibile enarrans, mensurarum huius templi, quæ adeò intellectus omnium legis peritorum vexauerant, meminit: atque de Christi morte, & mirabili vita eas mensuras intelligens dixit: Scietis iam tandem comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo. & profundum supereminentis scientiæ charitatis Christi, & cætera. Et Ecclesia ipsa similiter Spiritus sancti lumine edocta interpretata est: siquidem in introitu Missæ, tempore Paschali, aquam & sanguinem lateris Christi, ex quo tota effluxit Ecclesia, celebrando, hunc locum adducit, dicendo: Vidi aquam egredientem de templo de latere dextero, & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. vt subscripsit etiam Rupertus. & ipsemet Dominus corpus suum sacratissimum, templum appellauit, atque de eo legis magistros debuisse hunc locum intelligere nutauit, cùm dixit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus illud excitabo: atque ita proculdubio de Christo eiusque Ecclesia omnia intelligenda sunt. Vnde à capite ad corpus sæpe fit transitus, & è contrà, & quæ sint gratiæ doctrinæ, & efficaciæ descripti templi manifestat. Dicit ergo Propheta sanctus, quòd cùm in atrio exteriori mulierum ageret, Angeli ductoris nutu, versus portam Orientalem domus conuersus est: vbi multitudinem aquarum ex eius limine scaturientium, & veluti fluuium decurrentem, ad latus dextrum versus Meridiem vidit: qui fluuium doctrinæ sacræ Euangelij significat, de quo dixerat Dauid: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et fontis locum insinuat: quia ex limine domus egrediebatur. Limen autem Ecclesiæ Christus est: ipse enim dixit: Ego sum via & veritas. & iterum, Ego sum ostium; si quis per me introierit, saluabitur. Et porrò fontem hunc, fontem illum esse, ex quo perennes, & dulcissimæ aquæ doctrinæ cœlestis promanassent, Samaritanæ explicuit, dicendo: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Quod & illustris vates obumbrauerat, dicendo: Omnes sitientes venite ad aquas. & multò antè sacer Propheta Dauid, doctrinam sacram Euangelij, quam propinat Catholica Ecclesia, aquam & pascua esse fidelium prodit, cùm dicit: Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me. Hanc verò aquam ad latus dextrum templi, versus Meridiem decurrere videbat: quoniam ad eos peruenit qui à dextris sunt, & ad electorum numerum pertinent: quod ex auxilio, & diuino calore gratiæ contingit: vnde versus Meridiem inclinabatur. Rursus, ab hoc loco eductus est Propheta per Septentrionalem portam atrij scilicet Sacerdotum, & circuire eum fecit dux suus per viam exteriorem, vsque ad portam Septentrionalem, quæ erat in extrema parte montis, ad viam quæ respiciebat ad Orientem: vbi à latere dextro templi & sinistro ingredientium vidit aquas dimanantes, quas ductor eius funiculô, aut regula linea dimetiens, mensura mille cubitorum, quater adhibita, Prophetam paulatim introduxit: ita vt talos primùm aqua pertingeret, deinde genua, tertiò femora, donec quartò iam mensura applicita, inuentum est torrentem transuadari non posse. In quo etsi incrementa fidei per paulatinos progressus, donec innumerabilis exercitus in fine mundi fiat, quando reliquiæ Israël conuerterentur, significentur, vt placet pluribus; mihi tamen omnino probatur, quod diuus Paulus interpretando hunc locum dixit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. diuinæ etenim voluntatis cognitio per aquas has sanctę Scripturæ, quatenus ad nostram spectant salutem, mensura Angeli nos instruente, cum timore & tremore, sub humilitatis mensura, diligenter procuranda est: Cæterùm qui plus iusto progredi voluerit, & scrutator esse præsumpserit maiestatis diuinæ, opprimetur à gloria, vt dixit Sapiens. Quocirca Propheta sub mensu-

Ephes. 3. — Rupertus in 3. Regum 6. — Ioan. 2. — Psalm. 45. — Ioan. 6. — Ioan. 10. — Ioan. 4. — Esaiæ 55. — Psalm. 22. — Roma. 11. — Eccles. 3.

ſuis moribus corruperant,& fœcunditatem item enarrans, dicit: longè diuerſam eſſe rationem huius fluuij,& maris mortui: Nam piſces,qui in mare mortuum deſcendebant,nullo modo viuere poterant,tantùm abeſt vt eos gigneret ac procrearet. fluuius autem iſte ſacer,& receptos procreat,& nouos gignit. vnde ſubdit: Erunt piſces multi ſatis, poſtquam venerint illuc aquæ iſtæ & ſanabuntur,& viuent omnia,ad quæ peruenerit torrens. ſed vnde hoc? quia talis vis eſt huius diuinæ aquæ prędicationis, Euangelij, & Baptiſmi, vt omnes, ad quos peruenerit, viuant. Quantumuis, modo animantium, quæ abſque pedibus mouentur, terram omnium vitiorum comederint,& per eam ſerpſerint. At,quia homines piſces fecerat, qui piſcatorum induſtria capiuntur, piſcatores ſacros Apoſtolos prænunciat,vt per Hieremiam Dominus antè dixerat: Ego mittam piſcatores multos,& piſcabuntur eos. *Hier. 16.* Quia,ab Engadi,id eſt,à principio maris mortui,vſque ad Engalim, qui eſt terminus eius,auctore Hieronymo,ſiccatio retium aut ſagenarum erit, id eſt, vberrima erit piſcatio: vt in eo loco contingit, vbi tantùm piſcium captura exercetur,vt ea homines viuant: neque aliud quàm retium expanſio & ſiccatio eo loco videatur. Quod ex officio Apoſtolis incubuiſſe docuit Dominus, cùm in vocatione eorum dixit: Venite poſt me,& faciam vos fieri piſcatores hominum. *Math. 4.* Per mare enim illud mortuum mundus ſignificatur, qui ad mortem & interitum cunctos ducit, qui vita & moribus eius ſe aſſeclas profitentur: Qui verò eum contempſerint, aquisque huius gemini fluminis,fidei doctrinæ & Baptiſmi tincti fuerint, ex quouis ſtatu,ſorte,inſtitutoque viuendi hominum piſcis rationes euadent: ideoque ſacrati, (perinde ac in mari magno Mediterraneo & Oceano omnes ſpecies piſcium) varij viuendi generis homines continentur. Centum autem quinquaginta tres piſcium ſpecies in eo degere,ex naturalibus accepiſſe Hieronymus teſtatur: vnde centum quinquaginta tribus refertum rete piſcibus extraxerunt Apoſtoli ad iuſſum Domini: vt abſque vlla perſonarum acceptione, proculdubio omnes ad fidem vocandos eſſe ſignificaret. At,qui extra alueum huius fluminis, id eſt, Catholicę Eccleſiæ fidei commorabuntur,& ſi ad littora appropiauerint, quia in paludibus,quæ aquam fœtidam continere ſolent, & in locis cænoſis vitiorum detinentur, non ſanabuntur,infirmi & mortui remanebunt: quia in ſalinas,inquit,dabuntur,hoc eſt, in ſua amaritudine manebunt.& vt ſal non ſapit,etſi omnibus condimentis det ſaporem,ita erunt reprobi homines ſibi inutiles, vtiles tamen electis: & ad eorum probationem proficui. vel quòd conuertentur in ſtatuam ſalis, etiam ſi Eccleſiam ingreſſi fuerint,& eius rigationibus in littoribus procreentur, ſi retro reſpicientes, in cænoſis vitiorum locis permanſerint. *Geneſ. 19.* Qua nota hic Spiritus ſanctus primùm hæreticos inurit,qui ſemel Eccleſiam ingreſſi, ad loca cænoſa littorum confugerunt. Denique fœcunditatem amplificando, arbores frugiferas in vtraque ripa orituras monſtrat,quæ folia nunquam amittent continuum virorem ſeruantes: & perpetuo,temporibus debitis iuſtos fructus reddent,qui in cibum fidelium erunt,& eorum folia in medicinam. Etenim ſeruus Dei,& vita verè Chriſtianus, lignum certè pomiferum eſt ex his, quæ ligna illa paradiſi ſignificabant, vbi primus homo poſitus fuit: Equidem fructus humilitatis,manſuetudinis,patientiæ,obedientiæ cęterarumque virtutum opportuno tempore proferet,qui ſpectantibus, & conuenientibus,in cibum vitæ inſtituendi erunt. Et ſimilium fidelium verba, quæ inſtar foliorum homini data ſunt,plena charitate & pietate ad virtutem promouendam, his quibuſcum verſantur, in medicinam erunt. Verùm peculiariter notat hic Spiritus ſanctus epiſcopos,doctores & prædicatores Eccleſiæ,qui Apoſtolis in officio prædicationis ſuccedunt: ab Eccleſia enim Catholica horum miniſterio viror diuini cultus & ceremoniarum (quę ad eius ſolennitatem, fidei proteſtationem, & fidelium excitationem pertinent) nunquam decidet. quod Dauid prædixerat: Et erit tanquã lignum,quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, & folium eius non decidet, & dabit fructum in tempore ſuo: *Pſalm. 1.* vnde nec à fructu operum ceſſabit. quod contra inſaniam omnium hæreticorum noſtri temporis tanto tempore ante,hic Dominus pręnunciauit. fructus operum pœnitentiæ in cibum fidelium,& folia, id eſt, prędicatio cuiuſuis verbis,veluti arboris virentis foliis virtus,extenditur & dilatatur. de quo in noſtris Commentariis ſuper Apocalypſim hunc locum beato Ioanne interpretante, *Apocal. 22.*

pretante, multa diximus. Verùm attende, quàm ad proprietates maris alludens, mundi ingenium oculis subiicit: Nam illius aqua amara est ob nimiam terrestritatem adustam, quam admittit: & ob eandem causam crassa & salsa, quod salis principium extat: pisces huiusmodi aqua in magna copia generat, dempto illo mari mortuo, quod illos enecabat. Mundus autem amaritudinem nociuam habet, quam eius assecle vsqueadeò experiri nollent: grossitiem etiam, & terrestrem salsedinem vsque adeo, vt sensuales & terrestres homines efficiat, vt salinarum loco merito adaptetur: qui salem generet aliis rebus saporem præbentem, cùm nullum ipse in se retineat. Procreat præterea homines inquietos, huc atque illuc agitatos, honorum & diuitiarum fucis, quemadmodum mare, pisces continuò fluctibus actos, quos tàdem interimit, similiter ac pisces, mare illud mortuum.

Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israël: quia Ioseph duplicem funiculum habet. possidebitis eam singuli æquè vt frater suus, super quam leuaui manum meam, vt darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem. Hic est autem terminus terræ ad plagam Septentrionalem à mari magno via Bethalon, venientibus Sedada, Æmath, Beratha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci, & confinium Emath, domus Thicon, quæ est iuxta terminum Hauram. & erit terminus à mari vsque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem terminus Emath plaga Septentrionalis. porrò plaga Orientalis de medio Hauram, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terræ Israël Iordanis determinans. ad mare Occidentale metiemini plagam Orientalem. plaga autem Australis Meridiana à Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades, & torrens vsque ad mare magnum. Et hæc est plaga ad Meridiem Australis, & plaga maris mare magnum à confinio per directum donec venias Emath. hæc est plaga maris. & diuidetis terram istam vobis per tribus Israël, et mittetis eam in hæreditatem vobis, & aduenis qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum, & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israël. Vobiscum diuident possessionem in medio tribuum Israël. In tribu autem quacunque fuerit aduena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Math. 6. PRIMVM quærite regnum Dei, & omnia adiicientur vobis, dixit Dominus. Quapropter cùm quæ ad spiritum & ad institutionem religionis pertinent, docuisset: nunc quæ ad vitam corporalem conuenienter traducendam spectant, edisserit. & primùm quoniam tribus Leui propriam sortem non habuit, sed in medio filiorum Israël habitabat, iuxta Domini præceptum. Vnde ne fors vna restaret vndecim solùm manentibus filiis Iacob, qui sortes acciperent, pro duobus filiis Ioseph Ephraim & Manasse, quos Iacob adoptauerat, duplicem sortem Ioseph obtinere statim dicit, vult autem in æquales sortes partiri, vt æqualitas iustitiæ indesinenter seruetur. Deinde in quatuor plagas Septentrionalem, Orientalem, Meridionalem, & Occidentalem quam à mari vsque ad mare, quòd mare Mediterraneum, latus Occidentale terræ promissionis claudere dicitur ciuitatibus proter minis nominatis, diuidit: & tandem proselytis & aduenis in tribu, quam coluerint Num. 13. Iosue 19. hæreditatem signari districtè præcipit. Cæterum cum libro Numerorum & Iosuæ terræ promissionis partitio facta fuerit, quorsum hîc tertiò distribuitur? Quoniam non eo sanè diuinus Spiritus tendit, vt Israëlitæ terram illã possiderent, sed in Ecclesiam, quam terra illa significabat. Picturus enim imaginem artifex, non semel, sed pluries rudiẽter eam deducit, deinde proprius & ad viuum exprimit: sic diuinus artifex nostræ ruditati sese accommodando, Ecclesiam suam diuinis mysteriis illustraturus, non semel, & iterum, sed tertiò, vt distinctiùs, & expres-

expreſſius eius ſacramenta depingeret, ad eaque impenſius præpararet, rudibus, & ſenſibilibus figuris obumbrauit. Hoc igitur loco ſacramentis memoratis diſpoſitis, eius pacificam vitam, amplitudinem, & ardentem charitatē repræſentat. Primùm ergo eius in omni iuſtitia & æqualitate pacificum & tranquillum ſtatum ſenſibus ingerit: dum Ioſeph, qui Chriſtum ſpecialiter retulit, & ſubcreſcens interpretatur, duplicem ſortem obtinere dicit. cæteri verò æqui, ait, ſunt vt frater eſ, quia Chriſtum Ieſum caput noſtrum, (qui gratia & ſapientia profecit apud Deum, & homines, vt dixit Euangeliſta: Lucæ 2. & duplicia dona poſſedit, quia plenitudinem gratiæ & veritatis, vt decebat vnigenitum Patris) ſignauit. Duplum autem, redundantem gratiarum copiam ſignificare prodidit aliquando Scriptura, Ioan 1. dicens: Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam, quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: Eſaiæ 40. ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. In eo verò quòd cæteros æquè, vt frater ſuus, poſſeſſiones habituros prænuntiat, mutuam charitatem ſimul & iuſtitiæ æqualitatem commendat. Quem locum explicans beatus Paulus, in ea nos animi propenſione eſſe voluit, vt omnia poſſidentes, ſimus tanquam nil habentes. Amplitudinem verò & maieſtatem eius prædicat, dum in 1.Cor.6. quatuor plagas eam diſtribuit, quod eſt, vineam hanc Domini, per omnes quatuor orbis partes ſuos palmites & propagines dilataturam. Quoniam autem Euangelij prædicatione duodecim magiſtris Apoſtolis in ea deſudantibus, & ab Hieruſalem & finibus Iudæorum, (qui in lege recluſum Euangelium retinuerant) incipientibus, ſub nomine duodecim tribuum eam ſortitur: & vrbes Iudæorum terminos diuiſionis conſtituit. quia de Syon exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Et rurſus Dauid dixerat: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus Eſaiæ 2. Pſal. 109. ex Syon: per virgam Euangelij prædicationem intelligendo. Tandem charitatem maximè commendat, dum non ſolùm incolas & proprios ciues, ſed proſelytos, aduenas & quoſcunque extraneos, qui in eorum habitationem & gratiam ſe receperint, vt complectantur, iubet, & de ſuis ſortibus hæreditaria bona ac ſi indigenæ eſſent, conferant.

In quo (vt optimè adnotauit diuus Hieronymus) gentes non ſolùm ad gratiam Euangelij (repugnantibus Iudæis) eſſe recipiendas, ſed beneficijs & terrenis bonis, ad vitæ commodum & ſuſtentationem eſſe donādas ſignificabatur. In qua re maximè veniunt laudandi Chriſtiani Principes, qui Mauros, Indos, & ex quibuſuis alijs nationibus ad fidem & gratiam Baptiſmi venientes largitionibus & donariis congruis, vt decenter vitam, & non in aliorum contumelia & opprobrio viuere poſſint, honeſtant: & veluti calcaribus appoſitis, ad ſtadium vitæ Chriſtianæ currendum inſtimulant. Qua ratione inſuper cæteros infideles, qui ſpectatores agunt, & vt ex ſpecula religionem Chriſtianam intuentur, ad eius amplexum per ſui conuerſionem ſic alliciunt, & inuitant, vt nec miſera & calamitoſa temporalis vita, patria & patriis bonis relictis, eos à ſalute ſua deterreat. è contra verò facientes grauiter reprehendendi veniunt, tanquam Euangelij gratiæ iniuriam inferentes. Nam ſi vt tempore primitiuæ Eccleſiæ, viderent Chriſtianos propria non habere, occaſionem non ſumerent, ſua bona retinendi cauſa, gratiam Euangelij non recipere: ſed cùm nos videant poſſeſſiones, & diuitias poſſidere, quod ſtatus gubernationis Eccleſiæ (ceſſante tempore congregationis ouilis in orbe cognito) neceſſariò poſtulauit aduenientes, non ſunt miſeri relinquendi. Vnde in orbe Indorum nunc inuento, ſecus faciendum eſſet: & intereſſe omne in prædicatoribus Euangelij ceſſare debuiſſet. Maximè autem ab ingreſſu Eccleſiæ retardantur, imò & retrahuntur, qui nos dominos, & vita præſenti fœlices proſpiciunt: ſe verò, ſi eam ingrediantur, ſeruos, miſeros, & omni auxilio temporali deſtitutos. Et quid? O Deus! ſi pro ſpolio propriarum rerum, Euangelij gratiam vendere violentos, videant? quod procul abſit ab animo Chriſtiano. Etenim tantum flagitium fieri, nec à cupidis magis amplificandæ rei, quam honoris & gratiæ Chriſti, patrari vnquam poſſe, in animum meum induxi. Eſſet enim ſuſpicio, & ſpecies tanti mali tollenda: eos illuſtratos iam, in ſuis bonis, & vitæ ſubſidiis cohoneſtatos, permittendo. Sed his omiſſis, pro his qui apud nos conuertuntur ex paganiſmo, lex à regibus & principibus ſtatuenda eſſet, vt de bonis communibus regni,

& rerum publicarum, sic ad Deum Christianamque fidem propeiantibus, pro qualitate personarum, quibus vitam negotiari, & aptè traducere possent, bona designarentur: quandoquidem relicta patria, & patriis bonis ad Ecclesiæ terras confugiũt. Nam in suis regionibus permanentibus eos in suis bonis tueri & protegere iam necessarium esse duximus. Etenim hæc Domini sententia cùm ad charitatem pertineat, adhuc suadente, & forsan præcipiente charitate Dei & proximi, vim suam retinet.

Capvt XLVIII.



T hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Ethalon pergentibus Emath, atrium Enam terminus Damasci ab Aquilone iuxta viam Emath. & erit ei plaga Orientalis mare Dan vna, & à termino Dan à plaga Orientali vsque ad plagam maris Asser vna. Et super terminum Asser à plaga Orientali vsque ad plagam maris Nephtalim vna. & super terminum Nephtalim à plaga Orientali vsque ad plagam maris Manasse vna. Et super terminum Manasse à plaga Orientali vsque ad plagam maris Ephraim vna. & super terminum Ephraim à plaga Orientali vsque ad plagam Ruben vna, & super terminum Ruben à plaga Orientali vsque ad plagam maris Iuda vna.

Posita terræ descriptione in generali, singulis iam tribubus suas partes accommodat: & ab Oriente versus occasum ad mare vsque mediterraneum, quod terram sanctam ab Occidente claudit incipiendo à latere sinistro Aquilonis, singulas hæreditates designat. Hunc autem ordinem seruat: quòd quatuor partibus distributis, in qualibet trium tribuum hæreditates distinguit. & in prima parte versus Aquilonem sita, & vrbibus nominatis distincta tribus Dan primò ponitur, deinde Asser, & tertiò in eius confinio Nephtalim. In secunda & contermina parte, è vicinio se tangentes æquales, & animo similes portiones, ab Occidente vsque, ad mare versus occasum, Manasse, Ephraim, & Ruben, ordine quo numerantur, distribuuntur. quibus statim & in medio loco tribus Iuda, Beniamin, & Simeon in tertia parte hæreditantur. In cuius confinibus succedit quarta pars, quam tres residuæ tribus Isachar, Zabulon, & Gad ordine dictionis possessionem occupant. sub cortice autem & ruditate huius literæ, Ecclesiæ Catholicæ munificentiam, Spiritum sanctum descripsisse non dubitat Hieronymus, his ductus argumentis: quòd æquales omnibus tribubus portiones signentur, & non pluribus, & maiori tribui
Nume. 11. maior portio, vt Moses fecerat: Item quod in illa descriptione ob insignem fortitudinem Iudæ & Ephraim extrema loca occuparunt: illa Meridiem, hæc verò Aquilonem locum oppositum: hìc non sic vt vides, & tandem quòd illic vrbes confugij pro homicidis decernebantur, quarum hoc loco nulla mentio fit. Atque non sanè alia ratione, quàm quòd Ecclesiam delineat, quæ bona spiritalia, quæ ad salutem necessaria sunt, vt fidem sacramentorum, Christique pollicitationes æquè tota possideat, ac quælibet eius pars, & singulum membrum, quod proprio vitio, & peccato tanta bona à se non ablegauerit: Quamobrem æquales sortes & non pro quantitate tribuum hìc designantur. pace deinde Christi Iesu acta videbatur:
Psal. 147. secundùm quod de ea cecinit Dauid, dicens: Qui confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & cætera. Et quod item tota sacra esset, ad quam confugere debuissent nationes, & omnes quorum cæli cura interesset: nec defensionis gratia tribus fortiores in extremis collocantur, nec vrbes illæ confugij, quæ Ecclesiam figurabant, ad quam salutis animæ gratia omnes confugere debent, recensentur. secundo etiam loco ad hoc agit longus sermo, qui de tribu Iuda, speciali ratione & priuilegio, Ecclesiam referente, & ipsam concernentibus, in memorata possessionum distributione interponitur, & quamplurimũ circa eam immoratur: quod figuratò & rei quam obumbrabat ratio esset. dicit hic textus.

Et su-

Et super terminum Iuda à plaga Orientali vsque ad plagam maris erunt primitiæ quas separabitis viginti quinque milibus latitudinis, & longitudinis, sicuti partes à plaga Orientali vsque ad plagam maris. & erit sanctuarium in medio eius.

CONGRVENTER quidem, qui in medio virtutis habitaculum constituit, cótra vitiorum decertationem, in eum locum certatim contendentium, cuius à Deo amator existit, vt Deus virtutum nuncupetur: & qui medium hominis, cor scilicet sic dilexit, vt illud inhabitare semper cupiuerit: & in medio discipulorum eos allocuturus & consolaturus post gloriosam suam resurrectionem apparuerit: & qui vitam hominum ex ligno vitæ in medio paradisi, & rursus ad illud accedendi facultate amissa, in ligno crucis in medio terræ erecto eam constituit terræ sortem, quæ ipsi in primitias sacrari & offerri debet, in medio cæterarum sortium, ex vna parte portionem Iudæ, ex altera Benjamin, vt infra etiam dicitur, delegit & rursus templum, domum, quam inhabitaturus erat, in medio huius sortis ædificari præcepit, qui Ecclesiam tanquam emporium, & publicam scholam, cœlestis disciplinæ magistram, in medio nationis prauæ, vt inquit beatus Paulus, collocauit. Latitudinem verò huius partis viginti quinque milium calamorum figurat, & longitudinem indefinitam relinquit: sed quod eam habeat, quam mediterraneum mare ipsi sicut cæteris tribuisset, quòd non æqualiter & ad perpendiculum omnes in suis terminis reciperet.

Psalm. 83.
Luc. 24.
Genes. 2.
Phil. 2.

Primitiæ quas separabitis Domino, longitudo viginti quinque millibus, & latitudo decem millibus. hæ autem erunt primitiæ sanctuarij Sacerdotum ad Aquilonem longitudinis viginti quinque millia, & ad mare latitudinis decem millia, & ad Meridiem viginti quinque millia, & erit sanctuarium Domini in medio eius. sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoch, qui custodierunt cæremonias meas, & non errauerunt cùm errarent filij Israël, sicut errauerunt & Leuitæ, & erunt eis primitiæ de primitiuis terræ sanctum sanctorum iuxta terminum Leuitarum.

LOCVS iste memoratus, qui in vniuersum Domino consecrandus, ipsisque deputandus venit, hîc rursus diuiditur in tres partes. sed attende, quòd huius sacræ partis, dimensiones longitudinis & latitudinis, easdem repetit quas in initio 45. capitis posuerat, cùm contrà, præcedenti contextu signauerit, latitudinis nempe viginti quinque milium, & longitudinis decem milium. Cuius rei complicationem fatetur Hieronymus, & altitudini diuitiarum sapientiæ & scientię Dei cum Paulo expeditionem relinquit. Quare & nos tantilli idem mysterium adorabimus, & reuerebimur. Vnum autem certum est, non quem sonat litera, sed quem sub ea Spiritus sanctus mysticum sensum occultauit, nos attendere docuisse, & omni proculdubio de mysteriis Ecclesiæ verba facere, iuxta regulam Augustini dicentis: Quoties litera sibi pugnare videatur, spiritalem sensum illi indagandum, tanquam principaliter intentum ab Spiritu sancto, & forsan cùm dispositio naturalis, & situs illius collationis, quam sibi Dominus adiudicat, viginti quinque milium calamorum in latitudine, & decem milium in longitudine esset, secúdum quod suos possessores, nempe Sacerdotes, figurabat: è contra verò signatæ fuerunt diméśiones in quadragesimo quinto capite, & hoc loco etiam memorátur, videlicet viginti quinque milium longitudinis, & decem milium latitudinis. quòd Sacerdotum cura ita dilatari & extendi in proximos debeat, vt opere & sermone, atque quinq; sensibus scripturæ, eorum salutem procurare incumbat. Quapropter statim eorum portio versus Aquilonem sita, longitudinis ponitur viginti quinq; milium, & latera vtrimque ad occasum & ortum sibi adiacentia, decem milium calamorum latitudinis ponuntur. nimirum, quoniam in Aquilone, id est, in perpetua anxietate peripsemata mundi, dictis & factis probrosis supportantes, populi circunstantis curam gerentes, & eorum quos ad occasum & mortem, peccata ducant: & illorum quos ad virtutem

Roma. 11.
August. 1. lib. de doctrina Christiana.

tutem & ad ortum veri solis solicitent, exhortatione decem præceptorum, hos in bono promouere, & illos à malo reuocare studeant. Et rursus in prosperis quæ per ortum significantur: & in aduersis, quæ per occasum, tanquam duces & periti nautæ, eorum curam nunquam obliuiscantur. Eisdem autem Sacerdotibus terrá memoratam ad Meridiem, longitudinis viginti quinque milium calamorum ponit, non signatis dimensionibus ad circunstantia latera; quoniam ipsi in calore & feruore spiritus agentes (vitam suam, opere & sermone decem præcepta colendo, fulciétes, & officium etiam eisdem iniunctum, & in declaratione voluntatis diuinæ, scripturam sanctam per suos quinque sensus variando, positum) proximorum non obliuiscentur, id charitate perfecta continue exigente. Præsertim, quòd iam quando in Aquilone, id est, in probatione erant, laterum mensuræ meminit, & eandem hîc habent; quare non oportuit repetere: vt hinc etiam non tam terram illam materialem, quàm spiritalem, fideles nempe in sua Ecclesia degentes curare, planè intelligas. in medio autem huius terræ sic dispositæ, templum siue sanctuarium, quod sanctificationi hominum præpararetur, constituit. & aptissimè quidem: nam Christus Iesus, qui verum templum significabatur, in medio candelabrorum, id est, in
Apoc. 1. medio Ecclesiæ apparuit beato Ioanni, quia ex ipso tam Sacerdotes, quàm cæteri e populo quę ad propriam & proximi salutem spectant, fœnerari debent. Vnde quoniam ex æquo quæ singulis conueniant, gratias elargiri paratus est, conuenienter omnino in medio loco ponitur. In ministerium autem huius templi non omnes Sacerdotes admittit, sed qui fuerint ex genere Sadoch, nepotes & descendentes illius, id est, sanctificati & iusti: nomen enim Sadoch iustus interpretatur: & simul reddit causam, quòd non errauerint cum populo Israël, idololatrádo, vt Leuitę ipsi
Psalm. 109. fecerunt. In quo contra Sacerdotes legis, Euangelicos designat, qui à Christo Iesu vero Sadoch, de quo scriptum est; Tu es Sacerdos in ęternum secundum ordinem Melchisedech; peculiari ratione, sacrorum nempe ordinũ institutione, descendunt. Sed & Leuitę de primitiis seu primitiuis oblatis, redecimabunt sanctuario, id est, memoratis Sacerdotibus sanctuario seruientibus. soluebant enim Leuitæ decimas Sacerdotibus, vt diuus Hieronymus est auctor super caput 45. & ita hoc loco primitias de primitiis, decimas decimarum dicit. vel dic quòd oblata terra Sacerdotibus, de oblatione facta sancto sanctorum, id est, templo, obueniet. & collata terra, iuxta terminum Leuitarum, inquit, erit: quia confinia Sacerdotum habebunt Leuitæ, ait Hieronymus: sed vmbilicum eius, id est, medium, & ipsam possessionem tenere non valebunt. Quod spiritalem sensum Ecclesiæ sequendo, id mihi significare videtur: legem semper Euangelio seruituram, tanquam in ipsa contento, atq; ex ipsa eruto, Leuitas legis ministros pro ipsa lege, & Sacerdotes Euangelij ministros, pro ipso Euangelio accipiédo. Et rursus edocemur: bona ipsa, quæ ex oblationibus ad Dei cultum Sacerdotibus accrescunt, ipsorum proprie fieri, in eorumque dominium cedere ratione officij. Ipsi qualiter expendant videant.

Sed & Leuitis similiter iuxta fines Sacerdotum viginti quinque milia longitudinis, & latitudinis decem milia, omnis longitudo viginti, & quinque milium, & latitudo decem milium, & non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ: quia sanctificatæ sunt Domino.

CONFINEM statim ponit Leuitarum portionem viginti quinque milium lõgitudinis, & decem milium calamorum latitudinis, ita vt tota longitudo semper sit viginti quinque milium. Quod etiam obuiare dictis videtur, cùm lõgitudinem decem milium calamorum suprà posuerit: nisi hoc de longitudine in sensu spiritali intelligas, iuxta positam explicationem. Deinde sortis suæ venditionem, commutationem, & alienationem inhibet: quia in primitias oblata erat, vt aliarum rerum primitiæ Deo separabantur, atque offerebantur. Res autem Deo sacratas & dicatas non vendere hîc proculdubio docet: quoniam quod Deo semel dicatum est, in alios vsus reuocari non potest: & item res spiritales, de quibus loquitur, pretio æsti-

tio æstimari non possunt. Vbi Simoniacum opus apertè prohibet: quoniam quæ non sunt comparabilia, non sunt commutabilia, vt dixit quidam. Aristot. lib. 5. Ethic.

Quinque milia autem, quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, prophana erunt, vrbis in habitaculum, & in suburbana, & erit ciuitas in medio eius: & hæ mensuræ eius, ad plagam Septentrionalem quingenta, & quatuor milia, & ad plagam Meridianam quingenta, & quatuor milia, & ad plagam Orientalem quingenta, & quatuor milia, & ad plagam Occidentalem quingenta, & quatuor milia. Erunt autem suburbana ciuitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, et ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta milia, & ad mare ducenta quinquaginta.

Ex viginti quinque millibus calamorum in latitudine, signatis terræ Deo dicatæ, post possessionem tribus Iudæ, decem mille calami collationi Sacerdotum dati sunt, & rursus alij decem mille Leuitis, tantùm quinque mille, ex signata latitudine totius terræ, in primitias oblati restat. Quare optimè infert sacer textus: quinque milia autem, quæ supersunt, &c. et si diuus Hieronymus aliter de longitudine interpretetur. sed fassus est sacer sanctus, locum non intellexisse. In hoc ergo spatio vrbem situat cum suis suburbanis, locis nempe vacuis, vt vox Hebræa Migras sonat, arboribus & ædificiis locus vacuus, ministeriis communibus ciuitatis seruiens. Et prophanum locum appellat: non quòd intra sacrum, & Domini primitias non contineatur, sed quòd omnibus exceptis Sacerdotibus inhabitationem permissus sit. sensus etenim etsi secundum debitam rationem in sua obiecta ferantur, mētem ipsam à puritate & sanctimonia cogitationum, quam in Sacerdotibus, ministerio diuino dicatis requirit, quamplurimum detrahunt. Quapropter reliqui fideles profani, sicut eorum terra, nuncupantur, quod Sacerdotes maximopere aduertere debent, vt vnde cor graue, plumbeum, & frigidum vt ferrum habeant, sentiant, & agnoscant. Rursus locum vrbi signando, quatuor limitibus circumcludit, secundum quatuor cæli puncta, Septentrionem, Meridiem, ortum, & occasum. quorum cuilibet quinquaginta & quatuor milia assignat: vt planè videas, sub quadrata vrbe Ecclesiam Catholicam omnium fidelium designare; quæ quatuor virtutum Cardinalium, quibus tota virtus moralis vt cardinibus voluitur gaudens: & supernaturalium item virtutum, fidei, spei, & charitatis atque cælestium donorum profusionibus affluens, in libertatem Christianam asseritur (quod per numerum quinquagenarium significatur) vt anno iubilei quinquagesimo in libertatem omnia redibant. Deinde vt nihil omittat eorum quæ ad decētiam & decorum nobilis ciuitatis pertinent: suburbanos agros constituit, qui hortis, pascuis, & sitionibus arborum seruiant. Hos autem agros, ad quamlibet ex memoratis cęli plagis, ducentorum quinquaginta calamorum facit: quòd fertilissimum agrum scripturarum circum se habeat, qui qualiter mente & opere, & non solùm externè, (vt Pharisæi arbitrabātur,) præcepta decalogi sint adimplenda post fidei mysteria continet: Vnde ducētorum calamorum ponitur, qui numerus denarium bis continet. & quinquaginta insuper, propter gratias cœlestes, quibus contra seruitutem diaboli munitur, vt suprà dictum est. Est autem sacrum Euangelium ager pascuus: cùm Dei verbum, cibus sit animæ iuxta illud: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. 4. flores item virtutum docet, quibus & ligna facit, id est Christianos, tam robustos, vt eorum folia non defluant, sed iustos fructus semper reddant tempore suo. Psalm. 1.

Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarij decem milia in Orientem, decem milia in Occidentem erunt sicut primitiæ sanctuarij, & erunt fruges eius in panes iis qui seruiunt ciuitati: seruientes autem ciuitati operabuntur ex omnibus tribubus Israël. omnes primitiæ viginti quinque milium per viginti quinque milia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem ciuitatis.

ADHVC

ADHVC in portione ciuitatis agens, postquam de situ vrbis, & suburbanis dixit, de agris communibus seruientibus ciuitati docet; ad debitam quippe sustentationem nobilis ciuitatis, eiusque amplitudinem non solùm ciues proprias possessiones habere, quibus vitam traducant, conuenit, sed & communia quædam bona, quę ministris & seruientibus Reipubl. in cibum & vitæ quęstum sint: sic enim bono communi & Reipubl. conseruationi cõsulitur. Vbi cùm in Ecclesiæ pictura perseueret, qua charitate eam quisque fidelis amplecti debeat, quantos labores pro eius conseruatione & dilatatione, quot iniurias sufferre pro eius bono augendo, & quanta denique cura virtutum exercitio, & orationibus eius bonum procurare, & cum Deo negotiari debeat, apertè edocemur: siquidem corporalis & materialis ciuitas, absq; ministris, bono publico seruenientibus (quos Græci περιοίκους, id est, circum habitantes, & nos oppidanos vocamus) commode sustentari non potest. His autem assignat longitudinem ex tribus partibus, quas capite 45. retulerat, nam portiones Sacerdotum, in longitudine Leuitarum & vrbis viginti quinque calamorũ posuit. atque cùm de duabus dictum iam sit, restabat de tertia dicere, ob quam causam ait: Quod autem reliquum fuerit, &c. quam portionem dixit esse, secundum primitias sanctuarij: quoniam iuxta, & è regione portionis Sacerdotũ, & Leuitarum erat, respectu cuius hæc profana appellata est. & rursus docet habere viginti milia calamorum hanc partem ad Orientem & totidem ad Occidentem, sicut primitias sanctuarij, id est, perinde ac portiones sacræ Sacerdotum & Leuitarum, quę ratione sanctuarij oblatæ fuerunt. Vbi quinque milia cuilibet portioni hic desunt in longitudine, quorum non fit mentio, quia occupationi situs vrbis, domorum Sacerdotum, & Leuitarum, videntur relinqui: cùm supra viginti quinque milia longitudinis cuilibet harum portionum signauerit. Explicat deinde vsum huius partis vrbis, in victum esse seruientum Reipublicæ, suo labore inde parandum, omnibus qui ex quauis tribu Israël bono publico operam darent. Aut, quòd ex omnibus absque vlla personarum acceptione, ad hoc munus assumebâtur, etsi aliâs propria designata essent: oportet enim ex bonis publicis præmia his esse proposita, qui ratione aliqua publicum bonum promouere curauerint. & quoniam sortem hanc sacram, in plures distribuit partes, veluti epilogando concludit: omnes tres portiones, quæ in primitias Deo separandæ erant, Sacerdotum scilicet, Leuitarum & vrbis, lateribus æqualibus viginti quinque milium, quadratum facientibus, constare. Nam harum cuiuslibet longitudo viginti quinque milibus calamis cõtinebatur: & Sacerdotum & Leuitarum item decem milibus: quibus si adiicias quinque milia, quibus latitudo vrbis porrigebatur, eũdem numerum in latitudine, quem in longitudine, inuenies. Quare subdit: omnes primitiæ viginti quinque milium, per viginti quinq; milia in quadrum.

Quod autem reliquum fuerit, Principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij, & possessionis ciuitatis, è regione viginti quinque milium primitiarum vsque ad terminum Orientalem. sed & à mari è regione viginti quinque milium vsque ad terminum maris, similiter in partibus Principis erit: & erunt primitiæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius. De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium, Principis erit in terminum Iuda, & terminum Benjamin, & ad Principem pertinebit.

QVIA Ecclesiã depingit, eamq; potissimùm in parte hac primitiarum quę Deo offeruntur præsignat. Atqui quoniam ciues in officio virtutis continere sicut & eam tueri, atq; ab inimicis defendere, ad Principem & Regẽ spectat: reliquum erat, vt de eius possessione iam ageret. Eam igitur constituit in residuo, quod partem Sacerdotum, in qua erat templum, & partem possessionis vrbis à parte Orientali simul & Occidẽtali superexcreuerat: nam Oriẽtalem terminum signat, cùm dicit, è regione viginti quinq; milium vsq; ad terminum Orientalẽ: Limitẽ autẽ occiduũ, cũ ex parte opposita, à mari vsq; ad mare, id est, ab vno termino maris à parte Occidẽtali claudẽtis terrã promissionis, & è regione prędictarũ portionum quinq; miliũ, vsque ad

vſque ad alium terminum eiuſdem, principi deputat: itaque vt in parte ſacra portionem principi ſignare intelligeres, & curam defenſionis Eccleſiæ ipſi incumbere in parte primitiarum eius poſſeſſionem eſſe, & rurſus ſanctuarium ſiue templum in medio eius, declarauit. Deinde cùm ait: De poſſeſſione autem Leuitarum & de poſſeſſione vrbis, &c. quod ſecundum latitudinem ab Aquilone ad Auſtrum, principi contingeret, docet: Quamobrem inter terminum Iuda & terminũ Benjamin interſtitem ponit: etſi diuus Hieron. hic velit ex omnibus tribubus acceſſionẽ principi fieri, & tributa ex omnium poſſeſſione ipſi dare, qui in omnium defenſionẽ, & Eccleſię, ſeipſum impendit. imò addit: & non aliunde, quàm ex primitiis, quæ tẽplo & ſanctuario & delegatis vrbis partibus ſeruiunt. Quod ſi ita eſt, quid noſtro æuo, tam ægrè ferunt Sacerdotes ſubſidia dare principibus, qui in iuſtitiæ adminiſtratione, & Eccleſiæ defenſione, ſua exhauſerunt patrimonia: hic ſiquidem in ſortem & patrimonium, eorum dona ex primitiis & Deo oblatis, conſtituuntur.

Et reliquis tribubus à plaga Orientali vſque ad plagam Occidentalem Benjamin vna, & contra terminum Benjamin à plaga Orientali vſque ad plagam Occidentalem Simeon vna, & ſuper terminũ Simeonis à plaga Orientali vſque ad plagam Occidentalem Iſachar vna: & ſuper terminum Iſachar à plaga Orientali vſque ad plagam Occidentalem Zabulon vna, et ſuper terminum Zabulon à plaga Orientali vſq; ad plagam maris Gad vna. & ſuper terminum Gad à plaga Auſtri in Meridiem, & erit finis de Thamar vſque ad aquas contradictionis Cades hæreditas cõtra mare magnum. Hæc eſt terra quam mittetis in ſortem tribubus Iſraël, et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus.

PROSEQVITVR iam poſt longam moram in diſtributione partium primitiarum, deſignationem poſſeſſionum aliarum quinque tribuum, de quibus in principio dictum eſt. Hoc tamen eſt notandum, quòd cùm à limitibus Aquilonaribus illius terræ eos diſtinguendo ciuitatibus, quæ ad eum punctum cæli adiacebãt, inciperet diuiſionem, eam ad mare mediterraneum terminabat, quod ex parte Occidentis terram promiſſionis finiret. Nunc verò ad Occidentalem terminum mundi, & non illius terræ tranſiit: quoniam ſortes iam limitem maris ab Occidente excederent. in quo Dei Eccleſiam non terræ limitibus, ſed punctis cæli terminari, per totumq; terræ ambitum vagari, abſque vlla acceptione perſonarum, omnes qui ad eam confugerent, recipiendo, prædicit. poſt hæc aduertas oportet: quòd ab Orientali plaga in orbem verſus Occidẽs diuidendo, procedit: quoniam cùm omnes gelu peccati detinerentur (quod locus Septentrionalis deſignat) vt ab eo liberarentur aduentu & calore verè orientis Solis iuſtitiæ Chriſti ſcilicet redemptoris noſtri, qui eos & totum mundum illuminando redimeret, indigebãt, & ita ab ortu Solis vniuſcuiuſque ſors incipiebat, quia inde poſſeſſio eorum donorum & gratiarum, quibus ad mortem vſque & vitæ huius occaſum, agendum eſt, emanatura erat. Præterea tribui Gad ex his quinque, terminum diuiſionis ad quem, mare aſſignat: eiuſque poſſeſſionis limites diſtinctiùs cæteris ponit, cum his quæ ad Auſtrum & Meridiẽ ipſi ſunt confinia, & verſus mare magnum, mediterraneum nempe, aliquantulum præ aliis produci, & porrigi dicit. illud, quòd ad eandem plagam à qua digreſſus diuidendo fuerat, peruenerat: iſtud, quia tribus Gad, (quæ tentatio vertitur) Eccleſiæ curſum, peculiari ratione retulit. Etenim per tentationes in huius mundi deſerto peregrinatur, à Thamar (quæ palmarũ ciuitas interpretatur, & pro Hiericho, quę lunam ſonat accipitur) donec ad Cades, (quæ ſanctificationem promittit, vbi aquis contradictionis probatus fuit Dominus à populo illo) id eſt, ad cœleſtem gloriã perueniat. ſemper enim Eccleſia defectus patitur, perinde ac Luna, & aduerſarũ rerum impetu & peccatorum fractura in ſuis membris eliditur. in ipſo tamẽ interitu, viuida, & pernociua quæq;, diues redditur: quæ nemo comprehendere valet, quia ſemitæ ſunt nauis nauigantis, quas Sapiens non intellexit, ſecundũ interpretationem

beati

Eccles. 10. Amb. lib. de Salomone. beati Ambrosij. Quare aptè per Hiericho intelligitur, quæ luna interpretatur, & quòd palmis consita referatur: quippe quę victorias contra mundum, diabolum, & carnem peregrinando reportat, ad amplioris per triumphos gloriæ cælum contendendo, progreditur. Et quoniam ad plagam Occidentalem porrigenda erat Ecclesia, Orientali deficiente, vt nunc videmus, hoc prædicendo Spiritus diuinus hoc loco possessionem Gad ad mare dilatat, vt quæ iam ad finem mũdi properat, ad Occidentem, & versus finem orbis propagetur: atq; ita terram sorte diuidi iubet, quæ tribubus Israël in hęreditatem cederet.

Et hi egressus ciuitatis, à plaga Septentrionali quingenta, & quatuor milia mensurabis: & portæ ciuitatis omnibus tribubus Israël. portæ tres à Septentrione porta Ruben vna: porta Iuda vna: porta Leui vna: & ad plagam Orientalem quingenta, & quatuor milia, & portæ tres. porta Ioseph vna, porta Beniamin vna: porta Dan vna: & ad plagam Meridianam quingenta, & quatuor milia metieris: & portæ tres: porta Simeonis vna: porta Isachar vna: porta Zabulon vna: & ad plagam Occidentalem quingenta, & quatuor milia: portæ eorum tres: porta Gad vna: porta Asser vna: porta Neptalim vna, per circuitum decem, & octo milia, et nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibidem.

VRBEM hanc sanctam, & Catholicam Ecclesiam figurasse docuit beatus Ioã. Apocal. 21. ea quæ hic Propheta prædixerat testificando. Quod argumento irrefragabili est: quæ de templo, possessionibus, vrbe, imò omnia quę in hoc Propheta continentur, ad Ecclesiæ ædificationem & amplitudinem Spiritu sancto suggerente spectasse. Matth. 5. & ita de sua Ecclesia Dominus loquens, ad hanc vrbem allusit, dicens: Non potest ciuitas abscondi super montem posita. quod etiam quæ de ipsa hîc tradit, manifestant: Nam quorsum tam accurata mensura laterum? quorsum annumeratio portarum, & ingredientium? quorsum noua ciuitatis nomenclatura, & insuper tanta variatio ciuitatem hanc circumeundo, facta fuisset? Nam immediatè anteà à Septentrione ad Occidentem progressus est Propheta, possessiones diuidendo: nunc verò latera vrbi metiendo, ab eadem plaga per Orientem & Meridiem, donec quadrum persoluat, iter agit. Proculdubio hæc, nouam ciuitatem, Ecclesiam nempe Apocal. 21. Catholicam, vt nouam Hierusalem illustratione cœlestium virtutum, descendentem de cælo obumbrarunt. quam quòd fidelis quisque sortitus sit, toto pectore semper buccinando, cum regio vate in spiritu celebret, dicendo: Funes ceciderunt mihi Psalm. 15. in pręclaris, etenim hęreditas Domini pręclara est mihi. Æqualibus igitur lateribus, cuilibet quingentos quatuor mille calamos assignando, sub figura quadrata, quæ integram & absolutam virtutum absolutionem dicit, eam constituit. Est enim Ecclesia supra montem, virtutum moralium & in culmine earum posita: vnde quaternario millium numero, quodlibet latus constat, quingentis additis. quouiam harum virtutum vinculis quinque sensus, vt rationi obtemperent, & in officio contineantur, deuinciuntur. Quinque enim virgines prudentes, & quinque fatuas aliquando posuit Dominus: propter cócupiscentiam carnis in illis edomitam, in illis Aug. epist. 110 ad Honoratum. verò dominantem (quinario prędita m sensu, inquit Augustinus.) Atqui quòd homini peccati iugo captiuo, ab ipso Christo Iesu liberatio, lumen contra ignorantiæ tenebras, calor, peccati frigus extinguens, Ecclesiæ aduenit, meritò à Septentrione Apocal. 21. per Ortum & Meridiem ciuitas circuitur. Duodecim deinde portis ornatur, singulis plagis tres assignando, & cuilibet tribui suam: quia duodecim Apostolorum pręMatt. 28. dicatione, ingressus patefaciendus erat: & sub fide sanctissimæ trinitatis, vt in Sacramento sancto Baptismi profitetur, dicente Domino: Euntes ergo docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti; ingressuris, ianua erat danda quam etiam ex omnibus tribubus frequentare debebant, ob quod cuilibet sua porta adiudicatur. Tandem nomen nouum illi indicit, quoniam & nouam Matt. 23. ciuitatem describebat. quam non Hierusalem appellari vult, quia deserenda erat:

(Ecce

(Ecce,inquit,relinquetur domus veſtra deſerta) ſed Dominus ibidem. Etenim in ea Chriſtus Ieſus Dominus noſter eſt per perſonalem exiſtentiam ſub mirabili Euchariſtiæ Sacramento,& per ſpecialem eius protectionem: quòd perpetuò Dominus in ea vſque ad finem ſæculi permanſurus ſit,nec eam relicturus vt ſynagogam. ad quod Dominus alludens, & veluti promiſſum adimplens, dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationē ſæculi. quem vt ſuam eccleſiæ dignatus eſt exhibere præſentiam; ſic ſingulorum corda protegere & inhabitare non dedignetur,obnixè precemur: vt debitè hîc ipſi famulantes,eius gloria in æternis ſedibus perfrui mereamur. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. Mat.28.

IESVS,

Cui gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

Doctor P. Serrano.

Commentarius hic a Reuerendo Domino P. Serrano Sacræ Theologiæ Doctore eximio in Vaticinium Ezechielis Prophetæ elaboratus, catholicus est: singulariq; eruditione & pietate refertus: ac proinde dignissimum arbitror, qui in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem euulgetur.

Frater Laurentius
a Villa Vicentio D. Theologus.

Idem attestor Sebastianus Baer Delphius, insig. Cathed. Ecclesiæ S. Mariæ Antuerpiensis Plebanus & Canonicus.

El Rey.

POR *quanto por parte de vos el Doctor Serrano nos a ſido fecha relacion, que vos aueis compueſto dos Commentarios ſobre el Propheta Ezechiel y el Leuitico, el qual era muy vtil y prouechoſo, y en ellos aniades pueſto mucho trabajo y occupaciõ, ſupplicando nos, vos dieſſemos licencia, y facultad para que por el tiempo que nueſtra voluntad fueſſe lo pudieſſedes imprimir, y vender; ſin que otra perſona alguna lo pudieſſe hazer; ſin tener para ello licencia y poder vueſtro, o como la nueſtra Merced fueſſe: Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo: Por quanto en el dicho libro, ſe hizo la diligencia que la pragmatica ſobre ello hecha diſpone, fue accordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula en la dicha razon, y nos touimos lo por bien, y por la preſente vos damos licencia y facultad para que podeys hazer imprimir los dichos libros que de ſuſo ſe haze mention, en la emprenta de Plantino en Enueres: ſin que por ello, vos, ni el dicho impreſſor incurrais en pena alguna: y mãdamos que la tal impreſſion ſe haga de los dichos libros Originales que van rubricados cada plana, y firmado al fin dellos de Domingo de çauala nueſtro Seriuano de camara de los que reſiden en el nueſtro conſejo, y que deſpues de impreſſos no ſe puedan vender ni vendã, ſin que primero ſe traigan al nueſtro conſeja junctamente con los Originales, para que ſe vea ſi la dicha impreſſion eſta conforme a ellos, y ſe taxe el precio porque ſe ouiere de vender cada volumẽ, ſo pena de caer y incurrir en las penas de la dicha pragmatica y leyes de nueſtros Reynos: Y hecho lo ſuſodicho, defendemos que por tiempo de diez años primeros ſiguientes que corran, y ſe cuenten deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula, en adelante perſona alguna no pueda imprimir ni vẽder los dichos libros, ſino vos, el dicho Doctor Serrano, o la perſona que vueſtro poder ouiere; ſo pena de perder todos los libros que dellos vuieren impreſſo, y mas diez mil marauedis para la nueſtra camara. Y mãdamos a los del nueſtro conſejo, Preſidente y Oidores de las nueſtras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nueſtra caſa y corte, y a todos los Corregidores, aſsiſtente gouernadores, Alcaldes mayores, o otros Iuezes y Iuſticias de todas las Ciudades, Villas, y lugares de los nueſtros Reynos, y Señorios, y a cada vno y qualquier dellos; anſi a los que agora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante, que vos guarden, y hagan guardar, y cumplir eſta nueſtra cedula y merced que anſi vos hazemos, y contra el tenor y forma della no vais ni paſſais, ni conſentais yr, ni paſſar por alguna manera, ſo pena de la nueſtra Merced y de veinte mil marauedis para la nueſtra camara, Dada en Madrid a xvij. dias del mes de Enero de mil y quinientos y ſetenta y vn años.*

Yo el Rey.

Por mandato de ſu Mag.d

Antonio de Eraſſo.



INDEX COMMENTARIORVM IN EZECHIELEM PROPHETAM.

Colluuies

Euange-

Tempore